
SUMMA OMNIUM EXCOMMUNICATIONUM, ET CASUUM...

Jacques Severt, Paolino : da#S. Bartolomeo





s. Paulini a S. Barthol.
Carmelitae Discalceati

13-24 a



[redacted]

SVMMA OMNIVM EXCOMMVNICATIONVM, ET CASVVM RESERVATORVM,

Tam Papalis & Apostolicæ, quàm Episcopalis absolutionis,

IN TRES PARTES DISTINCTA.

CVI ACCESSERE SEPTEMDECIM Prouinciales tabulæ Casuum particularium, qui reseruantur singulis RR Archiepiscopis cunctisque ferè Episcopis Galliarum, atque Cœnobiarchis: Nunc primùm in lucem editæ cum notis & scholijs.

Opus quibusque Sacerdotibus curam animarum habentibus perutile ac necessarium.

AVTHORE IACOBO SEVERTIO THEOLOGO PARISIENSI.





[redacted]

PARISIIS, Apud NICOLAVM BVON, in Clauso Brunello, sub signo D. Claudij.

1601.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Bibliotheca Col. S. Pancratii

Ex dono P. Paulini a S. Bartholomeo Car. Ex. Miss. Ap. 1806.



CLARISSIMO ET REVERENDISSIMO IN CHRISTO Patri, D. D. Alberto de Belieure, Archiepiscopo, Comiti Lugdunensi, Galliarum Primati, Regi à secretis, &c.

S.



NOTVM illud omnibus, nec modò Scripturis sacris, sed rationi quoque admodum consentaneum (Primas dignissime) Labia Sacerdotis custodire scientiam, vt oues requirant de ore eius. Necessarium quippe est vt Pincernæ Salomonis sapienti atque erudito palato præditi sint: necessarium, vt filij Aaronis perpetuum ignem nutriant in altari, & accendant lucernam, eámque ponant super candelabrum ad depellendas omnes ignorantiæ tenebras: Necessarium, vt dispensatores mysteriorum Dei frangant panem esurienti-

bus, panem (inquam) non tantùm Angelicum, ſed etiam Euangelicum, nec ſolùm administrent ſacramenta, ſed etiam præparent vias Domini, opus faciant Euangeliſtæ, & cùm opere, tum verbo viam cæteris in cœlum aperiant. Cùm tamen oculos mentis huc atque illuc reflecto, nulla Theologiæ, aute ruditionis pars occurrit Sacerdoti magis neceſſaria, nulla vtilior & latiùs patens, quàm quæ ad animarum curam & ſalutem, ad expiationem peccatorum, ad gignandam conſcientiæ puritatem & ſecuritatẽ pertinet. Nulla enim vitę pars neq; priuatis, neque forẽſibus, neq; domeſticis, neq; publicis in rebus, neq; ſi tecũ agas quid, neq; ſi cum alio contrahas, eiuſmodi ſcientia carere poteſt, in eáq; excolẽda ſita eſt vitæ honeſtas omnis, & in negligenda turpitudo. Itaque omnes Sacerdotum curæ & cogitationes in eum ſcopũ rectà collimare debent quicquid agant ac meditentur, vt alios doceãt Deum agnoſcere, cognitum reuereri, amare, colere; innocenter vitam traducere; peccatorum grauitatem, virus, peſtem detegere, ea cane peius & angue fugere: atque vt vno verbo dicam, debent pręire ante faciem Domini, ad dandam ſciẽtiam ſalutis plebi eius in remiſſionem peccatorum eorum. Cæterùm vt præclara & vtilis admodum ſit ea cogitatio, adeò tamen perplexa eſt, obſcura & difficilis propter varias rerum circunſtantias, incertos illarum caſus & euen-

tus, intricatas hypotheses, & alia id genus adiuncta, vt qui rectè sentiunt, omnes vno ore affirment artem artium esse regimen animarum, nilque esse difficilius quàm sincerè & absque errore abditas cordium latebras rimari, cogitationum recessus, diuerticula & ambages perlustrare: hîc denique esse opus filo Ariadnes, cuius ductu sinuosum & dædaleum hominis pectus inoffenso tenore peruadere ac penetrare valeamus. Quæ me etiam impulit ratio, vt libentiùs hac in parte studium & operam meam collocarem, húncque libellum conscriberem, in quo nonnulla ad grauissimum illud Pastorum & Sacerdotum munus spectantia continẽtur, præsertim quæ ego viderem prætermissa ab alijs, aut certè breuiùs & obscuriùs perscripta, quàm tantæ rei magnitudo postulabat, à multis interim quotidie expetita, & quæ vt sine vanitate dicam, probis & studiosis non inutilia, nec ingrata fore iudicabam. In eo enim (vt cætera prætermittam) quæcunque ad ecclesiasticorum vinculorum authoritatem & absolutionem pertinebant, hoc est ad excommunicationum, censurarum & Casuum, vt vocant, reseruationem, ita distinximus, tam perspicuè adiectisque omnibus circunstantijs: vt iam vel mediocriter eruditus suo marte & ingenio possit intelligere quænam à summis Pontificibus S. R. E. quænam verò à Reuerendissimis singulorum locorum Episcopis, &

Primatibus concessa aut reseruata sint, ne scilicet (quod maximi momenti erat) plurimi Sacerdotes in alienam messem temerè falcem immitterent, putantes absoluere à quibus non possunt, vel iniuriam etiam ministerio & sacramento in posterum afferre pergerent.

Sed enim,

Cui dono exiguum meum libellum
Haud paruo, vt fatear, labore partum?

Quem ego eius patronum ac vindicem potissimùm appellabo, qui illum sui nominis splendore muniat atque tueatur? Non alium certè quàm teipsum (Primas vigilantissime) qui nempe omni literarũ supellectile à primis annis optimè instructus, & præstãtissimis disciplinis ad omnem humanitatem efformatus, pergis nihilominus & perstas quotidie in otio isto musico & literario, nec tantùm sacratiores musas colis assiduè, verùm etiam omnes sciẽtiarum ac diuinæ præsertim Theologiæ professores magno habes in pretio, eorúmque aspectu & colloquio plurimùm delectaris: Qui non modò prægustatis sed etiam consumptis humanioribus atque amœnioribus literis græcis & latinis, repetita etiam ex veteribus seculis memoria, perlectis historiarum monimentis, tandem ad vtrumque ius humanum & diuinum, ad Theologiam, ad scripturas sacras animum appulisti, ne diuinum ingenium in humilioribus scientijs diutius occupare atq; aureo hamo piscari videreris. Patrum orthodoxorum, & clarissimorum

Ecclesiæ doctorum libros euoluisti pernox & perdius ; tantúmque eo labore obtinuisti, vt quicquid in ijs arduum, obscurum, difficile, quicquid ad maiorem Dei gloriam, ad Ecclesiæ vtilitatem & ornamentum, ad bonorum præsidium, ad reuellendas & refellendas huius seculi sectas & hęreses conferre potest, illud in promptu habeas, & cùm opus fuerit alijs tradere, præcipere, explicare possis; neque id solùm, verùm etiam cæteros docere; qui nimirum certissimè apud te statuisti doctrinam absque morum sanctimonia summam esse ignorantiam; sæpe idiotas cælum rapere, doctos in infernum & lacum ignis detrudi, ac denique pietati & religioni primas semper esse tribuendas, quæ si sola habeatur, sufficit, sin autem defuerit, cætera omnia inutilia, imò etiã pernitiosa sunt. Atq; vt omnia vno verbo complectar, assiduo isto labore id tandem es consequutus, vt te Archiepiscopatu Lugdunẽsi dignissimum præberes, qui nuper tibi concessus ac creditus fuit, quémque vt diutissimè & fœlicissimè administres, votis ardentissimis à Deo opt. maximo omnes postulamus. Ista enim gloria tanta est, vt nullius ingenij flumine, nulla orationis copia satis prædicari possit; nulláque alia laus ei debeat omninò comparari. Quid enim cætera? quid auita proauorum nobilitas? quid stemmata? quid longus sanguis?

Et genus & proauos & quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra voco.

Parum iſta ad veram & ſolidam laudem, atque vt ornent viros probos, non tamen efficiunt. Itaq; ea licèt in te etiam maxima ſint, & nullus ſit locus in Gallia, in Europa, quē aui, quem Patris tui clariſſimorum virorum fama nō peragrauit, longè tamen præſtātiora & ad nominis tui commendationem aptiora creduntur illa quæ paulò antè commemorauimus, quæque tuas laudes famæ & immortalitati conſecrabunt. Hæc igitur me impulerunt (Primas reuerendis. atque ornatiſſime) vt xenioli nomine & propria ſponte has Tabellas tibi nuncuparem, mihíque ad te tanta humanitate, tot virtutibus inſignē facilè aditum fore conſiderem. Idque eò lubentiùs quòd in ordine & ſerie harum Tabellarum prima omnium iure ſuo ſit Lugdunenſis, non aliter, quàm ſe res habet in ordine Prouinciarum Galliæ; ideóque tibi totius prouinciæ Antiſtiti & Archiepiſcopo opuſculum integrum quantulumcunque eſt, deberi omni iure videretur. Accipe igitur (optime & clariſſime Primas) accipe hoc quicquid eſt libelli, & quot hîc indices ſunt, totidem habeto animi erga te mei vades & obſides Tabellas. Patere, vt libellus ſub fœlicibus tui nominis auſpicijs in lucem prodeat, nec illum modò, ſed eius quoque Authorem in clientelam tuam recipe. Ego tanti numeris vice perpetuum obſequium reponam, denique aſſiduè precabor, vt præclariſſimis tuis cœptis aſpiret,

ſanctiſſimis votis faueat, atque vbi miniſterium tuũ impleueris, vbi curſum conſummaueris, reddat tibi iuſtus iudex coronam iuſtitiæ, æuóque in cœlis æterno perfruaris. Vale.

Lugduni ex Scholis & cathedra prædeceſſoris tui antiquiſſimi Diui Irenæi martyris ac Protoprimatis.

IACOBVS SEVERT.

INDEX MATERIARVM HOC IN LIBRO CONTENTARVM.

TABVLÆ PROVINCIALES GALLIARVM.

AVTHOR AD LECTOREM.

ANNIS proximè elapsis rursus parabam discessum Lutetiâ ingenioli mei altrice, & ad quã Lugduno regressus sum ante quadriẽnium (beneuole Lector) vt scilicet memor sacri muneris ac officij, homuncius ego diuinum semen pro virili parte in agrum Christi longiùs paulò diffunderem, nec inutilis prorsus essem Christianæ Reipublicæ. Hæc diuturna cùm me teneret cogitatio: cùm, inquam, versaretur animus circa multiplices pœnitẽtiæ fructus in Christianorum animis procreandos, quod equidem onus in sacris præsertim confessionibus audiendis & conscientijs rudium disponendis consistit: (hoc faxit Christus Dominus) sanè arbitratus sum tutius facturum, si Tabulas seu catalogum & artificiosum ordinem Casuum varijs Ecclesiæ Prælatis & Antistibus reseruatorum construerem, clariùs perficerem, & præsentibus amicis in eodem sacro exercitio adessem, si mihi ac cæteris aliquid consilij impertire & prodesse possem: nec dum cer-

tè mihi tunc venerat in mentem editio tantæ molis, quinimò, profitebar initio vel nihil vel extensas duntaxat & planas Tabellas chalcographo tradere, non autem materiam in voluminis formam redigere. At profectò accidit, vt postquam tres generales Tabulas seu Casus communi iure reseruatos perlegerunt nonnulli Theologi Parisienses in hoc studij genere excellentes, suaserint Tractatum in lucem edere, eò quod vniuersam materiam accuratè & distincta methodo conscriptam aduerterent, cunctísque Pastoribus ac Sacerdotibus, qui suo vel alieno nomine animarum curam gerunt, vtilissimam esse iudicarent: eámque ob caussam suscepta hac libri forma, nos etiam plurimos Tabularum articulos, qui explicatione indigebant, latiùs paulò exposuimus. Præterea, censuerunt ipsi colligendos esse ex omnibus Galliarum partibus articulos seu Casus Archiepiscopales, singulósque eadem operâ à nobis hîc explicandos, quô maior latiórque esset iste animorum profectus. Hanc ergo difficilem prouinciã quæ sesquiannum me tenuit, lubens pro Ecclesiæ vtilitate suscepi, missis in varias Galliæ partes nuntijs ac literis, non sine molesta sollicitu-

dine. Quia verò prouinciales articuli à nobis explanati minimè eo ordine ad nos peruenerunt, quo istic sternuntur, & quoniam denuo vrgent tempora, quæ me aliò vocant: eam ob causam prudentem Lectorem monemus, vt si quid nostræ interpretationi desit, expectet alteram editionem. Siquidem collectis multorum suffragiis circa primum hoc proludium, vel mutatis Antistitum cõsiliis seu articulis, vt sæpè fieri assolet, speramus tunc accuratius materiam hanc pertractare. Interea omnes obsecramus ne quis prouinciales articulos in Gallicam linguam tradere aggrediatur. Nam etsi id opportunum fore dictitent nonnulli, nimirum ad maiorem plebis & faciliorem inferiorum Sacerdotum instructionem: plures tamen & maximè R. R. Archipræsules ac eruditi viri opinantur satiùs fore, si sola latina editio palam feratur. Ratio est quia eiusmodi prouinciales & Diœcèsani canones nõ sunt fori externi atque ciuilis, vt cuique necessariò debeant innotescere: sed ad forum interius duntaxat pertinent, continéntque arcana Episcoporum & secretiores Constitutiones, quæ vnis Sacerdotibus aut saltem prudentioribus & literatis tantum laicis, at non

toti plebi demandari debent, ut exactiùs suo fungantur munere, & plebs ore Pastorum non scripto hac de re moneatur. Quòd si qui Sacerdotes in horum lectione hæreant, neque pariter eos locupletes Summularios mẽte capere possint, quos quibusque in locis citamus: sanè magis consentaneum est adeant & consulant eruditos, quàm horum gratiâ vulgari idiomate singula tradantur, margaritæ forsan ante porcos proÿciantur, & garrulæ ac imprudenti plebeculæ hæc arcana cõmittantur vel exponantur, quæ magis hisce commentarÿs abuteretur, quàm ÿs sapienter sobriéque uteretur. Loquor potissimùm de Gallica editione unà cum suis Scholÿs. Nam id quod dicimus periculi, inesse posset frequentiùs circa huiusmodi Scholia, quàm circa ipsosmet breues Casuum textus: quæ quidem Scholia toti Ecclesiæ præterquàm Galliæ utilissima sunt, etiam quia vulgò in cæteris regnis alÿ articuli nequeunt reseruari, quàm ÿ quos in Gallÿs pro reseruatis proponimus. Eapropter (ut ad anteriorum conclusionem deueniamus) solus contextus Tabularum Archiepiscopalium Gallicè tutò uerti posset: aut saltem maximè decet ut Parœci in suis conciunculis bis, vel ter in an-

no plebi denuncient purum textum & idioma Casuum summo Pontifici, & per quasque prouincias reseruatorum, quo populi hoc sufficienti metu inducti & moniti à grauioribus culpis abstineant. Quòd tamen attinet ad tres generales Tabulas quæ antecedunt, eas multo cum fœnore in vulgarem linguam vertere nobis licebit, neque talis versio secum afferet illa incommoda, qualia gignere possunt prouincialia commentaria. Hanc autem limitatam versionum prouinciam aggrediemur Deo bene propitio paulò post primam hanc promulgationem, non sine maturo iudicio, prudentúmque sententijs: cùm res hæc sit multi momẽti. Cæterùm, studuimus gratæ atque iucundæ bræuitati, quantùm licuit: vt libellum quisque secum deferat, exiguum quidem mole, sed fortaßis ingentem virtute, materiæ dignitate, amplitudine, & rei neceßitate: quandoquidem res satis arduas amplectitur, & continet summam infinitorum propè scriptorum superioris ætatis. Ideo verò ex multorum assensu negotium hoc ad finem perduximus Lutetiæ, quia nos puduit diutiùs videre plures orbis Christiani partes scatere erroribus, & inscitia negligentiáq; circa res quæ spectant

ad con-

ad conſcientiarum regimen, & interiorem atque præcipuam ſtatutorum Eccleſiæ obſeruationem: quos ſingulos defectus pia mẽte reſarcire expetiuimus. Atque vtinam in Reipublicæ Chriſtianæ vtilitatem aliquid præſtare poſſemus, vel poßimus in poſterũ. Interea, hoc ad extremum nobis occurrit dicendum. Opere Pariſiis completo, poſtquam Lugdunum illinc appulimus ad publicũ Eccleſiaſtis munus vocati, cùm in ampla Lugdunenſi Typographia ob noſtram præſentiam putaremus Opuſculum typis demandare, multi Pariſienſes Theologi publicæ vtilitatis ſtudioſi & oculati Operis teſtes, volumẽ ad ſe mitti & Lutetiæ potius edi in lucẽ peroptarunt: atque velut ſponſores fidelis editionis authore abſente, honorifico tantæ Academiæ prælo vtendum ſuaſerunt, in ea graui materia quæ intimos animorum receſſus penetrat. Cui prudentißimo amicorum conſilio ac deſiderio facilè annuimus, miſſa quoque Epiſtola liminari, quam in fronte libri illuſtrißimo Galliarum Primati Lugduni deuouere libuit. Vale: & diuinum numen pro nobis obſecra, Lector optimè: ac vtere opella noſtra fœliciter.

APPROBATIO Doctorum.



Os subsignati Doctores Parisienses diligenter legimus atque euoluimus hunc Librum, Cui titulus est (*summa omnium excommunicationum & Casuum reseruatorũ. Auctore* M. Iacobo Seuertio, *sacræ Theologiæ Doctore Parisiensi.*) In quo nihil offendimus fidei Catholicæ Apostolicæ & Romanæ, vel probis moribus contrarium: sed plæraque omnia scitu dignissima, & sacerdotibus presertim animarum curam gerentibus valde necessaria. Itaque eum ad publicam multorum vtilitatem excudendum & in lucem edendum iudicauimus. Datum in Sorbona die 5. Aprilis. Anno Domini sexcentesimo primo supra millesimum.

IOANNES FILESAC.

PHILIPPVS DE GAMACHES.

J. Paulini a S. Barthol. Carm. Discalc.



PRIMA PARS HVIVS SVMMÆ,

Quæ est de Excommunicationibus Papalis absolutionis.

Aliquot obseruationes, seu Præludia ad totum opus.

PRIMA.

VARIÆ & multiplices Reseruationes maiorum excommunicationum à iure, cùm Papalis tum Episcopalis absolutionis, non leguntur hactenus ad vnguem ab vno eodémue Authore seorsum aut simul collectæ. In primis Sanct. Antoninus [a] censuras Papalis solutionis cum Episcopalibus aut alijs miscet per capita vnum & septuaginta, pariterque Fumus [b] per numeros 95. Deinde Turrecremata post Hostiensem, [c] quando dicit se velle Casus Papæ

a 3. parte toto tit. 24.
b in aurea Arm. verb. Excōmunicatio.
c Dist. 17. §. huic Sedi.

reſeruatos deſcribere, expromit duntaxat multiformem Sedis Apoſtolicæ poteſtatem circa Epiſcopos per orbem conſtituendos, circa diſpenſationes largiendas, circa irregularitates obliterandas, & id genus alia. Quæ quidem poteſtatis inſignia illic ſexaginta articulis comprehenſa, ſunt alterius ordinis à præſenti inſtituto, atque aliena à nomine Caſus, cuius proprium vſum hîc requirendum putauimus, & cuius proprietates tum in quarta animaduerſione, tum in tertia Tabula clarius occurrunt exponendo. Tertiò, quinquaginta item Caſus Papales, omnes penè ſimiles, & rurſum huc non ſpectantes, percurrit Syluester., [d] Quarto, Nauarrus in ſuo Enchiridio cap. 27. [e] & Ioannes Polancus diſtinctiùs quidem atque ſeorſum Papales eiuſmodi excommunicationes deſcripſerunt: at non omnes planè, neque eo perſpicuo ordine quem res videtur poſtulare. Eapropter nos præſentem indicem ac ſequentes duos ſumma breuitate cõſcripſimus, inque lucem ex multorum conſilio edi permiſimus; vt ſcilicet tota materia aperta methodo, accuratè & paucis aperiretur: maximè quia plures literati ac ſtudioſi viri hanc opellam Reipublicæ Chriſtianæ pernеceſſariam expetiêrũt, totámque rem breuiori quodam ſpeculo oculis ac mentibus proponi deſiderarunt, ne confuſum & ingentem librorum aceruum reuoluere cogerentur. Singulas autem vete-

d *verb. Caſus.* 2.
e *ann.* 55. *ad* 112.

res excommunicationes iuri inſertas & apoſtolicæ Sedi reſeruatas ſic expreſſimus, vt alias certè adiunxerimus à recẽtioribus Pontificibus ſub Canonum titulo inflictas, quæ nondum iuri inſeruntur. Vniuerſam verò materiam in locos ferme communes diſtribuimus: nimirum in eas excommunicationes quæ propiùs paulò verſantur circa animi infidelitatem, poſtea in eas quæ circa damna ſeu detrimenta perſonalia, tum circa iuriſdictionem, vlteriùs circa Clericos ac circa fortunæ bona, denique verò circa corruptos mores, vbi ſermo nobis eſt non tam de excommunicationibus ab homine, quàm à canone. Sic enim clarius hoc ipſum tradendum cenſuimus: vt quo d quiſque optauerit certiſſimè habeat præ manibus. Atque eam ferè ſeriem in alijs duabus reſeruationum Tabulis retinemus. *Operis ordinatio.*

SECVNDA.

Litera capitalis B. vbicũque Articulorum apponitur, denotat excommunicationem è regione collocatam, eſſe Bullæ cœnæ Domini (cuius Bullæ commemorationem hîc prętermittere non potuimus) vt facillimè conijcias omnes reliquas excommunicationes ea nota minimè inſignitas, illas eſſe quæ apud Summularios appellãtur Papales excommunicationes extra Bullam Cœnæ, ſiue in Ex-

trauagantibus siue in reliquo iure canonico siue alibi etiam extent. In tribus verò Tabulis frequentius Nauarrum veluti pluribus notum & tritum citamus,& in Casibus extra Bullam,ad maiorem fidem præcipuos Canones proferimus, summariáq; distinctionum insinuamus pro exactiore Casuum excipi ac retineri solitorum notitia: In reliquis,fusiùs apud præfatos Authores latentibus,ipsorum authorum loca & nomina exactissimè proferuntur,vbi passim Articulorum materia hoc exigit.

TERTIA.

Absolutionem dupliciter conferri.

Absolutio maioris excommunicationis, siue ab homine siue à iure, siue rursus Apostolicæ sedi siue Episcopis saltem reseruata, conferri potest altero è duobus modis scilicet vel in foro exteriori,soléni ritu, ac etiam scripto, in absentis gratiam, ex Soto in 4. sentent. [g] talísque Ordinarius atque perpetuus absolutionum minister est solus Sacerdos, & per temporaneam delegationem potest esse alius non Sacerdos, ex Nauarro [h]: vel secundò eadem absolutio in conscientiæ foro & auriculari confessione per viam sacramenti perficitur quod quidem fit à solis superioribus Sacerdotibus, hoc est ab Episcoporum Pœnitentiarijs eorúmue subdelegatis, ex Syluestro [i]: ídque intelligitur circa censuras reseruatas: quia circa excommuni-

g *Dist. 18 qu. 2. art. 6. §. primum.*

h *Cap. 27. nu. 41.*

i *verb. Absolutio. 1. nu. 3. in 5.*

cationes non reſeruatas (quas in Tabula ſecunda vſque ad quadraginta numeramus) parœcis abſoluere licet in eodem tantùm foro conſcientiæ. Horum autem anathematum abſolutio priùs ab ipſis Superioribus petenda eſt. Deinde, ſi ipſa cenſura in exteriori foro ſublata ſit, parochiales Sacerdotes pœnitentem poſtea abſoluere poſſunt à culpis ſeorſim relictis, propter quas reus cenſuras incurrerat: alioqui nulla eſſet præuia & præpoſtera abſolutio à culpa. Etenim ex eodem Nauarro [k], ſublato ſemel Papalis excommunicationis vinculo, nullum omnino ſupereſt peccatum quoad culpam Papæ reſeruatum. Bene tamen aliquod horum à ſolis Epiſcopis remanet abſoluendum, iuxta communia & varia particularium Synodorum ſtatuta: de quibus Epiſcopalium Caſuum articulis tractat tertia Tabula generalis. Sin autem excommunicatio reſeruata in conſcientiæ foro tollenda eſt, tunc profectò aut eius abſolutio debet præmitti, & à ſuperiore obtineri vnà cum peccatorum non reſeruatorum confeſſione & abſolutione, aut certè Parochus petita ſecreta venia ab ipſo ſuperiore pro quaque vice, etiámque literis, commodiùs abſoluet à reliquis culpis, ſimúlque à cenſura ad retinendam accuratiſſimam ſacramenti vnitatem ac integritatem quantùm fieri poteſt, iuxta dictum Nauarri, [l] & ad vitãdam quoq; eiuſdem confeſſionis

k *loco cit. nu.* 261.

l *Cap.* 9. *nu.* 5. 6. 7. *&c.* 26. *nu.* 6.

m art. 5. §. Igitur quo. repetitionem ex Soto loco citato. [m].

QVARTA.

Casus quotuplex.

Vox Casus reseruati generaliori quidem vsu denominat & continet tum peccata & culpas, tum etiam excommunicationes seu pœnas Ecclesiasticas, quæ propter commissa delicta incurruntur, teste Syluestro. [n] Propriè verò & strictè id nomen, hoc loco significat solùm culpæ reatum Superiori reseruatum quoad sacramentalem absolutionem in pœnitentiæ foro celebrãdam. Vt colligitur ex Nauarro, [o] qui dicit Casum significare peccatum quo quis cadit à rectitudine virtutis, & clariùs ex Soto locis citatis. [p] Vnde, quando aliquis Episcopus delegato concedit solum suos Casus, hoc est sola peccata sibi reseruata in particulari sua Diœcesi, sine vlla mẽtione censuræ, non pariter concedit absolutionem ab illis excommunicationibus quæ aut ipsi aut omnibus etiam Episcopis canonico & communi iure reseruantur, quæque secunda Tabula describuntur, nisi hoc ipsum exprimatur, quia à diuersis nõ fit illatio, ex ipso Nauarro [q]. Hinc apertioris distinctionis gratia, maluimus hãc primam atque secundam Tabulam generalem (quæ ambæ sunt de excommunicationibus) inscribere *Excommunicationes reseruatas*, quàm Casus reseruatos: vt tertiam Tabulam

n verb. Casus 1.

o Cap. 27. nu. 259.

p §. igitur attẽtus. ad calcem.

q nu. 261.

Tabularum inscriptiones.

à duplici antecedente plurimùm diſcrepantem inſcriberemus, *Caſus reſeruatos*. Ipſa enim poſtrema Tabula, in communibus ſaltem Epiſcoporum Caſibus, de ſolis peccatis agit nulli cenſuræ annexis: quanquam in particularibus nonnullarum Diœceſeum Caſibus aliquæ excommunicationes quandóque miſceantur.

QVINTA.

Iuxta priorem illam diſtinctionem & acceptionem Caſus rectè ſentiunt doctores nullum eſſe caſum Papæ reſeruatum cui non ſit cenſura connexa. Quo fit, vt quando Bulla Pontificia Parochis & inferioribus ſacerdotibus facultatem facit abſoluendi à Caſibus Papalibus, videatur ſimul tradere poteſtatem abſoluendi à cenſuris Papæ reſeruatis: & ſi in ea Pontifex cenſurarum non meminerit. Nauarrus [r] & reliqui [ſ] Summul.

Caſuum qualitates.

[r] *nu. cit.*
[ſ] *verb. Caſus.* [u] *nu. 19. 2. Emanuel verbo caſus.*

SEXTA.

Ex doctoribus paſſim apud Nauarrum in Conſilijs, [t] leges Eccleſiaſticæ ijs canonibus contentæ qui in hiſce Tabulis citantur, & quæ forſan Romæ duntaxat promulgatæ ſunt, ligant nihilominus omnes alios Chriſtianos & præſertim harum conſcios per alias Catholicorum prouincias diſperſos vbi

[t] *lib. 1. Conſil. 1. tit. de Conſtit.*

Quæ leges obligãt quãdo & in quibus regionibus.

illæ iam introductæ & receptæ ſunt. Nam vel ſunt leges veteres, vel certè sũt ſatis peruiæ, & ex frequenti lectione permultis notæ vtpotè ſanctiones Sexti decretal. Clementinæ, Extrauagantes, [u] tum iuri inſertæ, tum extra canonicum corpus impreſſę, Bulla Cœnæ, & leges in ſacro Concilio Tridentino iteratæ ac confirmatæ aut recèns etiam conſtitutæ. In illis autem remotis prouincijs in quibus nouellæ conſtitutiones præſertim nec promulgatæ nec vſu & ſuperiorum authoritate receptæ ſunt, non obligant etiam ſcientes, nec eos etiam qui ipſas ſcire poſſunt, [x] quales ſunt verbi gratia ſacerdotes. Itaque non peccant non obſeruando dummodo abſit contemptus omnis, & res ad ius diuinum aut naturale non pertineat, quamuis ipſi qui primi nolunt recipere ſæpiſſime peccent mortaliter. Nondum verò obſtringunt eoſdem extraneos poſt duos menſes promulgationis factæ ipſis Romanis, [y] quãuis tunc quoſuis Romæ ligent: ſed poſt id tempus ſolum quod vir bonus ſiue Iudex arbitrabitur ſufficere. Quo elapſo, ſi tales pœnalibus ijs legibus aduerſentur, nec poſt receptionem eas obſeruent, tunc peccant, [z] ſimulque cenſuras incurrunt. Attamen illi qui laborant ignorãtia non craſſa (ſicuti mediocriter literati) ſed inuincibili ſeu iuſta & probabili, ſcilicet qui vel leges obſeruare non tenentur, vel noſſe non poſſunt adhibi-

x de valentia. 1. 2. diſp. 7. q. 5. p. 5. Nauar. tit. de cõſtit. to. p. cõſil. nu. 32. Syluester verbo. lex. n. 6.

y nu. 21. ad 4.

z nu. 22. Ignorãtia quotuplex, & quæ.

ta diligentia, ante communem earum receptionem in sua prouincia, excusantur in foro interno præsertim à tanto:[a] non autem post decennium à receptione:[b] tum quia leges quæ ius nouum inducunt (vt si quæ deprehendũtur in Concilio Tridentino[c] aut recentiores aliæ) neminem ligant, etiam conscium, donec in prouincia pateant & recipiantur publica authoritate, vel in veterum & notiorum naturam abeant. Sicque confessarius in regione vbi lex non est promulgata seu recepta, minimè tenetur pœnitentes ignaros Canonis admonere de tali Bulla circa quam nondum peccant,[d] sed absoluere potest. Idémque præstandum circa alia dubia quæ problematicè tractari ac defendi possunt de rebus ipsis ad securitatem conscientiæ pertinentibus, quando deest opportunitas remittendi pœnitentes ad alium Sacerdotem qui aut ignoret eiusmodi reseruationem, iuxta ea quæ alibi diximus,[e] vel qui alteram partem problematicæ quæstionis tueatur, quam fortè præsens Confessarius non sequitur, vel qui denique potestatem habeat absoluendi.

a *nu.* 21.
b *nu.* 24. & *quæst.* 8. 9.
c *nu.* 29. & 31.
d *Quæst.* 10.
Sacramẽtalis Cõfeßio rei problematicæ.

SEPTIMA.

Exactior horum omnium cognitio per necessaria est tum Episcopalibus Pœnitentiarijs aliisque vicarijs, necnon simplicibus qui-

Operis necessitas.

buscúmque Sacerdotibus, vt tutò aduertant quando ad superiorem remittendi sunt pœnitentes: tum etiam cunctis ipsis pœnitentibus, quatenus à perpetrãdis eiusmodi peccatis magis deterreantur. Piè igitur hortamur vnumquemque vt libellum hunc aut alium similem perutilem animísque salutarem perpetuò habeant prę manibus, grauem humanæ intelligentiæ caliginem hac præclara sui ipsius cognitione expellant prorsus, nec iam de industriâ aut ex negligentia velint affectata ac tantopere damnanda ignorantia laborare. Sed iam ad rem veniamus.

PAPALIVM EXCOMmunicationum genera & species.

QVÆ AD INFIDELITATEM §. 1.

1. *HÆRETICI manifesti per patentem falsæ fidei professionem, tanquam apostatæ à fide: perindéque negantes Romanam Ecclesiam aliarum esse caput, aut non posse decreta condere. B.* Hic est velut textus primi articuli à nobis propositi, qui cum sequentibus breuis est iuxta ea quæ superiori Præfatione 1. & 2. monuimus. Idcirco pro ampliori eius intelligentia legatur S. Antoninus 3. par. tit. 24. cap. 10. Nauar-

rus in præfato Enchir. cap. 27. nu. 55. & 75. de occultis hæreticis lege etiam nostram Tabulam generalem 2. Artic. 5. Istic verò exprimimus solos manifestos hæreticos necessariò remittendos ad Romanam Sedem, non autem occultos nisi ex consilio. Ratio est quòd cùm Bulla Cœnæ Domini distinctè non loquatur apud Nauarrum, nos textum coarctamus ad notorios tum quia pœnæ sũt restringendæ quoties litera obscurior est tum quia hunc sensum disertè insinuat Concil. Tridentinum, cuius Decreto occultos sufficit ad Episcopos remittere, ex loco citato in 2. Tabula gener. Cæterùm hunc articulum & sequentes omnes trium vniuersalium Tabularum putauimus multò aptiùs describendos esse terminis concretis quàm abstractis, quantùm materiæ diuersitas in vnoquoque articulo passa est.

2. *Defensor hæreticorum, si eis faueat in hæresi quo nomine iam sunt ipsi hæretici: Non autem si ratione amicitiæ.* Vide Emanuelem verbo excomm. Bullæ. B. Nauarr. nu. cit.

3. *Legentes libros hæreticos sine Pontificis venia, dum prohibitionem sciunt aut scire debent. B.*

Authores mille trecẽti colligũtur ex prima classe alphabetici Indicis Concilij Tridentini & bullæ Pij 4. & Clement. Pap. viij. cum anathemate legentibus inflicto & eidem Papæ reseruato in Bulla Cœ. Cuius rei maior explicatio petatur ex sexta animaduersione

ſuperius poſita, ne vel timoratis conſcientijs ſcrupulus inijciatur, vel è contrario cæteris plus æquo ſibi indulgentibus ac confidentibus habenæ relaxentur. Certè illorum lectio iure Diuino naturali eſt omnibus prohibita & nimis periculoſa ac pernicioſa: qui tamen legeret vnam ſolum paginam non videtur excommunicatus, quia paruitas excuſat in omni materia à peccato mortali, & multo magis ab excommunicatione. Notandum verò, quòd in ſecunda præſertim claſſe eiuſdem Indicis, quæ inſcribitur *Certorum & incertorum Authorum*, enumerantur libri obſcœni ab antiquis conſcripti, & alij ſuſpecti atque prohibiti, ſæpe etiam à catholicis editi minùs tamen cautè atque prudenter: quorum lectio ita vetatur donec emendentur, vt ea tamen ab Epiſcopis poſſit permitti: alioqui legentes, etiamſi excommunicationem iuris non incurrant, lethaliter tamen peccāt. Id habetur in Bulla Pij 4. & Regula 5. 7. 9. & 10. indicis: ad extremam cuius calcem mandatur tales legentes ſeuerè iudicio Epiſcoporum eſſe puniendos. Vnde etiam abſolutio ſacramentalis à tali peccato videtur eſſe Caſus Epiſcopalis: quamuis eiuſdem reſeruatio nōdum inter Summularios recēſeatur. Verùm, quia Regulæ in tanta librorum multitudine id expreſſè non ſonant, vt par eſt in pœnis conſtituendis: ideo rem adhuc Eccleſiæ iudicio & ſinceræ cuiúſque Epiſco-

pi prudentiæ in singulis summittimus. Etsi verò Hæc appendix Articuli, ad tertiam Tabulam spectasset: nihilominus eum ex sapiẽtum consilio lubentiùs ad hunc tertium Articulum primæ Tabulæ transtulimus, præsertim cùm hæc appendix sit valde conformis cum potiore Articulo. Alia latiùs tradit Iaçobus de Graffijs.

4. *Schismatici ab vnitate Ecclesiæ seu Romani Pontificis obedientia se subtrahentes, licèt alioqui fidei articulos teneant.* B. Nauarrus nu. 57.

5. *Falsarij literarum Apostolicarum.* B. Idem Nauarrus citato cap. 27. nu. 62. & cap. 7. libri 5. Decretal. tit. 20. *Necnon præbentes fauorem*, iuxta Caietanum & Polancum in directorio Artic. 5. Casu 17. qui reseruãt fautores. Alioqui certè Canones, qui de eiusmodi fautoribus loquuntur velut excõmunicatis ipso iure & facto, reseruationis non meminerunt: De speciali quorum qualitate diximus alibi. * Modi verò easdem literas Papales falsificãdi sunt septem, ex cap. 5. de crimine falsi lib. cit. prim⁹ est de falsis literis appositis, 2. 3. & 4. sũt de filo multifariam vitiato, 5. de immutatione per tenuem rasuram, 6. de artificiosa & vniuersali scripturæ deletione, 7. de alia charta tenaci glutino priori abolitæ coniuncta. Tum alij habentur modi Tabula 3. generali Artic. 3. Cæteráque aptiùs commemorat Articul. 31. Tabulæ Viennẽsis infrà, cum exceptiunculis. Si mandantes nomine fautorum concipian-

* *Lib. de æquinalẽte anathemate ad nominatim.*

tur, habetur Artic. 17. Belgico.

6. *Inquisitores seu Episcopi adeò deficientes contra hæreticos, vt faueant hæresi seu hæreticis, quatenus sunt tales.* Idque secundum Caïetanum vt docet Nauarrus nu. 55. §. Quarta. Et Polancus Artic. 5. Casu 1.

7. *Inquisitores substituti, scilicet Episcopis inferiores, qui odio, gratiâ, lucro, aut contra iustitiam & falsò aduersus hæreticos procedunt: Episcopis ac superioribus per triennium suspensis ab officio.* Clementina de hæreticis Cap. Multorum. §. Verùm. lib. 5. tit. 3.

8. *Appellantes ad futurum Concilium, & à mandatis Pontificum cum Fautoribus. B.* Nauarrus nu. 58. & 110.

9. *Habentes literas & prouisiones Papæ falsas, nisi eas destruant vel resignent intra viginti dies falsitatis ab ipsis recognitæ.* Tunc enim sunt ita excommunicati ipso iure, vt reseruatio sit Papalis, etiamsi antea ferretur sententia Episcopalis. Cap. Dura. De crimine Falsi lib. 5. Decretal. §. Adijcientes.

QVÆ AD DAMNA PERSONALIA §. 2.

10. *Leuis percussio ac hostilis detentio Cardinalium, Patriarcharum, Legatorum seu Nunciorum Apostolicorum, Archiepiscoporum & Episcoporum.* Nauarrus nu. 67. & 97. Vetustiora Decreta à nobis citantur in secunda Præfa-

tione ſecundæ partis & maximè Caput Fœlicis.

11. *Illicita percußio inferiorum Clericorum & Monachorum, eáque tantùm enormis & contra conſcientiam, ſi modò extra caſus enormes atque flagrantis delicti aut inculpatæ tutelæ tentata fuerit.*

Cap. ſiquis ſuadente. 17. Quæſt. 4. & cætera habet Nauarrus nu. 80. *Paritérque iudex Eccleſiaſticus præcipiens Clericum percuti per laicum.*

Cap. Vniuerſitatis, De ſent. excom. lib. 5. Decretal. *Necnon fauorem auxiliúmque præbentes cum mandantibus.*

Cap. Mulieres & cap. Quantæ. ib. Plura S. Antoninus 3. par. tit. 24. Cap. 3. Et mandantes explicantur Artic. 10. Lugdunenſi.

12. *Mutilantes iniuſtè perſonas ſeculares in quacunque regione vel in mari, quando Romanam Curiam petunt pro iuribus ſuis requirendis, aut gratijs expectandis.* B. Nauarrus nu. 68. *Atque etiam occidentes laicum in terris Eccleſiæ ſeu Pontificiæ ditionis, quacunque iniuſta de cauſa.* Iſta appendix Articuli 12. extra Bullam Cœnæ ſtatuitur. Syluester verb. Caſus. ad 4. Clemens 7. Extrauag. 1. In ſancta, & ſumma Conſtitutionum per Petrum Mathæum edita.

13. *Domini laici mutuò pugnantes in duello: & dantes campum auxiliúmque præſtantes.* Pœnitentiarius Leodienſis Tractatu de Caſibus reſeruatis parte 1. Cap. 5. ſub hac reſeruatione Papali enumerat Extrauagantem *Ea quæ* Pij 4. Clementis 7. aliam Iulij 2. & Leonis 10. nō-

dum insertas iuri. Sed hoc non legi, Duntaxat inueni Caput 4. Regis pacifici Iulij 2. & Caput 31. Ad tollendam. Gregorij 13. Ex quibus tantùm constat, quòd excommunicatio infligitur duntaxat præfatis authoribus duelli in terris Pontificiæ ditionis. Summa Constitutionum. At præsens reseruatio infertur ex citata Extrauagante Clementis 7. quę incipit In sancta : quia duellum comprehenditur sub grauiori voluntario homicidij genere, tanquam peius, & animæ magis obnoxium. Deinde Concilium Tridentinum & postea Gregorius 13. censuram dilatant per totum orbem christianum, sine reseruationis tamen repetitione aut commemoratione. Vide Caput Detestabilis. De reformat. sess. 25. Tridentina, & Nauarrum nu. 149. art. 57. cum 59. Ab hac verò pœna hoc in articulo cōtenta excipiuntur Reges: qui si iustè permittant duellum & nomine totius Reipublicæ quando id necesse videtur tunc sanè neque peccant, neque excōmunicātur. Est enim penes illos suprema potestas ciuilis: ideóque possunt duellum aliquādo permittere, exempli gratia, si Rex certus est, vel probabiliter iudicat se aperto prælio vincendum & amissurum victoriam, & exercitum periturum, tunc potest duello omnia permittere. Caieta verbo duellū, Greg. de Val. 3. parte disp. 3. q. 17. quod etiam apparet exemplo Dauidis iam occultè in Regem vncti & à Samuele prima vice consecrati, inscio

Reges excepti à pœnis duelli.

ſcio Saüle, necnõn Philiſtæum ſingulari certamine prouocantis. Si verò non ſubſit publica & ſufficiens cauſa: tunc quidem grauiſſimè peccant, non tamen excommunicãtur. Viualdus in candelab. de excomm. nulli reſer. num. 69. Emanuel de excomm. Papæ reſerua. extra Bullam num. vlt.

14. *Domini ſubiecti Eccleſiæ Romanæ vulnerantes ſeu mutilantes patrem, filium, fratrem, propinquum, vel domeſticum propter vindictam ſuam aut propinqui iniuriam, comprehenſis mandantibus & ijs quorum occaſione eiuſmodi rixæ ſuboriuntur.* Extrauagans ſupremæ diſpoſitionis. quæ eſt Pij V. §. Cùm ſæpius. nondum inſerta in ſumma Conſtitutionum.

15. *Grauantes illos qui cenſuram aliquam proferunt, & illi etiam qui hanc præbent inflicti grauaminis occaſionem: & pariter capientes ob id amicos excommunicantis, vel bona alterutrius, ſi ſeriùs quàm intra bimeſtre reſipiſcant.* Nauarrus num. 98. Polancus Art. 5. Caſu 24. poſt caput, ſciant cũcti. De Elect. lib. 1. in 6. & Cap. Quicunque. De ſent. excomm. lib. 5. Simile Tabula 2. generali Artic. 33.

16. *Exenterantes corpora defunctorum in locis Chriſtianorum, eàque inhumaniter pertractãtes: & qui iubent vt oſſa carnibus denudentur, vel partes aliæ diuerſis in locis ſepeliantur, niſi intuitu pietatis & iuſta de cauſa id fiat, ſicuti in vſu eſt apud nobiles & optimates.* Hinc demuntur anatomici, & quærentes partem offenſam. Extrauag. Cõm.

B

lib.3.de sepulturis Cap.1.& Nauarrus nu.105.

17. *Nobiles cogentes aliquem ad celebranda diuina officia in locis interdictis: & prohibentes ne excõmunicati seu interdicti ab Ecclesia eijciantur.* cap. Grauis.lib.5.Clement.tit 10. & Nauar. num. 104. An loca intelligantur interdicta à iure, habetur inferiùs in Tabula Auxitana Artic. 5. & Artic.25.Viennensi.

18. *Detentores eorum hominum qui deuotionis causa Romam veniunt. B.* Nauarrus nu.65.

QVÆ AD IVRISDICTIONEM §. 3.

19. *LAici vsurpatores iurisdictionis ecclesiasticæ in ciuilibus & criminalibus Clericorũ causis.* B. Nauarrus præfato cap.27.nu.69.& 71.

20. *Trahentes ecclesiasticos ad alienum Tribunal præter iuris communis dispositionem, idque ante satisfactionem: aut impediendo literas Apostolicas. B.* Nauar.nu.68.Polancus Casu 15.&23.Sed istic multa occurrunt notanda. Hi duo Articuli non continent culpam multóque minùs cẽsuram in Regnis Galliæ & Hispaniæ, circa iudicia litium ecclesiastici possessorij, quæ sunt reales atque ciuiles. Primò quidem ob morem fori illis saltem in locis præscriptum, & hactenus à sacrosancta Sede Romana minimè palam reprobatum, sed veriùs ex taciturnitate comprobatum: quamuis Nauarrus hîc vno verbo sit anceps, negotium ad Papæ iudi-

Iudices Regij Galliæ circa res ecclesiasticas.

cium remittendo. Secundò, ob breuioris iudicij commoda, & propter consensum Episcoporum totiúsque Cleri litigantis: qui consensus optimè admittitur ex Cap. Clericum. 2. Causa 11. Quæst. 1. adeóque nunc à notâ vsurpationis liberat regios iudices sic dudum assuetos, nec vi Clerum pertrahentes, sed liberè venientem recipientes, ex Nauarro in Cōsilijs [e]: prouidéque circa hos vix sibi conscios nō laborabit Sacerdos. Et reuera Clerus Gallicanus consensum sat præbuit iam à tempore Philippi 4. Valesij, Prælatis coram Rege congregatis *. Tertiò, quia ad eos perducere licet Clerum in iusticia proprij sui fori circa temporalia ecclesiæ deficientem, ac peccantem, saltē indirectò iure, ex Glossa Cap. Qualiter & quando de *Iudicijs* [g] *& Cap. Principes 23. Quæst. 5. vbi scribitur quòd Principes seculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent.* Bullata autem censura videtur comprehendere solùm laicos iurisdictione pollentes & vi pertrahentes Clerum appellantem ad suos Officiales in sententia ferenda satis expeditos, aut ab initio processus coram ipsis litigantem: complectitur quoque Clericos tali violentiæ fauētes, ex eodem Nauarro. Quartò, quia ex Didaco Couarrunia Hispano & catholico Authore etiam Romæ, Omnis causa ecclesiastica possessoria non coniuncta titulo beneficij seu proprietati & liti spirituali directè ad regium prætorium pertinet, Cap. 35.

e *lib. 1. tit. de Constit. Concil. 1. nu. 80. & 81.*

* *An. 1329. Præside Cardinali Bertrando.*

g *lib. 2. Decreta. tit. 1.*

Practicarum quæstionum nu. 2. Quo fit vt id membrum sit ius seculare vbique terrarum cõmune. Adde quòd causę possessionis & proprietatis seu petitorij bene possunt coram diuersis tractari cap. significauerũt & Glossa tit. Iam cit. Idẽ quoque concluditur circa eas personales & criminales Clerici lites, quę oriũtur ex homicidio, periurio, & alio prophano crimine, etiam sępe citra degradationẽ: dum modo reus admonitus fuerit & pertinaciter monitionem spreuerit, cap. *Cùm non ab homine* de Iudicijs, cap. *Perpendimus* cap. Contigit in Decretalibus[h] & cap. Clerici in 16.[i] non autem circa processus qui manant ex crimine spirituali aut ecclesiastico, vt pote ex enormi abusu sacramentorum & cæteris, sicuti colligitur ex Couarruuia cit. cap. 32. Practicarum quæstionum. Vnde hæc fori Ecclesiastici portio hodie pergit penes Episcopales Officiales esse, vnà cum merè petitorijs: Quinimò in causis etiam spiritualibus rem quandoque coram laico iudice ab initio pertractari admittit Nauarrus, quando Sacerdotes ex quorũdam malitia seculare forum sequi ac comprobare coguntur, quia hodie flocci penduntur Episcopales censuræ in quibusdam prouincijs. In Gallijs tamen Senatus primâ lite consensum iudicis Episcopalis hîc paulô desiderat, quasi retẽta veteri forma Ecclesiæ. Etenim regium illud Tribunal consueuit Clericos criminosos ad regium forum vocatos post causæ instru-

h *lib. 5. tit. 39.*
i *lib. 3. tit. 1.*

Clericus criminosus quomodo iudicãdus.

ctionem cùm vno ex ſuis Conſiliarijs ad Officialem conducere: qui ſi præſente Senatore reos inueniat morte dignos, eoſdem ad Curiam ſecularem ipſo reduce Senatore ſolet remittere in ſcriptis, loco antiquę degradationis, vt illic extrema litis ſententia feratur. Circumferuntur præterea plures exceptionum Caſus toti iterum orbi Chriſtiano communes: quorum vnus, qui ſit hîc ordine quintus, dicitur eſſe quoties Clericus ob alienum æs quo ſe non liberat de fuga cogitat, quia in carceres laïcos conijci poteſt, eo tamen animo vt ſacro iudici tandem reſtituatur. Panormit. in cit. Caput cum non ab hom. Sextus eſt ſi Clericus aduerſus laïcum petitor euadat in poſſeſſoria vel criminali lite: tunc enim facultas datur vtrique, vt apud laïcum iudicem accuſationes proponantur: & denuò pulſans ſiue actor forum rei atque pulſati ſequitur, 3. quæſt. 6. cap. 16. Septimus caſus per modum reconuentionis excitatur, vt quando actor, verbi gratia laïcus, contra aduerſarium Clericum literas impetrat: túmque reus ipſe Clericus actorem coram eo iudice recõuenit, vtpote Eccleſiaſtico; & poſtea actor ſuper reconuentione appellat ſi volet coram iudice ſuo qui regius eſt. In quo quidem tribunali finiundalis eſt. Depromitur ex cap. Prudentia de mutuis petitionibus [m] & in ſolis criminibus locum habet, in quibus Clerici actores eſſe non poſſunt. Alia decernuntur in Decre-

[m] *lib.* 2. *Decretal. tit.* 4.

tali *At si clerici*: De iudicijs verb. *Non tenet.* Octauus, de clerico monogamo est, qui coram profano iudice in ciuilibus litem omnem intendere debet, etiam quandiu sacras vestes gerit: tum in criminibus quoque, quando easdem non defert, Cap. *Ex parte tua.* De Clericis coniugatis. [n] Nonus, quando Clerici sunt schismatici, aut incorrigibiles perspiciũtur, vt nisi seculari præsidio ad rectitudinis semitam reduci vix possint, Cap. *De liguribus* 23. Quæst. 5. Decimus est si idem Clericus fidem euertere volet: quod æquissimum videtur ex ipso iure naturæ, Cap. Nec licuit. Distinct. 17. & Glossa. Vndecimus, si sit falsarius in ære cudendo, lib. 5. Extrauagantium communium de crimine falsi, & clariùs Glossa citato Cap. *Principes*. Videtur tamen præsupponere depositionem aut saltem præfatum assensum ab Episcopo obtinendum. Circa reliqua autem iudicia tanquam paulò dubia, quando Nauarrus in Consilijs quæstionem ingerit, [o] an sint absoluendi (aut quibus conditionibus) nonnulli Regij Consiliarij & iudices, qui Romani Pontificis Diplomata seu Bullas supprimunt aut prohibent publicandas, vtpote Bullam Cœnæ Domini vel alias generales seu speciales: respondet atque concludit, *quæstionem esse generaliter propositam, non facta mentione de priuilegio quod* (aliquando) *prætendunt habere, nec de modo vel causa & fine quo vel ob quem id faciunt: ac indigere videtur* (ait)

n *lib. 3. Decretal. tit. 3.*

o *cit. loco, nu. 55. quæst. 21.*

decisione Papali. Et bene sanè: Nam sæpiùs illi modi & intentiones seu fines sunt rationi cōsentanei: potissimùm si iudices aliquid ex allatis XI. Casibus aut similibus exemplis in occurrente facto deprehendant. Priuilegium verò Gallicanis saltem iudicibus concessit Martinus Papa 5. Carolo 7. Regi Christianissimo ad annum 1428.[p]. Quo quidem ipse Regios Franciæ Senatores in veteri suo more relinquit atque confirmat circa omne genus Ecclesiastici possessorij: *dummodò in cōtemptum iurisdictionis & libertatis Ecclesiasticæ* (inquit in medio) *vt partes diutiùs perturbarent*, hoc non fecerint: scilicet vt id præstent litigātium potiùs iuuandorum gratiâ: & maximè res ideo legitima est, quia illo fine Clerici plerique in Senatibus aliisque prætorijs statuuntur Consiliarij ac nonnulli Præsides. Hæc de locis priuilegiatis simúlque de generalibus exceptionum capitibus: non obstante quòd Clericus antiquiori Ecclesiæ vniuersalis statuto immunis sit à forensi laicorum Curia ex 11. Quæst. 1. Cap. *Christianus*. Cap. *Syluèster*. Cap. *Relatum*. Cap. *Experientiæ*. Cap. *Si quis Sacerdotum*. 23. quæst. 8. Cap. *Hi à quibus*. Quibus omnibus dictis conferunt etiam ea quæ narramus Animaduersione 6.[q] Pergamus ad sequentes nunc breuiùs perstringendos Papalium excommunicationum Articulos.

p *Feraldus in lib. Priuileg. ex stilo Curiæ Parlamenti.*

q *suprà.*

21. *Proceres quicunque electi & eligentes Comitem, Optimatem aut alios in Senatorem Romanum,*

Patritium, Rectorem vrbis, vel in eiusdem officia, sine Papæ consensu.

Capite *fundamenta.* §. *Proinde.* & §. *Contemptores.* lib. 1. de Elect. in 6. Nauarrus nu. 95. & Polancus Casu 41.

22. *Excommunicatus à Pontificis Legato, elapso anno concessæ iurisdictionis sine executione sententiæ, ad Romanũ Pōtificem est remittẽdus pro absolutione.*

Cap. *Quærenti.* lib. 1. Decretal. tit. 29. & Nauarrus nu. 40. ac 93. Artic. 111.

QVÆ AD CLERICOS. §. 4.

23. *CArdinales simoniaci in electione Romani Pontificis.*

Nauarrus præfato Cap. 27. nu. 111. Iulius 2. in Extrauag. & Concilium Lateranense vltimum sess. 5.

24. *Religiosi & Clerici seculares inducentes alios ad promittendum voto, vt sepulturas in suis Ecclesiis eligant.*

Cap. *Cupientes.* §. *sanè.* lib. 5. Clement. tit. 8. & Nauarrus nu. 103.

25. *Religiosi tum absoluentes aliquem à maiore excommunicatione.* (quæ sit Parochis communis in absoluendo ex Tabula 2. vniuersali) *tum sacramenta administrantes demptis baptismo & pœnitentia, atque aliud quoduis parochiale officium vsurpantes ex præsumptione & sine licentia.* Clement. cit. tit. 7. cap. 1. Idem Nauar. nu. 101.

26. *Religiosi Mendicantes qui conuolant ad aliũ ordinem præter Carthusiensem, ac etiam quicunque eosdem recipiunt, vtrique sine permissu Sedis Apostolicæ hoc ipsum præstantes.*

Lib. 3. Extrauagantium de Regularibus cap. 1. & Nauarrus nu. 106. Artic. 22.

27. *Dans vel recipiens aliquid ex pacto pro ingressu religionis, nisi ex pia consuetudine in communitatis Ecclesiæ vtilitatem.*

Nauarrus nu. cit. 106. artic. 20. & lib. 5. Extrauagantium, de Simonia cap. 1.

28. *Simoniaci in beneficio vel ordine scienter, & mediatores in sola reali simonia, per quam ipso facto excommunicantur.*

Hîc igitur non comprehenditur Simonia quæ solummodo est conuentionalis inter partes, multóque minùs mentalis, neque etiam realis commissa circa simoniacam pensionis translationem, aut circa emptionem & venditionem iuris patronatus, cùm non sint beneficia. Neque proinde ista peccata inducunt excommunicationem iuris, sed duntaxat mortale peccatum nemini reseruatum iure communi. Vide citatam Extrauagantem cap. 2. & Nauarrum in Enchiridio loco cit. Artic. 21. necnon in suis Consilijs lib. 5. tit. de simonia, Consilio 59. 60. 62. 65. 66. Simonia autem conuentionalis tantùm, definitur apud Nauarrum, Simonia conuenta expressè vel tacitè, nondum tamen ab vtraque parte executa (his scholasticis verbis vtitur)

quæ nec maiorem excommunicationem, nec irregularitatem tali presbyteró celebranti inducit in foro conſcientiæ. Realis veró eſt conuenta expreſsè vel tacitè & vtraque parte completa, ſaltem quoad aliquam partem promiſſorum vtriúſque partis. Et hæc cum ſua cenſura hîc reſeruatur. In Enchirid. cap. 23. nu. 104. & 105.

29. *Acceptantes ſcienter Eccleſias ac beneficia in confidentiam, non ſimplicem quidem, ſed in conuentionalem ſimoniacam etiam tacitam, multóque magis in realem, vnà cum beneficiorum priuatione poſt coniecturalem probationem: quia peior eſt ſimonia beneficiali.*

Nauarrus in Enchir. cap. 23. num. 110. §. ſecundò. & in cit. Conſilijs, Conſilio 17. num. 4. Extrauagans recentior Pij 4. (anno 1564.) *an. 1569 quæ incipit Romanum Pontificem. & Pij 5. * quæ incipit *intollerabilis*. nondum vtraque iuri inſerta. Concilium Tridentinum in extraneis Additionibus, Summa Conſtitutionum & Ecloge Bullarum ſeu motu propriorum. Vbi comprehenditur ſola confidentia ſic pactitia vt reſignatum beneficium regrediatur in poſterum, vel vt pars fructuum ad alios veniat, vel cùm quis hoc fine penſioné vendit (quantumuis antea authoritate Papali ritè obtentam) vt vel beneficium in titulũ vel ordinem conſequatur. Conſilio 60. & 66. nu. 2. Vtramque extrauagantem licèt odioſam dicat idem Nauarrus lib. 1. de Conſtitut. Conſilio 11. eam

Confidẽtia quotuplex.

tamen non dicit esse inualidam, sed veriùs restringit ad sola beneficia & annexa per fiduciarium pactum eò ordinata, non comprehẽsis pensionibus purè & solitariè translatis, quantumuis plerumque simoniacis, vt pote quia pœnalis Bullarum litera non est extra fines suos dilatanda. Nauarrus locis suprà cit. tum Fumus verb. Excõmunicatio. 59. Hic autẽ & præcedẽs Articulus à nõnullis intelligũtur de simonia etiã occulta præter manifestã, tum ex natura rei sæpius in occulto solùm trãsacta, tum ex constituentiũ mẽte satis clara & manifesta: quia alioqui raro aut nunquam vim haberet duplex ista reseruatio. Sed nõ est necesse hoc dicere: cõfidentiarij enim prẹsertim que custodes (vt vocãt) beneficij, se ferè semper prodũt in totius viciniæ cõspectum: scilicet quia alius annuos fructus & quidem maximè sensibiles percipit, nisi ipsi talia percipiendo, alia precio æstimari solita ex tacito saltem pacto cautè & annuatim tribuant, aut nisi serpat iniquitas subtili fructuum retrocessione, vel alteruter videntibus excusationes prætexat probabili quidem sed verè fucato & ementito iuris colore: & cæt. dum è cõtra realis simonia perpetuò lateat. Quòd verò comprehendatur simoniaca confidentia tum aperta, tum occulta quoque, non solùm subindicant Bullæ præfatorum Pij 4. & 5. verùm etiam id ex ipsis Bullis disertè repetit Consilium Prouinciale Bituricense tit. 41. De simo-

Custodes beneficiorum.

niacis Can.1.& 2.vbi insuper docetur beneficia sic comparata ipso iure vacare. Illa autem Synodus fortiorem vim (ne dicam vniuersalem) assumpsit ex approbatione Sixti Papæ V. vt infrà liquet ex Tabella Bituricẽsi. Sed videndum an istæ Bullæ & leges receptę sint: aliter enim non obligant. Alia vide in articulo 1. Auxitano.

30. *Clerici liberè & scienter participantes in diuinis, cum nominatim excommunicatis à Papa.*

Legitur cap. *Significauit.* De sent. excom. Idem habet Nauarrus nu. 93.art. 6. & Syluester verb. Excommunicatio. 7. num. 12. Laïci autem etsi lethaliter etiam peccent in eiusmodi Ecclesiastica participatione, tamen solam minorem incurrunt; Syluester verb. cit. 5. nu. 22. Paritérque censendum de Clericis non participantibus quidem sed publicas preces fundentibus pro hisce excommunicatis: Nauarrus in Enchir. cap.27. nu. 36.ad 4. Simile videndum in Tabula 2. generali Art.11. Ab hoc autem articulo excluditur metus mortis illatus clericis. Nauarrus nu. 36. Et quicunque metus cadens in virum constantem.

QVÆ AD BONA. §. 5.

31. *DIripientes supellectilẽ Apostolici Palatij infirmante Põtifice aut sede vacãte: & sciẽter detinentes reliquias aliáue ex ecclesiis tunc ablata, nisi restituerint. B.*

Nauarr. nu. 73. §. *Item.* & Polancus casu 9.

32. *Piratæ & eorum fautores spolia marina principali intentione exercentes.*

Nauarrus cit. cap. 27. nu. 59.

Tum rapientes aut recipientes bona Christianorum iustè nauigantium & deperdita in Oceano, si interueniat eis dolus postquam moniti sunt, vel retinendi voluntas ac mora in restituendo. B.

Ad hanc Papalem reseruationem nũc trahitur caput 3. libri 5. Decretal. tit. 17. Nauarrus nu. 60. & 118. Vnde nihil mirum si vnius membri censuram infirmarit Syluester verb. excommunicatio 7. in 2. Nam hæc reseruatio nouissimè adiecta est Bullæ Cœnæ à Gregorio XIII. scilicet ab anno 1583. & Syluester floruit ad annum 1500. Quod Polancus non deprehendit casu 14.

33 *Deferentes arma Turcis & alijs Christi nomini inimicis. B.*

Nauarrus nu. 63. excommunicantur quoque ipso iure mittentes arma seu victualia ipsis Turcis aut Saracenis, perindéque consulentes, etsi ipsimet non deferant, Cap. *Significauit*. De Iudæis & Saracenis lib. 5. Decretal. Cõsulere autem dicitur is qui mouet, *Cõsulere quid.*
persuadet, precatur, instruit vt res fiat, vel proponit vtilitatem inde secuturam. Nauarrus in eandem materiam ex professo cap. 27. nu. 51. & in commentario numeri 63. Qui tamen non dicit peccatum mittentium reser-

uari posse. Verùm, ipsa reseruatio tacitè videtur inferri, si missio reipsa ad hostes peruenerit. Textus verò Bullæ eorum duntaxat reseruat excommunicationes, qui etiam per alios faciunt certiores præfatos inimicos de rebus christianæ reipublicæ statum concernentibus in Christianorum perniciem.

34. *Prohibitio rerum venientium ad Romanam Curiam, aut in commoda ciuitatis. B.*

Nauarr. nu. 64.

35. *Exigentes laica authoritate collectas & annua onera ab Ecclesiasticis personis atque rebus, nisi adsit specialis voluntas Pōtificis, aut necessitas Episcoporum consensu approbata. B.*

Nauarr. nu. 71. Hic non comprehenduntur priuati latrones circa minuta portoria. Veruntamen Decretalis Non minus. De immunit. Ecclesiarum, quamuis nemini reseruetur, nihilominus nunc contrahitur ad reseruationem & sensum posterioris legis quæ est Bullæ Cœnæ, ex præfato nu. 71.

36. *Vsurpantes, etiam per sequestrationem, fructus siue reditus & iurisdictiones pertinentes ad Sedem Apostolicam, aut ad quascunque ecclesiasticas personas, sine eorum licentia ad quos iure spectant. B.*

Nauarrus nu. 71. Simile habetur in Tabula 2. vniuersali Artic. 42. vbi hic Articulus clariùs reseruatur & explicatur.

37. *Imponentes Clericis aut laicis noua pedagia atque portoria in suis terris veteráque adaugentes, quando iure carent & superiorem in temporalibus*

recognoſcunt , ſcilicet in caſibus ſibi à iure non permiſsis aut ſine Sedis Apoſtolicæ licentia. B.

Nauarrus nu.61. eóque mox reuocatur caput Quanquam. olim nulli reſeruatum lib.3. tit.20.in 6.

38. *Occupantes vrbem Romam & Prouincias Apoſtolicæ ditionis. B.*

Nauarrus num. 73. *Itemque conſpirantes in perſonam aut ſtatũ Romani Pontificis, in terras ipſius & in Epiſcopos per rebellionem ac inobedientiam.* Extrauagans Etſi Dominici. lib. 5. de pœnis & remiſſ. cap.3. Fumus verb. Excommunicatio.70. Hoc tamen poſterius Articuli mẽbrum eſt extra Bullam Cœnæ.

39. *Inquiſitores qui pecuniam vel rem pecunia æſtimabilem extorquent aut ſcienter bona Eccleſiæ ad fiſcum etiam Eccleſiæ ob delictum cleri applicant.*

Nauarrus nu.142. de Vicarijs Papæ , Epiſcopi aut Capituli Sede vacante ſe ſe occupantibus illicitè huic ſibi commiſſæ inquiſitioni:& Capite Totum.1.quæſt.3.de omni re pecunia æſtimabili. At Caſus eſt ſolum Papalis ante ſatisfactionem. Polancus Caſu 3. & Clementina Nolentes. libro 5.tit.3. Similem materiã digerit Tabula 2. generalis Articulo 14.

40. *Incendiarij tum Eccleſiæ tum ſpatij priuilegiati, poſt denunciationem.*

Nauarrus nu.94. & cap. Tua nos. De ſent. excomm.lib.5.Decretal. *Itémque verius incendiarij rerum prophanarum pariter nominatim denũ-*

ciati per quemcunque Prælatum, licèt antea ipso iure non excommunicentur. Et vtrobique mulier incendiaria comprehenditur. Glossa cap Pessimam verb. interdicimus. 23. Quæst. 5. & 8. Anthoninus 3. par. tit. 24 cap. 11. Similem penè narrationem complectitur Tabula 2. vniuersalis Artic. 9. & Tabula 3. pariter generalis Artic. 1.

41. *Sacrilegi spoliantes simul & infrigentes coniunctim Ecclesias, post Ordinarij denunciationem: etsi non incendant.*

Cap. Conquesti. lib. 5. Decretal. tit. 39. Nauarrus cap. 7. nu. 95. tum loco suprà citato in Casu sequenti. Antoninus iterum suprà cap. 12. & Fumus verb. *Excommunicatio*. n. 22. De simili sacrilegio vide Tabulam 2. generalem Artic. 10.

QVÆ AD MORES. §. 6.

42. *SCribentes & facientes statuta in publica forma contra vniuersalis Ecclesiæ libertatẽ tum in res, tum in personas: quique eam reipsa violant vi duntaxat statutorum, vnà cum iudicibus & gubernatoribus.* B.

Nauarrus nu. 74. §. *Declarantes.* & nu. 119. Polancus Casu 19. & 30. Syluester verb. Casus 4. & denuo Nauarrus nu. 262. in 3. Ad quã Bullam Cœnæ nunc reuocatur caput *Non erit.* De sent. excom. lib. 5. Decret. quia lex recèns

recèns veterem abrogat nulli reſeruatam. Concipitur verò incurri præfata cenſura, niſi ſaltem ipſamet ſtatuta falſa & confiɛta ex Archiuis reuocentur & palam radantur, cùm primùm commodè fieri poteſt. Quapropter excipiuntur illi ab hac excommunicatione & reſeruatione, qui faciunt ſtatuta priuatim, aut publicè quidem, ſed aduerſus particularis tantùm Eccleſiæ ſeu Diœceſis libertatem, vel denique illi qui aliunde violant quàm vi ſtatutorum: etſi grauiter peccent. Quod autem attinet ad intimam naturam huiuſce libertatis, explicatur parte 3. generali Artic.4.

43. *Aſſerentes alterutram partem quæſtionis de conceptione Beatæ Mariæ, ita firmiter vt oppoſitum illius partis retentæ credatur peccatum mortale.*

Nauarrus nu. 107. Extrauagans graue lib. 3. de Reliquijs & veneratione Sanɛtorum Cap. 1.

44. *Illi qui iniuriam faciunt Religioſis Prædicatoribus & Minoribus.*

Id equidem accidit ſex modis: primò tales ſunt ij qui in lucem proferunt libellos famoſos aut cantilenas in ordinis ſeu ſtatus infamiam, non tamen qui in ignominiam ipſorum religioſorũ ſeu priuatæ perſonæ, quamuis ij qui id faciunt grauiſſimè peccent, at illata iniuria non eſt peccatum reſeruatum. Secundò, qui docent præfatos Religioſos

non esse in statu perfectionis, vel non licere eis viuere ex eleemosinis; neque concionari debere, aut confessiones audire cum Prælatorum venia, citráque licentiam Rectorum Ecclesiarum seu presbyteri Cardinalis. Tertiò qui inferunt molestam violentiam locis eorumdem Religiosorum. Quartò, quicunque etiam laici in Monasterijs vel alibi detinent Apostatas ipsorum ordinum simul & Carmelitarum, postquam ab Ordinum Monasterijs seu Monachis fuerit eis denunciatum, ne eos retineant; etiámque Prælati Ordinum possunt eiusmodi detinentes excommunicare nominatim. Et præterea violatores tertij aut 4. modi absolui possunt à Prælato Ordinis in foro conscientiæ circa excommunicationem iuris contractam, idque ex priuilegio Leonis 10. Retenti verò apostatæ veriùs hîc comprehendi videntur illi soli qui habentur secundo Articulo Belgij septentrionalis sine redeundi intentione, quàm alij qui cum animo reuertendi describuntur in 22. Casu Tabulæ secundæ generalis. Quintò, quicunque Minores recipiunt Prædicatores professos absque Pontificis & sui Prioris licentia. Sextò, qui eosdem Religiosos conantur expellere ex vniuersitate Parisiensi. Nauarrus nu. 109. S. Antoninus loco cit. in Articulo 40. cap. 70. & Fumus verb. Excommunicatio. *66.*

45. *Viri ac mulieres, etiam Reginæ, ingredien-*

tes claustra Monasteriorum vtriusque sexus: excommunicatis quoque Episcopis, Abbatibus, Abbatissis, aliis ve superioribus ingressum permittentibus extra vrgentem necessitatem.

Hoc anathema iuris latet in Concilio Tridentino sess.25.de Regularibus capit. 5. & in extrauangante *Dubiis quæ* edita à Gregorio xiij. anno 1581. At reseruatio coram Romano Pontifice est apud Sanctum Anthoninum loco cit. & clariùs capite, *Vbi Gratiæ*, præfati Gregorij anno 1575. In summa Constitut. & Ecloge Bullarum: Quanquam de his leuiùs paulò loquatur Nauarrus numero 150. censura 61. quæ est Pij V. inter nemini reseruatas collocata. Insistendum enim est posteriori decreto. Reginæ tamen in Gallijs dicuntur habere priuilegium ingrediendi. Et quod ad reliquos tum viros, tum mulieres attinet videtur seruari posse consuetudo regionis approbata aut tolerata ab Episcopis. Qua in re consulatur, si lubet, sexta Animaduersio superiùs posita. Nauarrus loco citato addit alia pauca de quodam priuilegio Sixti 4. quod nos breuitatis causa prætermittimus. Alia Articul. 25. & 26. Arelatensi infrà.

46. *Abbatissa & Moniales exeuntes è claustris, nisi ex causa magni incendij, pestis & lepræ probatæ literis Superioris ac Episcopi: pariter excommunicatæ à iure.*

Concilium Tridentinum Seſſ.25.de Regularibus citato cap. 5. Et reſeruatio cenſuræ apud Romanam Sedem habetur capite *Decori*. Pij 5. tum cap. *Deo ſacris*. Gregorij 13. In ſumma Conſtitutionum Pontificum. Superiores identidem excommunicantur cum pari reſeruatione, ſi concedant licentiam vltra præfatos caſus; ijque priuantur beneficio, & inhabiles ſunt ad futura. Nauarrus cit. nu. 150. cenſura 65.

47. *Accedentes Hieroſolymam vel ad Dominicum ſepulchrum ſine licentia Papæ.*

Nauarrus num. 110. Habetúrque in libro Pœnitentiariæ ex ſumma Armilla verb. Excommunicatio.nu.69.

48. *Prælati ſine peculiari priuilegio diſpenſantes quempiam in vtrolibet foro circa quinque vota præcipua, nempe circa votum peregrinationis Hieroſolymitanæ, Romanæ, Compoſtellanæ; tum Religionis quod eſt ſolenne, ſúbque eo comprehenditur votum ſolennizatum per ſuſceptionem ſacri ordinis; & quintò circa votum perpetuæ caſtitatis, quod eſt ſimplex ſeu extra ſolennem profeſſionem Religionis Monaſticæ, etiamſi palam aut coram Parocho celebretur.*

Extrauagans communis Etſi Dominici. De pœnit. & remiſſionib. lib. 5. cap. 5. in 6. Syueſter verb. Caſus 11. verb. Excõmunicatio.7.art.70.ſub n.78.verb. Votum.4.ad 3.in 4. & Nauarrus cap. 12.num.32. in 13.ac num. 75.præter numerum 105. præfati capitis 27.

Vide infrà commentarium in posteriore Admonitione.

49. *Laici, præter Clericos, communicantes scienter cum nominatim excommunicato in crimine damnato, ob quod is est excommunicatus: si conditor Canonis aut iudex Papa sibi talium participantium reseruauerit absolutionem.*

Hic articulus apertè colligitur ex cap. Nuper. & ex Glossa, lib. 5. Decretal. tit. 39. Fumus verb. Excommunicatio. 25. Vide Tabulam 2. gener. Art. 11.

50. *Accipientes vel largientes quippiam, atque promittentes in Curia Romana, ad obtinendam iustitiam aut promerendam gratiam alicuius rei.*

In Extrauagantibus, libro 5. De sent. excomm. cap. 1

51. *Prouisi & constituti à Papa in Parochialibus Ecclesiis atque Vicariis perpetuis, non adimplentes iuramenta fideiussoria.*

Extrauagans Inter multiplices. Pij 4. non inserta iuri.

52. *Ration[illegible]n reddentes in Camera Apostolica ad integrum.*

Extrauagans *Cùm sicut*. Pauli 3. & Gregorij 13. non inserta.

53. *Officiales in sacra Pœnitentiaria expedientes aut concedentes res sibi interdictas per Bullam; & accipientes aliquid pro expeditionis acceleratione.*

Extrauagans In ſublimi edita an. 1562. & Extrauag. In omnibus. Pij 5. Ecloge Bullarum Pij 5. &c.

54. *Inferiores Epiſcopis proponentes populo, quod ſoluta certa quantitate poßint de Indulgentia ſibi ſumere Sacerdotem qui eos ab Epiſcopalibus Caſibus abſoluat: ſuſpenſis Epiſcopis ab ingreſſu Eccleſiæ & fructuum perceptione.*

Extrauagans Quàm plenum. Pij 5. loco cit.

55. *Legati atque Gubernatores Pontificiæ ditionis qui homicidam aut bannitum ad ciuitatem vel per diem vnum reuocant cum ſaluo conductu: & qui tales protegunt ſeu in ſuas terras admittunt.*

Extrauagans Supremæ. Pij 5. §. Et ſubſequenter. citata Articulo 14. ſuprà. Extat in Summa Conſtit.


56. *Excommunicati à Iudice Papa nominatim, aut nominatis peculiaribus officiis.*

Talium enim abſolutio ad Epiſcopum non pertinet, niſi ex ſpeciali mandato Papæ delegantis: teſte Syluestro verbo. Excommunicatio. 8. ad 1. &c. Hic Articulus eſt extremus à nobis in hac prima parte proponendus. Et horum omnium deſcriptio in terminis concretis propoſita, clariùs multò denotat reos excommunicationi obnoxios, quàm abſtracti termini, quos alij paſſim authores promiſcuè imitari videntur. Non enim humanitas, ſed homo errores committit.

Prætetimus tum censuram commemoratam à Fumo verb. Excommunicatio. nu. 66. quia suprà satis comprehenditur sub Articulo 44. tum aliam quoque non ampliùs controuersam vt in vsum venire possit, ibidem num. 68. Insuper omittimus eas cēsuras quas habet numerus 93. & ad extremum censuram latam in Cardinales reuelantes aliquid de secreto actis in cōsistorio Papæ, ex Concil. Lateranensi sub Leone 10. Sess. 9. in Bulla §. Pro reuerentia. Nam excommunicationes huius Concilij, aut saltem Sessionis, non sunt receptæ, testibus grauissimis Præsulibus illius æui apud Nauarrum num. 110. art. 29. nu. 111. & 148. Ista autem excommunicatio in Cardinales differt specie ab vltimo Articulo secundæ Tabulæ generalis. *Articuli de industria prætermissi.*

ANNOTATIONES duæ, In supradicta.

Prima.



ISTI omnes à iure excommunicati, quorum absolutio tota prima hac parte Pontifici Romano asseruatur, intelliguntur soli manifesti siue notorij, veluti ex 2. Tabula liquet articu- *Excōmunicati omnes huius primæ Tabulæ quales.*

lo 4. & 5. vbi constat occultorum solutionem alioqui Papæ reseruatam permitti Episcopis, vno simoniaco & confidentiario forsan excepto, de quo suprà Articulo 28. & 29. propter vitij turpitudinem non secretò comitti solitam, & quia Bulla Pij 5. de ea re sex annis sequuta est exitum Concilij sub
*an 1564 Pio * 4. absoluti. Crimen autem manifestum trifariam dignoscitur. In primis, quando lata est sententia quæ transit in rem iudicatam.
Manifestatio criminis quotuplex. Secundò, vbi criminosus fassus est crimen coram testibus aut coram iudice. Idque totum est notorium iuris, cap. Vram. De cohabitat. Cleric. & mulierum, & Couarruuias
l §. 2. nu. 8. priore parte [l] Relectionum. Tertiò, quando crimen seu factum est adeo manifestum, quòd nulla possit tergiuersatione celari, ex
m Sess. 20. Concilijs Basiliensi [m] & Lateranensi vltimo [n]. Tale autem est id quod scitur à maio-
n Sess. 11. re parte populi, viciniæ, aut collegij: vel denique subditorum, si reus sit persona publica: hoc est quando horum numerus excedit circiter medietatem communitatis. Syluester verb. Notorium 4. & Nauarrus cap. 25. num 73.

ANNOTATIO SECVNda in Articulum 48. de quinque votis præcipuis.



QVAMVIS ipso facto cum reseruatione excommunicentur Episcopi aut Abbates se ingerentes circa dispensationem eorumdem quinque votorũ: non tamen ita excommunicantur omnes ipsimet violatores talium votorum à se emissorum, sicuti vulgus confusè sentire solet. Nam id nullo aperto iure cauetur aduersus singulos. Quippe, in primis transgressores trium primorum Casuum, scilicet triplicis peregrinationis, ante legitimam dispensationem, peccant grauissimè, nihilominus sunt à censuris immunes. Deinde, quartus Casus bifariam secatur. Prioris membri transgressor est de iure excommunicatus maiore, excomm. nempe Religiosus professus, qui sine Papali dispensatione votum obedientiæ seu ordinis sui infringit per desertionem habitus, & veriùs absque redeundi intentione, Cap. vt periculosa. lib. 3. tit. 24. in 6. Syluester verb. Apostasia. in 9. ad 4. & nos Tabula 2. Artic. 22. & 54. Quod quidem peccatum est apostasia à religione, non à fide. Et reuera ista voti profes-

Voti fractio cum excommunicatione. Dispensationes.



ue inito *Tab.2.Artic. 53. & 54. siue extra ipsum violetur. Nam, teste eodem Syluestro, ° Confessarius seu Parochus de iure communi & consuetudine ab omnibus circa vota commissis potest absoluere in solo interiori foro: At possunt duntaxat in particularibus Episcopatibus sic passim reseruari, quoties nimirum Archipræsul aliúsue Antistes cum sua Synodo id decernẽdum videt: vt liquet ex 3. Tabula prouinciali casu 17. Senonensi & 11. Rothomagensi. Ad extremum, in quocunque alio voto, quod quidem dicitur simplex, Episcopus quotidiano iure dispensat: vtpote in votis aliarum peregrinationum, continentiæ temporalis: p atque perpetuæ, posito periculo sine facili recursu ad Papam; deinde in voto non nubendi, aut quouis alio perpetuo.

*Tab.2. Art. 53. & 54.

o ver. votum q. in 3.

p de his votis Syluester supra §.3. ad 6. tum §.4. & 5.

Finis primæ Partis.



SECVNDA PARS

DE MAIORIBVS EXCOMmunicationibus à iure, partim ſolius Epiſcopalis, partim etiam Sacerdotalis abſolutionis:

PRÆFATIONES DVÆ:

PRIMA PRÆFATIO.



CONTROVERSVM eſt inter Doctores, vtrum maiores excommunicationes canonis nulli reſeruatæ ſint omnes ſolius Epiſcopalis abſolutionis aut perinde Vicariorum Epiſcoporum, nõ autem parœcorum & ſimplicium Sacerdotum. Præualuit eorum ſententia quæ vult hanc facultatem præfatis cũctis conſcientiarum iudicibus eſſe communem. Sic multis rationibus ſentiunt apertè

Concilium Tridentinum Sess.25.de Regularibus citato cap. 5. Et reseruatio censuræ apud Romanam Sedem habetur capite *Decori*. Pij 5. tum cap. *Deo sacris*. Gregorij 13. In summa Constitutionum Pontificum. Superiores identidem excommunicantur cum pari reseruatione, si concedant licentiam vltra præfatos casus; ijque priuantur beneficio,& inhabiles sunt ad futura.Nauarrus cit. nu. 150. censura 65.

47. *Accedentes Hierosolymam vel ad Dominicum sepulchrum sine licentia Papæ.*

Nauarrus num. 110. Habetúrque in libro Pœnitentiariæ ex summa Armilla verb. Excommunicatio.nu.69.

48. *Prælati sine peculiari priuilegio dispensantes quempiam in vtrolibet foro circa quinque vota præcipua,nempe circa votum peregrinationis Hierosolymitanæ, Romanæ, Compostellanæ; tum Religionis quod est solenne, súbque eo comprehenditur votum solennizatum per susceptionem sacri ordinis; & quintò circa votum perpetuæ castitatis,quod est simplex seu extra solennem professionem Religionis Monasticæ, etiamsi palam aut coram Parocho celebretur.*

Extrauagans communis Etsi Dominici. De pœnit. & remissionib. lib. 5. cap. 5. in 6. Syuester verb. Casus 11. verb.Excõmunicatio.7.art.70.sub n.78.verb. Votum.4.ad 3.in 4. & Nauarrus cap. 12.num.32. in 13.ac num. 75.præter numerum 105. præfati capitis 27.

Vide infrà commentarium in posteriore Admonitione.

49. *Laici, præter Clericos, communicantes scienter cum nominatim excommunicato in crimine damnato, ob quod is est excommunicatus: si conditor Canonis aut iudex Papa sibi talium participantium reseruauerit absolutionem.*

Hic articulus apertè colligitur ex cap. Nuper. & ex Glossa, lib. 5. Decretal. tit. 39. Fumus verb. Excommunicatio. 25. Vide Tabulam 2. gener. Art. 11.

50. *Accipientes vel largientes quippiam, atque promittentes in Curia Romana, ad obtinendam iustitiam aut promerendam gratiam alicuius rei.*

In Extrauagantibus, libro 5. De sent. excomm. cap. 1

51. *Prouisi & constituti à Papa in Parochialibus Ecclesiis atque Vicariis perpetuis, non adimplentes iuramenta fideiussoria.*

Extrauagans Inter multiplices. Pij 4. non inserta iuri.

52. *Rationem non reddentes in Camera Apostolica ad integrum.*

Extrauagans *Cùm sicut*. Pauli 3. & Gregorij 13. non inserta.

53. *Officiales in sacra Pœnitentiaria expedientes aut concedentes res sibi interdictas per Bullam; & accipientes aliquid pro expeditionis acceleratione.*

Extrauagans In sublimi edita an. 1562. & Extrauag. In omnibus. Pij 5. Ecloge Bullarum Pij 5. &c.

54. *Inferiores Episcopis proponentes populo, quod soluta certa quantitate possint de Indulgentia sibi sumere Sacerdotem qui eos ab Episcopalibus Casibus absoluat: suspensis Episcopis ab ingressu Ecclesiæ & fructuum perceptione.*

Extrauagans Quàm plenum. Pij 5. loco cit.

55. *Legati atque Gubernatores Pontificiæ ditionis qui homicidam aut bannitum ad ciuitatem vel per diem vnum reuocant cum saluo conductu: & qui tales protegunt seu in suas terras admittunt.*

Extrauagans Supremæ. Pij 5. §. Et subsequenter. citata Articulo 14. suprà. Extat in Summa Constit.

56. *Excommunicati à Iudice Papa nominatim, aut nominatis peculiaribus officiis.*


Talium enim absolutio ad Episcopum non pertinet, nisi ex speciali mandato Papæ delegantis: teste Syluestro verbo. Excommunicatio 8. ad 1. &c. Hic Articulus est extremus à nobis in hac prima parte proponendus. Et horum omnium descriptio in terminis concretis proposita, clariùs multò denotat reos excommunicationi obnoxios, quàm abstracti termini, quos alij passim authores promiscuè imitari videntur. Non enim humanitas, sed homo errores committit.

Prætetimus tum censuram commemoratam à Fumo verb. Excommunicatio. nu. 66. quia suprà satis comprehenditur sub Articulo 44. tum aliam quoque non ampliùs controuersam vt in vsum venire possit, ibidem num. 68. Insuper omittimus eas cẽsuras quas habet numerus 93. & ad extremum censuram latam in Cardinales reuelantes aliquid de secreto actis in cõsistorio Papæ, ex Concil. Lateranensi sub Leone 10. Sess. 9. in Bulla §. Pro reuerentia. Nam excommunicationes huius Concilij, aut saltem Sessionis, non sunt receptæ, testibus grauissimis Præsulibus illius æui apud Nauarrum num. 110. art. 29. nu. 111. & 148. Ista autem excommunicatio in Cardinales differt specie ab vltimo Articulo secundæ Tabulæ generalis.

Articuli de industria prætermissi.

ANNOTATIONES duæ, In supradicta.

Prima.



ISTI omnes à iure excommunicati, quorum absolutio tota prima hac parte Pontifici Romano asseruatur, intelliguntur soli manifesti siue notorij, veluti ex 2. Tabula liquet articu-

Excõmunicati omnes huius primæ Tabulæ quales.

lo 4. & 5. vbi constat occultorum solutionem alioqui Papæ reseruatam permitti Episcopis, vno simoniaco & confidentiario forsan excepto, de quo suprà Articulo 28. & 29. propter vitij turpitudinem non secretò comitti solitam, & quia Bulla Pij 5. de ea re sex annis sequuta est exitum Concilij sub

*an 1564 Pio * 4. absoluti. Crimen autem manifestum trifariam dignoscitur. In primis, quando lata est sententia quæ transit in rem iudicatam.

Manifestatio criminis quotuplex.

Secundò, vbi criminosus fassus est crimen coram testibus aut coram iudice. Idque totum est notorium iuris, cap. Vram. De cohabitat. Cleric. & mulierum, & Couarruuias priore parte [l] Relectionum. Tertiò, quando crimen seu factum est adeo manifestum, quòd nulla possit tergiuersatione celari, ex Concilijs Basiliensi [m] & Lateranensi vltimo [n]. Tale autem est id quod scitur à maiore parte populi, viciniæ, aut collegij: vel denique subditorum, si reus sit persona publica: hoc est quando horum numerus excedit circiter medietatem communitatis. Syluester verb. Notorium 4. & Nauarrus cap. 25. num 73.

l §. 2. nu. 8.

m Sess. 20.

n Sess. 11.

ANNOTATIO SECVNda in Articulum 48. de quinque votis præcipuis.


VAMVIS ipſo facto cum reſeruatione excommunicentur Epiſcopi aut Abbates ſe ingerentes circa diſpenſationem eorumdem quinque votorũ: non tamen ita excommunicantur omnes ipſimet violatores talium votorum à ſe emiſſorum, ſicuti vulgus confusè ſentire ſolet. Nam id nullo aperto iure cauetur aduerſus ſingulos. Quippe, in primis tranſgreſſores trium primorum Caſuum, ſcilicet triplicis peregrinationis, ante legitimam diſpenſationem, peccant grauiſſimè, nihilominus ſunt à cenſuris immunes. Deinde, quartus Caſus bifariam ſecatur. Prioris membri tranſgreſſor eſt de iure excommunicatus maiore, excomm. nempe Religioſus profeſſus, qui ſine Papali diſpenſatione votum obedientiæ ſeu ordinis ſui infringit per deſertionem habitus, & veriùs abſque redeundi intentione, Cap. vt periculoſa. lib. 3. tit. 24. in 6. Syluester verb. Apoſtaſia. in 9. ad 4. & nos Tabula 2. Artic. 22. & 54. Quod quidem peccatum eſt apoſtaſia à religione, non à fide. Et reuera iſta voti profeſ-

Voti fractio cum excommunicatione. Diſpenſationes.



ſio iure diuino ac eſsētiali ſubnectitur eidem religioni ſeu abnegationi ſui. Alterum verò membrũ eſt ſecularis Clericus: qui ſi ſit cõſtitutus in ſacris etiã ſine eccleſiaſtico beneficio, vel in ſolis minoribus cum beneficio, & clericalem habitum atque tonſuram ſimul temerè deſerat, laïco more vitam traducens, ſanè perpetrat mortale peccatum, ídque crimen nũcupatur Apoſtaſia ab ordine: Verùm nulla proinde excommunicatione eum ipſo facto percuti legitur, fortaſſis quia habitus exterior ſeu profeſſio ordinis ſuſcepti ex ſolo eccleſiaſtico iure fluit, non ex naturali. Cenſuram ſilet caput *Perpendimus*. cap. *Cõtigit interdum*. de ſent. excomm. lib. 5. Decretal. cap. vnicum lib. 3. in 6. & Syluester loco cit. in 5. ad 2. Poſtremò quintus caſus nimirũ perpetua caſtitas, eſt iterũ duplex: Prior, ſi præfati Religioſi aut clerici ſeculares in ſacris ordinati matrimonia contrahant, nulla præuia Pontificum venia, ipſo iure excommunicantur: & ſanè eiuſmodi coniugiũ eſt fictum ac vera fornicatio: iſta cenſura nemini reſeruatur ex præfata 2. parte Articulo 54. Nec nõ coniugium ita contractum dirimitur. At ſi notorium concubinatum exerceant, etiam in minoribus conſtituti: ſublatis poſt monitionem fructibus, præcipiuntur quidem excommunicandi ab Epiſcopo quæ ſolùm eſt excõmunicatio ab homine: verùm ipſo facto

Eius fractio ſine excõmunicatione.

Varia pœna violantium multiplex votum caſtitatis.

Concubinatus.

tali censuræ non subduntur ex Concil. Tridentino Sess. 25. de Reformatione. cap. 14. Sed nondum tamen eos absoluere potest simplex Sacerdos approbatus, quia sunt ipso iure suspēsi à legitimo ordinis exercitio & à percipiendis beneficij fructibus: quæ secunda censura ab Episcopo primùm auferenda est, quia alioqui in exercendo officio, mortaliter peccant, simúlque irregularitatem incurrunt à solo tunc Pontifice obliterandam ex Syluestro verb. concubinarius. 4. & Nauar. cap. num. 155. Posterior, si quis, vtriúsque sexus etiam laïcus, infringat perpetuam castitatem quam vouit extra religionem aut sacrum ordinem: profecto nullas quoque censetur contrahere censuras, licèt grauissimè peccet. Id inferri consueuit ex præfato cap. *Eos*. Vbi hoc pœnæ genus minimè vnà cum socijs commemoratur. Quando quidem ex vulgari Summulariorum sentētia, oportet sequi canonicam litteram & iuxta pœnalium Sanctionum taciturnitatem pœnæ sunt restringendæ. Sic matrimonium sub tali voto simplici contractum nunquam dirimitur, etsi impediat contrahendum, ex Nauarro cap. 22. num. 73. Cæterùm, voti cuiuscumque transgressio seu culpa solitariè spectata, ex 3. Animaduersione, non creditur esse casus reseruatus in foro conscientiæ: siue in matrimonio cum libera consanguineá-

ue inito *Tab.2.Artic. 53. & 54. siue extra ipsum violetur. Nam, teste eodem Syluestro, ° Confessarius seu Parochus de iure communi & consuetudine ab omnibus circa vota commissis potest absoluere in solo interiori foro: At possunt duntaxat in particularibus Episcopatibus sic passim reseruari, quoties nimirum Archipræsul aliúsue Antistes cum sua Synodo id decernẽdum videt: vt liquet ex 3. Tabula prouinciali casu 17. Senonensi & 11. Rothomagensi. Ad extremum, in quocunque alio voto, quod quidem dicitur simplex, Episcopus quotidiano iure dispensat: vtpote in votis aliarum peregrinationum, continentiæ temporalis: p atque perpetuæ, posito periculo sine facili recursu ad Papam; deinde in voto non nubendi, aut quouis alio perpetuo.

*Tab.2. Art. 53. & 54.

o ver. votum q. in 3.

p de his votis Syluester supra §. 3. ad 6. tum §. 4. & 5.

Finis primæ Partis.



SECVNDA PARS

DE MAIORIBVS EXCOMmunicationibus à iure, partim ſolius Epiſcopalis, partim etiam Sacerdotalis abſolutionis:

PRÆFATIONES DVÆ:

PRIMA PRÆFATIO.



ONTROVERSVM eſt inter Doctores, vtrum maiores excommunicationes canonis nulli reſeruatæ ſint omnes ſolius Epiſcopalis abſolutionis aut perinde Vicariorum Epiſcoporum, nō autem parœcorum & ſimplicium Sacerdotum. Præualuit eorum ſententia quæ vult hanc facultatem præfatis cūctis conſcientiarum iudicibus eſſe communem. Sic multis rationibus ſentiunt apertè

S. Thomas [a], Sotus [b], Nauarrus [c], & Syluester [d] cum octo antiquioribus quos ipse citat: tum Fumus, [e] licèt iste [f] cum Soto alibi [g] contradicere sibi videatur. Nostrorum passim doctorum rationes sunt, quia id commune ius euenit vbicunque conditor canonis sibi vel alteri absolutionem non reseruat in textu, fortassis eo quod pœnæ sunt molliendæ vbi decreta silent, cap. Pœnæ. 33. quæst. 3. [h] & cap. Odia restringi. De Regulis iuris lib. 5. tit. 13. in 6. Eóque fine ipsi citāt caput Nuper. De sent. excom. lib. 5. Decretal. tit. 39. Verùm dicam. Ratio hæc est verissima, quatenus in vniuersum spectatur, non quo peculiari sensu effertur in eodem cap. *Nuper.* Nam illic apponitur in sola secunda responsione posterioris quæstionis, quę quidem respondet vnico dubio quod antecedit de non habendo commercio cum nominatim excommunicatis in osculo, oratione priuata, & licitis alijs rebus humanis: quo sanè in casu incurritur sola minor excommunicatio cum veniali peccato, cuius absolutio proculdubio communis est Episcopo & simplici Sacerdoti, veluti ibidem definitur. In summa, malumus approbare hanc tutiorem iuris communitatem & problematis partem ad vitandam ingentem confusionem, eámque præsertim hisce nostris temporibus magis consentaneam: iuxta quam nos, duode-

a *in 4. sent. dist. 18. qu. 2. art. 5.*
b *Dist. 22. qu. 2. art. 3. §. De excō municatione verò.*
c *Cap. 27. nu. 39*
d *verb. Absolut. 1. nu. 4. verb, Casu. 3. & verb. excomm. 8. nu. 2. & 3.*
e *verb. Casus. 5.*
f *toto verb. excom. & verb. Absolut. 36.*
g *cit. Distinc. qu. 1. in prolog. cap. 6*
h *De pœnitent. Dist. 1.*

cim casus merè Episcopales primùm statuendos esse iudicauimus, tum reliquos descripsimus qui extant quadraginta, iique ita communes Parœcis tanquam ordinarijs Pastoribus iure diuino, vt nihilominus ex Syluestro & Nauarro ordinarium absoluendi ius competat primò & intrinsecè Episcopis, deindéque Parœcis quasi ad hoc deputatis commissarijs & extrinsecè. Veruntamen, quia hæc commissio eis, perpetuò solet incumbere, quatenus tales censuræ nemini reseruantur, propterea ordinario iuri facillimè æquatur. Nisi certè particulares Episcopi aliquas ex illis excommunicatiouibus iuris ad se quandóque retrahant in suis Diœcesibus: Quod sanè præstare queunt, & plerunque in vsu habent, vt liquet ex innumeris ferè exemplis tertiæ part. Sicuti etiam Curiones simile nunquam præstare possent erga aliquos ex simplicibus Sacerdotibus sibi subditis, & forsan minus idoneis in grauioribus audiendis: tunc enim aliquos ex suis quadraginta articulis eisdem reseruare liceret. Cæterùm obscura D. Anthonini sententia [k] & contradictio Soti ac Fumi vnà cum oppositione Ioannis Polanci [m] aut aliorum, ita concipi potest ac debet, vt hanc absolutionem anathematum canonis non reseruatorum, quam Episcopis volunt cōpetere, intelligere

Dispositio Tabularum.

Parœcos Sacerdotes sibi possetiā Casus reseruare.

k *3 par. tit. 24. c. 40. 44. 77. & c. in directo. Art 5.*

m *In directt. Art. 5.*

oporteat de præfato iure primario eis competente, non tamen seclusis Parœcis, quos etiam sæpissimè tacent quasi implicitè extraneum ius ipsis non denegent. De capite *Nuper.* infrà habetur Articulo 11. Tum, à suspẽsione, quæ rursum est censura, absoluit solus Episcopus eiúsque Superior. Nauarrus nu. 162. Notandum interea quòd tempore D. Thomę non reseruabantur Papæ nisi sex Casus quos ipse commemorat in additionibus ad tertiam partem [1]. Qui tamen casus Papales ab illo seculo & hactenus excreuerunt ad sexaginta sex Articulos aut plures, sicuti patet in prima Tabula.

1 *quæst.* 24. *art.* 1.

SECVNDA.

Varia pœna canonica nonnullis peccatis debita.

NE perutilis harum absolutionum ordo quenquam lateat: pœnæ canonicæ illis peccatis inflictæ quæ maiorem excommunicationem habent annexam, quæque excommunicatis in genere imponuntur, ad duas species iterum subdiuisas referendæ vidẽtur. Etenim aliquæ sunt intrinsecæ & mediæ seu mixtæ, vtpote ipsamet censura & priuatio actiuæ passiuæque participationis sacramentorum. Extrinsecæ aliæ, vt quando ex Canone ipsóque facto notorio sine vlteriore sententia priuatur reus omni dignitate, simul & officio, possessionibus ac eligendi

gendi iure, aut ſaltem ſuſpenditur ab eorum vſu & fructibus, ſiue eccleſiaſticis ſiue profanis: quæ ſingula ſunt exteriora homini, & temporalia atque caduca. Prioribus duntaxat pœnis coërcentur illi homines qui incidunt in eas excommunicationes quarum canones aliud nihil commemorant, quàm ipſam cenſuram ſine adiunctione alterius pœnæ. Nam ſubinde ipſo iure ſeu ex intrinſeca rei & Canonum natura ſequitur eos orbari actiua atque paſſiua ſacramentorum participatione, quæ ideò dicitur pœna mixta, quia ipſamet ſacramenta, ex parte materiæ elementaris extrinſecus aſſumptæ, viſibilia ſunt, at verò ex parte effectus, & gratiæ ſunt omnino inuiſibilia, gratia enim & iuſtificatio &c. ſunt res ſpiritales ac inuiſibiles [m]. Illis autem prioribus pœnis ac ſolis addicuntur ij omnes qui labuntur in anathemata communi iure delenda ab Epiſcopo & Parœco: ijſdem etiam ſubiacent pauci inter illos reos qui incurrunt tum excommunicationes Papales contentas in prima parte huius operis, tum quaſdam pariter Epiſcopales; ſicuti ex natura textuum haud ægrè elicitur: & tales appellamus propriè excommunicatos maiore excommunicatione à Canone. Poſterioribus verò pœnis quatuor tantùm excommunicatorum genera ipſo iure & facto leguntur adſtricta obligatáque: Primò quidem nominatim excommunicati à Papa,

m qua de re nos plura docuimus peculiari libro qui inſcribitur De multiplici anathemate iuris æquiualēte ad nominatim cap. 1.

ſiue expreſſo nomine proprio, ſiue officio ſaltem quòd ſatis clarè deſignet indiuiduum naturæ 2. noti Clericorum deformatores: 3. Hæretici manifeſti, quos omnes Caſus continet prima pars huius libri Articulis 1. 10. 11. & quarto aſſaſſini Epiſcopis reſeruati, veluti infrà liquet Artic. 6. huius ſecundæ partis vniuerſalis. Quos tres poſtremos caſus quia primo caſui æquantur in hiſce pœnis, idcirco appellamus æquiualenter ad nominatim excommunicatos, quod eſt pluſquam à ſolo canone; ſingula probantur: Primùm de Clericidis liquet cap. *Cum non ab homine.* cap. *Perpendimus*, & cap. *Vniuerſitatis* de ſentent. excomm. lib. 5. Decretal. & clariùs de Cardinalium percuſſoribus aut exilijs Epiſcoporum cum fautoribus, habetur cap. *Fœlicis*. in 6. [n] & Clementina ſi quis ſuadente [o] tum 5. Antoninus 3. par. tit. 24. [p] Secundò, idem de hæreticis exprimitur cap. *Vergentis.* & cap. *Excommunicamus.* lib. 5. Decretal. [q] & cap. *Cum ſecundum leges*. De hæreticis in 6. Tertiò de Aſſaſinis, pariterque de duellorum reis ac auctoribus, ex locis cit. in hac [r] & prima Tabula [ſ] gener. Iam verò ſuperſunt duæ aliæ pœnæ eæque ſpirituales, quæ multifariam varijs excommunicatorum generibus attribuuntur, hoc pacto. Prima eſt priuatio generalium Eccleſiæ ſuffragiorum, per quam mixtâ communione priuantur omnes pla-

Tria genera excommunicationum à iure, æquiualentia excõmunicatis nominatim.

n *lib. 5. tit. 9.*
o *lib. 5. tit. 5.*
p *cap. 2. & 3.*
q *tit. 7.*
r *Artic. 6. hîc.*
ſ *Art. 13.*

nè notorij, duplici ſenſu. Priore ſoli nominati ita priuantur illo ipſo iure, vt qui publicè orat pro illis quantumuis abſentibus, incurrat excommunicationem cùm maiorem, tum minorem [t] pro excommunicantium ſtatu & communicationum ſpeciebus ſeu conditionibus, quæ facilè colligi poſſunt ex duobus Articulis talium participantium in iſta & antecedente Tabula, [u] nec non etiam eliciuntur ſuprà ex cap. *Nuper*. Præfatione I. Quanquam S. Anthoninus [x] & Syluester [y] arbitrentur iſta quoque pœna includi clericidam ante latam in eum ſententiam, ex cenſura è Patribus Concilij Conſtantienſis mutuata. Poſteriore ſenſu tutiùs dicendum eſt quòd quilibet excommunicati à iure quando ſunt manifeſtiſſimi omnibus & cum ſcandalo, ita priuantur communibus ſuffragijs & precibus, vt publicè orantes peccent quidem, mortaliter, at minorem non contrahant. Ea propter ſine peccato licet ſuffragia & orationes Eccleſiæ pro ijſdem offerre, quandiu ſunt occulti, ſicut & pro exiſtentibus in ſolo lethali peccato, etſi careant communione interna [z] per gratiam comparanda. Sic Nauarrus [a] cum hac diſtinctione concipit non obſcurè Extrauagantes Concilij Baſilienſis [b] & Lateranenſis vltimi; [c] quæ cùm ſequentur Conſtantienſem, eandem interpretantur.

Pœnæ ſpirituales excommunicatorum.

t nu. 36. ad 3.

v Tab. I. Artic. 30. & hic Tab. 2. Artic. 11.

x 3. par. tit. 25. cap. 3.

y ver. Excommunicatio. 5. nu. 7.

Pro quibus excõmunicatis non orandum.

z. 11. qu. 3. Audi.

a nu. 17. 18. 32. & 36. ad 2. cum D. Thoma.

b Seſſ. 20.

c Seſſ. 11.

Secunda pœna ſpiritualis partim interior partímque exterior, eſt ſecluſio à diuinis officijs vel peragendis vel audiendis cum alijs, etiam ſine ſacramentorum perceptione. Hanc cum ſatis apertè non explicent Summularij [d], dicerem competere ſub præcepto ſolis damnatis à iudice, aut ſaltem tribus quoque ſpeciebus æquiualentium atque notiſſimorum quos modo propoſuimus (nec vltra) velut iam orbatis eo ipſo reliquis ſimul expoſitis bonis & facultatibus. Ita vt lethaliter peccemus cum diuerſo cenſurarum incurſu requirendo in duplicitato articulo [e] ſi eos illinc non eijciamus cùm poſſimus: & ipſi idem peccatum committunt ſeſe diuinis immiſcendo. Tum propter pœnas reſtringendas, dicerem reliquos notorios excommunicatos inde non videri abſolutè expellendos niſi ex eccleſiaſtico conſilio, vel ex præcepto particularis conſcientiæ in caſu aliquo, iuxta prudentem peculiarium circunſtantiarum inſpectionem inter probos & literatos, eámque ſine generali regula dijudicandam. Sanctiones enim materiam hanc clariùs non aperiunt, inter quas extat caput Quod in te. De pœnit. & Remiſſionibus. [f] Prætereo pœnam aliam ſuprà commemoratam, [g] de noſtro ciuili conſortio, cum eis & ipſorum nobiſcum inito, [h] vnà cum veniali tantùm culpa vtrique comperta. His omnibus appri-

d Nauar. nu. 119. & Sylu cit.

Et pro quibus non orãdum.

e in priore pœna, & duob. Art. citatis ſuprà ſub Littera. u.

f Lib. 5. Dec. re. tit. 36.

g Ex cap. Nuper Præfatione 1.

h Nauar. nu.

mè consideratis, sequitur instituti conclusio: quæ duplex efficitur. Vna est eiusmodi. Quatuor præfati duntaxat excommunicati debent primùm à censura absolui, antequam admittantur non solùm ad idoneam sacramentorum administrationem [i] (quod communicatis [k]) verùm etiam ad pristina beneficia & secularia, aut priusquam dispensetur cum eis in irregularitate. [l] Atque reuera etiam isti quatuor casus semper sunt vel Papales vel merè Episcopales. Altera sic habet. Quicunque Clericus ordinem sacrum suscipit vel susceptum exercet ante absolutionem ab omni alia maiore excommunicatione nemini reseruata, ac Confessarijs aperienda quam ipsi nosse debent, [m] confestim irregularitatem incurrit, [n] sicut & eandem contrahit circa cuncta alia anathemata, [o] aut circa suspensionem ab ipso violatam: [p] & tunc irregularitatis solutio reseruatur Episcopo in factis occultis vel Papæ in manifestis [q], ante cuius obtentionem collatio beneficij subsecuta nulla est. [r] Si quis tamen clericus irregularitatem incurrat circa indebitam & mortalem ordinum susceptionem [s] sine vllis censuris, hunc simplex Sacerdos approbatus absoluere potest à peccatis & à minori etiam excommunicatione, si subsit, necnon ab ea culpa propter quam irregularitas accidit, [t] Ita vt reus

32. in initio 3.

i Idem. nu 244.

k ex Tab. 1. gen. Animaduers. 3.

l Nauar. nu 262. De irregularitate.

m Idem nu. 241.

n nu. 150 163. 241 & 244.

o in tota 1 Tab. et initio.

p nu 156 158 241. et 243.

q infrà Artic. 4.

r Nauar. nu. 251.

s nu. 241 a § 1.

t 1. nu. 191. 254 §. commun illo. & 262. D. Tho. in

sit quidem capax suscipiendi alia sacramenta, [u] nisi culpa ipsa in particulari Diœcesi reseruetur: sed tamen non possit eadem sacramenta [x] ministrare, seu agere, quia Superior irregularitatem priùs tollere debet. Laïcis quoque alijs peccata insunt communia, quæ ipsis etiam nec solis Clericis; irregularitatem inurunt. Ea si deprehendantur sine reseruatione & censura, vt in aliquibus deformationibus & enormibus actibus valde notorijs quos exprimit Nauarrus, [y] tum Parœcus post culparum absolutionem pœnitentes remittet ad Episcopum si Clericatum sint suscepturi; vt nimirum sine offensione in ordine ministrent: quandoquidem hæc noxia irregularitas priùs à Superiore obliteranda est. De irregularitatibus autem sine culpa contractis iisque Papalibus, [z] nihil istic dicendum. Hæc studiosè notanda Sacerdotibus.

4. dist. 19 qu. 1. ar. 3 ad 2. summus ver. casus 11.

x Tab. 1. Animadu. 3. & Tab. 3. prolegom. posteriore.

y nu. 221 & 248 alia huc spectãtia lib. 3. Appendice priore in margine sub litera p. & q.

z nu. 195 198. 201 202. 205 & 246.

EXCOMMVNICATIONES à quibus ſolus Epiſcopus abſoluit.

1. *Sola mediocris ac leuis percuſsio manifeſtè & quouis modo illata ſecularibus Clericis vel Monachis infrà Cardinales aut Epiſcopos, necnon Monialibus & conuerſis ſeu nouitijs per Monialem.*

Hæc colliguntur ex cap. *Peruenit.* Cap. *Relatum.* & cap. *De Monialib.* De ſent. excom. lib. 5. Decretal. *Etiámque percuſsio enormis, voluntaria, & extra turpes vel enormes actus tentata in nonnullis caſibus, ſcilicet vel in facto valde occulto, vel in illo notorio quo adiri nequit Romanus Pontifex, vt in moribundo, in quauis muliere, in diutius ægro, cæco, claudo, puero, ſene, paupere.*

Hæc Nauarrus cap. 27. Enchiridij num. 81. 88. & 112. poſt caput *Perpendimus.* Ead. Decretali. Attamen Monachi percutientes ab Abbate abſolui atque in hac irregularitate diſpenſari poſſunt ex priuilegio: Cap. *Cùm illorum.* ibidem. Hic verò Articulus merè Epiſcopalis eſt antiquior & notior: adeóque à nobis primus ſtatuitur. De leui percuſſione Prælatorum, & graui ſeu enormi inferiorum

Clericorum, vide Partem præcedentem huius operis Articulo 10. & 11. Interea, illi quoque ligantur ipso facto maiore excommunicatione, qui non percutiunt quidem Rectores Ecclesiæ, sed *qui cùm possint. manifesto facinori desinunt obliuiare*. cap. Quantæ. Eodem tit. seu qui permittunt Clericum percuti, consentiendo, si ex authoritate, aut officij sui ratione poterant prohibere, veluti Glossa interpretatur. Et pariter censentur excommunicati ij qui ob timorem, pudorem, vel negligentiam omittunt defensionem ad opitulandum. Cum dubio tamen, quia præsumuntur velle opem ferre, teste Nauarro cap. 24. nu. 21. Verùm nullibi legimus hanc consentientium & negligentium censuram reseruari. Propterea credimus Parœcum posse ab ea conferre absolutionem, sicut à posterioribus 40. Articulis istius 2. Tabulæ generalis, ex dictis primæ Præfationis. Aliter tamen sentiendum de mandantibus: quia horum censura Papæ reseruatur, si effectus sit subsequutus, præsertim vi mandati. Liquet ex aperto cap. *Mulieres*: ibidem & Glossa, nec non ex cap. *Fœlicis*. citato in præfato Artic. 10. Tabulæ 1. & in 2. annotatione huius. Alia id genus extant apud Nauarrum cap. 27. num. 51. & 78. ad extremum autem leuis percussio est ictus qui notam maculam in carne non relinquit;

mediocris quæ maculá quidem vel exiguam ſanguinis effuſionem efficit, ſed non multá, nec, quæ perſonam reddit impotentem, quia tunc eſſet grauis, preſertim adiunctis priuatis circunſtantijs loci, temporis, perſonarum vel infamiæ & ſcandali & maximè apparentis intentionis percutientis. Nauarrus nu. 91. Iſtæ enim circunſtantiæ percuſſionem longè grauiorem efficiunt.

2. *Excommunicatio Papalis, ab homine, quando ob aliquod impedimentum placet Pontifici abſolutionem inferiori concedere indiſtinctè: inferior enim tunc intelligitur ſolus Epiſcopus.*

Nauarrus nu. 112. in 3. Syluester verb. Excommunicatio nominatim lata ab Epiſcopo in ſubditum.

3. *Excommunicatio particularis à iure, quam Epiſcopus per ſuum ſynodale ſtatutum tulit, & abſolutionem ſibi reſeruauit.*

Syluester loco cit. & verb. Abſolutio. 1. nu. 4. ad B. Nauarrus ſuprà. Huc verò directè reuocantur Monitoria ſeu comminatoriæ excommunicationes ab homine generatim latæ, quas Epiſcopi eorúmue Vicarij mandant pro rebus furtim & in occulto acceptis, aut pro alijs grauioribus peccatis in proximi dánum commiſſis: quando nimirum priuata perſona offenſa & læſa conqueritur, & Monitorium excommunicationis ferendæ ab Epiſcopo efflagitat, vt reus hoc metu veniat ad criminis reuelationem. Nam poſtquam trina

monitio à Parœco facta est ex sacri altaris suggestu iuxta formam mandati, si reus culpam celare obstinatè pergat, neque rem cum potest, restituat saltem secretò & intra statum diem: sanè ab eo tempore & deinceps ipso facto est innodatus maiore excommunicatione reseruata, donec satisfaciat parti & absoluatur.

4. *Delinquentes occulti, iique à iure excommunicati ob quencumque Casum Apostolicæ sedi reseruatum: qui iuxta primam Tabulam extant quinquaginta sex in facto manifesto.*

Concilium Trident. Sess. 24. de Reformat. Cap. 6. Ex quo loco patet tales absolui posse tam ab Episcopis quàm ab ipsorum vicarijs ad id munus specialiter deputatis in foro conscientiæ, at non in contentioso. Suspensiones etiam ac irregularitates non aliunde quàm ex occultis illis delictis prodeuntes (nonnullæ enim sine culpâ contrahuntur) ab ijsdem ex professo deputatis tolli possũt; eâ demptâ quæ oritur ex solo voluntario homicidio, atque ex alijs criminibus deductis ad forum contentiosum: quia tunc Rei ad Papam sunt remittendi. idemque videtur omnino dicendum esse de occultis simoniacis & confidentiarijs cum occulta irregularitate inde suborta, propter rationes allatas, Vide etiam primam partem huius lib. c. 28. & 29. ac priorem Admonitionem ibidem ad calcem. Verùm enimuerò extant duæ no-

toriæ irregularitates diuerſę ex duplici genere peccati manifeſti, quæ quidé tolli poſſunt ab Epiſcopis, & quarũ expoſitio cõmodiùs proponitur Tabula 3.gen.Caſu.30.Rothom.

5. *Hæreticus occultus paucißimis notus & citra ſcandalum quamuis ſignis quibuſdam externis ſuam hæreſim deſignarit, ab Epiſcopo quidem abſolui & in ea irregularitate diſpenſari poteſt ſed ab eo ſolo, non à ſuis Vicariis: mentalis autem à ſimplici ſacerdote.*

Idem Concilium Tridentinum.loco cit.& Nauarrus cap.27.nu.194.tum lib.1.Conſiliorum.De Conſtitut.Conſilio 1.quæſt. 14. vbi ita latè loquitur, vt non obſcurè manifeſtos quoque complectatur, ſi pręſcripta regionis cõſuetudo id habeat vt eos abſoluat Epiſcopus.Tamen antea oppoſitum dixit etiam ratione occultorum in Manuali cit.cap.27.nu. 260.& nu. 275. iuxta vocalem ſolá Gregorij 13. reſtrictionem factam ad an. 1583. an. 20. poſt abſolutum Trident. Concil. Quæ Gregoriana reſtrictio ex alio etiam Reſcripto & reſponſo liquet Tab.3. gener. ad calcem Tabellæ Rothomag.§. Anno. Vbi idem Põtifex Epiſcopalem hác poteſtatem videtur facere extraordinariam ſeu delegatam: ita tamen vt Epiſcopos remittat ad præfatũ Concil.Trid. Pro reſolutione verò, quá tacitè cenſetur patefacere ipſa reſponſio miſſa ab eodem Gregorio Patribus Rothomag. cenſerem nõ facilè nec vt plurimũ, ſed raro & de conſilio ac prudentia Epiſcoporũ occultum hæreticum

Romam esse remittendum, aut ab ipsis Episcopis hoc fine rescribendum ad Sedem Romanam, nimirum si secretæ litteræ mitti commodè possint citra malum aliunde timendum & hoc videatur spectare ad bonū animæ pœnitentis; ne fortè maneat pertinax, si cogatur Romam proficisci, vel ob alias perpendendas & adiutrices circunstantias. Proptereaque rata esse debet Episcopalis absolutio & est sine peccato. Nam in vtroque cit. loco Pontifex summus non sancit planè, nec post Concilium Tridentinum edit Canonem qui palam vim faciat cunctis subditis Christianis: sicuti post idem Concilium Pius 5. expressam Bullam, quæ patet, instituit aduersus Simoniacos fiduciarios, ex dictis Tabula 1 [a]. Sed potiùs ipse Gregorius priuatis inquirentibus priuatim respondet, dum dubia petunt circa intelligētiam Concilij Trident. aut Bullæ Cœnæ Domini. Non enim tunc se edidisse canonem dixit, aut in œcumenico Concilio loquutus est: adeóque etiam non constat, quòd hodie successores Pontifices simile respondeant. Sicque hactenus publicæ Sanctioni Tridentinæ ritè insistendum videtur. Cui nostræ rationi addo & coniungo imprimis dictum Nauarri, scilicet Episcopos posse absoluere ex mente fortassis Gregorij (ait) quando occulti hæretici non habent complices: aliter non posse, sine speciali mandato: Ita vt Concilium & Gregorius 9. sibi non aduersentur. Hæc ille.

a *Art. 29. & priore Admonit.*

Tales verò occulti complicibus carentes ad aliorum occultorum discrimen dici possent simpliciter occulti. Quid sit autem habere cōplices seu socios sceleris & esse occultum mixtum in ea hæresi (dum tacet Nauarrus) ego cum nonnullis amicis Theologis dicerē intelligi, vel primò quando quis aliquid mali in Ecclesiam catholicam cum manifestis quibusdam hæreticis machinatur siue occultè, siue palam, etsi eam hæresim apertè non profiteatur: vel secundò si eis alijsue occultis opē in secreto ferat, quatenus tales sunt hæretici, etiamsi nihil in fideles machinentur: tunc enim propriè sunt fautores hæreticorum, ex Tabula 1. Artic. 2. vel tertiò quoties in occulto aliquem catholicum ad hæresim trahit, seu per alium ad hoc sollicitat. &c. Interea, duo digna sunt monitu. Vnum est quòd Nauarrus locis citatis [b] dicit Bullam Cœnæ vltimò concinnatam à præfato Gregorio, anno citato, contradicere ipsi Concilio Tridentino, aut Concilium Bullæ (nisi in concordiam reuocentur per allatam distinctionem cōplicium & non complicium) atque in margine citat numerum 72. [c] §. *Cæterum.* vbi Gregorius postremus Bullæ author prohibet ne alius quā Romanus Pontifex quenquam absoluat ab vllis sententijs in ipsa Bulla contentis, præterquam in mortis articulo. Numero autem 55. pro Bullę exordio statuit hæreticorum absolutionem Pontifici reseruatam. Verùm cer-

Cōplices habere in peccato occulto, quid.

b *num.* 260. & 275.

c *tamen reperitur esse numerus* 73.

tè illic nec textus nec Nauarri commentarius distinguit vllo pacto inter occultos & manifestos. Sed indifferenti voce vtitur. Cùm ergo taceant illi textus, sequitur occultos posse absolui ab Episcopis, ita vt indistincta hæc litera Gregorij atque Nauarri subintelligat distinctionem & explicationem mutuandam esse à Concilio Tridétino, illudque sequi, velut legem proximè antecedentem & hic supponendam, præsertim quòd idem Nauarrus describat integrum textum Tridétinum nu. 194. quasi pœnæ sic prudenter sint restringendæ hoc loco. Alterũ est quò Emanuel Sa omnium recentissimus dicat in suis Aphorismis verb. *Episcopus*. Episcopum absoluere posse ab hæresi per alium ad id delegatum. Et habere ad id per Concil. Trident. potestatem ordinariam quæ potest committi, nec eam potestatem tolli Episc. per Bullam Cœnæ. En eius verba. Quibus sanè optimè dicit: potestatem non tolli per Bullam. Sed profecto textus Concilij è diametro aufert hanc committendi Vicarijs potestatem, cuius rei oppositum Emanuel dicit. Ita vt vel ipse eodem modo & promiscuè loquatur de hæreticis occultis ac de alijs peccatis occultis ad Bullam Cœnę pertinentibus per ipsum Concilium absoluendis ab Episcopo, quod equidem aduersatur dictis Concilij. Vel certè, ne fateamur eum falsò allegasse Concilium, dicendum est quòd intelligit illos quibus cõ-

mittitur hæc poteſtas ab Epiſcopo, non eſſe Vicarios Epiſcopales generales, quaſi ex ipſa ſtabili eorũ conſtitutione continuò illis conueniat & cõcedatur poteſtas abſoluendi hæreticos occultos, ſicuti eo ipſo poſſunt abſoluere alios occultos peccatores, qui ex art. 4. in facto manifeſto reſeruãtur Papæ: ſed opus eſſe ad id ſpeciali delegatione & facultate ab Epiſcopis obtinẽda pro loci & temporis opportunitate. Saltem non improbamus ſi quis hanc ſententiam tueri velit, tacente ferè Cõcilio: modò illa Pontifici ſummo grata ſit & accepta feratur. Et verè plerique eruditi opinantur iſtius ſententiæ praxim hodie opportunam eſſe, quando nimirum Epiſcopus alijs Eccleſiaſticis occupationibus detinetur, vel aliunde excuſatur ab hiſce cõfeſſionibus cõmodè audiendis, vt proinde deceat alium ab ipſo ad hoc ſpeciale munus committi. Quam rem cùm non tantiſper dilatet breuiſſimus Emanuelis Aphoriſmus, eam ſic Lectori proponendam putauimus. Præterimus quòd Emanuel non expreſſerit vocem occulti hæretici, ſed de hæretico abſolutè loquatur: Nam facilè credimus eum concepiſſe occultum ſolum. Cæterùm, hæc occultorum excommunicatio non comprehendit hoc ipſo magos, ſi aliunde non ſint hæretici. Nauarrus n.55. in 1. Caſu Belgico ad calicẽ Operis: cum cõmunibus exceptiũculis ab eiuſmodi reſeruatione.

6. *Aſſaſsini, qui vel inſciũ ſolùm laicum dolo &*

à tergo occidũt, Vel eum qui aduertit quidem, sed ita tumultuosè vt percussus statim moriatur absq; vllo relicto pœnitentiæ patio: iique quantumuis manifesti. Et pariter mandantes assaßinum fieri vel defendentes, etiam morte forsan non subsecuta.

Censura huius Articuli habetur cap. *Pro humani.* De homicidio lib. 5. in 6. At reseruatio ratione homicidij in genere patet ex Benedicto 11. in Extrauagante recentiore inter cunctas. §. *Incendiarios.* De priuilegijs, cum assensu Doctorum citatorum in secundo Casu seu Articulo tertiæ partis, Vide etiam Polancum Artic. 5. Casu 11. etsi vetustior S. Antoninus sileat nec reseruet 3. par. tit. 24. cap. 36. Quippe recentiori Benedictinæ Sanctioni adhærere decet. Alia leguntur 23. quæst. 8. *Si quis membrorum.* approbante Syluestro verb. *Casus.* 4. Vide simile factum Papæ reseruatum in Tabula 1. gen. Artic. 12.

7. *Sepelientes scienter in loco sacro hæreticum & credentem ac sequentem illius errores: iique nondum absoluendi, donec palam eijciant corpora.*

Nauarrus cap. 27. nu. 134. Censura exprimitur cap. *Quicunque.* lib. 5. tit. 2. in 6. De quo themate alia in casu 25. Viennensi. Et reseruatio istius Articuli cum sequentibus tribus Articulis continetur seorsum in cit. Extrauag. Benedicti 11. sub vniuersali nomine Immunitatis Ecclesiarum seu locorum sacrorum: cuius tamen immunitatis locorum nulla ipse Benedictus effert exempla. Verùm dicam. Certè

tè frustrà hæc ipsa vox immunitatis apponeretur, nisi ipsæ eius species circa loca sacra præcisè determinentur, vnà cum similibus quæ sine censuris collocantur in 3. parte generali Casu 4. vbi declaratur hæc intima natura immunitatis, & distincta etiam ratio libertatis ecclesiasticæ reseruatæ in sola 1. parte. Ipsa autem quatuor exempla, hisce quatuor Articulis qui cum isto sequuntur commemorata, sunt verè & propriè species immunitatis cum citatis in præfato Articulo 4. partis 3. Et vix aliæ statui possunt, præsertim circa has pœnas meritò restringendas. Igitur legitimè in hac 2. parte numerantur exempla immunitatis censuris obnoxiæ. Adde quòd adhuc supersunt satis multæ excõmunicationes Sacerdotibus communes, vt problema controuersiæ in præfatiuncula commemoratæ vix plures patiatur, quàm quadraginta infra cõscriptas. Tandem verò Nauarrus nu. 36. ad 3. dicit in genere, excommunicatum minimè notorium aut non denunciatum recipi posse ad sepulturam ex mente Extrauagantis Conciliorum Constantiensis & Basiliensis. Sicque hæreticorum nomine hic intelliguntur manifesti quamtumuis nõ nominati. Sequitur dicendũ de funeris comitibus, tanquam de secundo exemplo violatorum ecclesiasticæ immunitatis.

4. exempla violatæ immunitatis Ecclesiæ.

8. *Sepelientes aliquem etiam pium in cœmeterijs seu Ecclesiis interdictis, aut in non interdictis ex-*

communicatos publicos etiã à iure aut nominatim interdictos à diuinis, aut denique manifestum vsurarium morientem sine facta cautione restitutionis arbitrio Episcopi: si id præstent ex contemptu clauium Ecclesiæ, non aliter.

Nauarrus cap. 27. nu. 137. cap. Episcoporum. de Priuilegijs in 6. & cap. Eos qui, de sepulturis lib. 3. Clementinarum tit. 7. Syluester verb. Excommunicatio. 91. num. 66. & verb. Sepultura 9. in 8. Aliaque proponuntur in Casu 5. Auxitano. Atque veriùs forsan excommunicantur quoque Prælati seu Parœci, qui ex malitia non impediunt eiusmodi sepulturam, tum etiam omnes id præcipientes siue sint clerici, siue laici & quicunque tumulo corpus recondunt tanquam participes criminis ex Decretali *Nuper*. Vix autem reliquus clerus, laici concomitantes & portantes aut fodientes. Glossa citatæ Clementinæ verb. *Sepelire*. & Syluester nu. 70. qui tres sententias effert, nimirum sepelientis, præcipiẽtium funus, & reliquorum comitum: nos aptiùs primam atque secundam sententiam velut mediam distinctè & firmo pede sequimur. Nauarrus nu. 51. præter num. 137. ex eo quòd Clementina silet circa comites funeris. Qui autem sepelit mortuũ in notorio quouis peccato mortali, peccat lethaliter, sine cẽsuræ incursu, 13. quæst. 2. *Quibus*. Nauarr. c. 12. n. 132. Alia in 24. & 25. Casu Viennẽsi. Cæterũ idem sentiẽdum de comitantibus funus hæ-

retici mortui, superiori Artic. commemorati.

9. *Incendiarij Ecclesiarum & piorum locorum, ante denũciationem excommunicationis, quæ veriùs inflicta est ipso iure.*

Glossa in caput *Tua nos*. De sent. excom. lib. 5. Decretal. in verb. *Publicati*. Clariùs S. Antoninus 3. par. tit. 24. cap. 11. & Syluester, verb. *Absolutio* 1. in 4. Etsi Fumus sit anceps verb. *Excommunicatio*. 23. Sed reseruatio huius tertiæ violationis immunitatum Ecclesiæ habetur in cit. Extrauag. Benedicti 11. sub cõmuni nomine, & passim Summularij Tabula 3. generali Artic. 1. Vide similem Casum Papalem in 1. Tabula Articulo 40.

10. *Depeculatores simul & effractores coniunctim Ecclesiarum, hospitalium, locorúmue pietati cõsecratorum ab Episcopo, ijque excommunicati ipso facto ante declarationem.*

Pro probatione satis patẽt authoritates citatæ Tabula 1. Artic. 41. Nomine verò depeculationis seu spoliationis hic cõcipitur furtum rei tantùm sacræ in loco pietati dicato, vt pote spoliatio sacramentorum, vestium sacrarum, imaginum Ecclesiæ, sanctarum reliquiarum: Hîc tamen non seorsim perpetratum, sed vnà cum loci, fractione quamuis possint vtrumque seorsim reseruare si voluerint: nec tale furtum comprehendit exteriora Ecclesiæ aut Clericorum bona vsurpata, cùm speciem aliam efficiant quæ est furtum simplex, at mortale & grauissimum, nemini

tamen communi iure reseruatum. Syluester verb. *Sacrilegium.* in 1. & 2.

11. *Participantes scienter cum nominatim excõmunicato à Papa in damnato crimine ob quod is excommunicatus est, atque fauorem eidem impertientes, si conditor Canonis aut Iudex superior Episcopo sibi vel aliis non reseruet absolutionem.*

Hæc Nauarrus cap. 27. nu. 36. ad 5. & num. 112. necnon Fumus verb. *Excommunicatio.* 25. Tunc enim, quantunuis ista participatio nullam comitem haberet excommunicationem (quod falsum est) tamen nullus Sacerdos inferior Episcopo eiusmodi cõmunicantes absoluere potest, ex Cap. *Nuper*: in responsione, & Glossa lib. 5. Decretal. de senten. excõmunicat. etsi id Caput alios sensus huic conformes etiam complectatur. Ij verò incidunt in maiorem toties quoties, Cap. *Concubinæ.* ibidem subque eo nomine participantium comprehenduntur tam Clerici quàm Laici. Ab hac verò censura reseruata excipiuntur participantes in alio mortali peccato quàm in præfato damnato, aut in contemptum ecclesiasticæ disciplinæ, etiam circa res alioqui licitas, aut contra prohibitionem iuris ac iudicis generalem, aut denique in diuinis cum excommunicato ab Episcopo vel ab alijs qui sunt inferiores Papa. Qui quidem licèt mortaliter quoque peccent, attamen solam minorem incurrunt Laici, & eandẽ Clerici cum interdicto Ecclesiæ ingressu, Cap. *Episcoporum.* De priuilegijs. & in 6. Syluester verb. *Excom-*

municatio.5.nu.6. & 22.tum Nauarrus nu.29. & 30. Quod ſanè, dictum volumus iure communi. Nam quiſque Epiſcopus ſuo Synodali ſtatu pœnā adaugere poteſt & efficere vt tales communicantes maiorem incurrāt ſibi reſeruatam. Tandem, iuxta hanc ipſam exceptionē, infertur ex annotationibus præmiſſis initio huius 2. partis quòd catholicus in ipſis diuinis cū manifeſtiſſimis excōmunicatis æquiualentibus (qui ſunt quatuor) peccet lethaliter; in licitis autem rebus humanis, extra neceſſitatem venialiter, at vtrinque ſine metu minoris excommunicationis: quia ipſa minor cum illo veniali cōtrahitur ſolùm ex tali conſortio ciuili cum nominatis à Pápa, eáque inter ómnes homines etiam ruſticos. Verùm tamen cōmunicatio cum nominato & contra præceptoriam ac ſpecialem iudicis prohibitionem, præcedente monitione nominatim facta, cenſetur participibus inducere maiorem excommunicationem (videlicet ſub quouis alio ſocietatis genere citra prædicta) non tamen creditur eſſe reſeruata, quia mitiùs explicanda eſt lex muta quàm verbalis, viuente ſeu præſente Legiſlatore. Sic videtur exactiùs tractāda ſub obſcura doctrina Syluestri citato nu.6. in 4. & Nauarri ad citatum §.5.nu.36. ex cap. *Conſtitutionem*. lib.5. De ſent. excom. in 6. Simile in 1. par. Artic.30. de Clericis participantibus in diuinis cum tali, ijſque Papæ reſeruatis.

12. *Absoluti ob articulum mortis iustúmue impedimentum à simplici sacerdote, qui aliter non poterat propter aliquas culpas reseruatas occurrentes, & recuperata valetudine Superiori se non repræsentantes, eius iussa exequendi gratiâ, etsi sæpe non ad iterandam absolutionem.*

Nauarrus nu. 113. Tales verò ab eodem Superiore seu Episcopo absolui poterunt: si ei forsan non videatur hos ad Papá esse remittédos iuxta rei perpetratæ naturam. Alioqui sanè contemnentes reincidunt in eandé censuram. Syluester verb. *Excommunicatio*. 8. in 2. & Cap. *Eos qui*. De sent. excom. lib. 5. in 6.

Hæc hactenus dicta sunt de excommunicationibus merè Episcopalibus, seu Episcopalis duntaxat absolutionis, quæ duodecim capita continent.

SEQVVNTVR ORDINE Quadraginta Excommunicationes à iure, Sacerdotalis etiam Paræcorum absolutionis: eæque ad hanc secundam Partem generalem pertinentes.

CLERICI EXCOMM. §. 1.

13. *INquisitores in suo negotio deficientes cõtra hæreticos: & multò magis Domini temporales iurisdictione pollentes, qui inquisitioni se opponunt, aut*

cùm possunt, non obediunt Episcopis circa conquisitionem hæreticorum eis demandatam, per eos deducendorum ad Curiam: si modò ipsis hæreticis non faueant, quia tunc esset Casus Papalis, ex processu Bullæ Cœnæ Domini.

Quòd hæc consequentia enascatur ex processu Bullæ scribit Caietanus, Polancus in directorio Articul. 5. Casu 1. Nauarrus num. 55. & 135. Capitis 27. Simile extat in 1. parte Artic. 6. Ab hac verò censura & sequentibus omnibus huiusce Tabulæ communi ac indifferenti modo & iure possunt absoluere tum Episcopales Vicarij, tum Parœci in solo foro conscientiæ: cùm sint Excommunicationes nulli in iure reseruatæ.

14 *Inquisitores seu Episcopi pecuniam extorquentes aut Ecclesiæ bona ad fiscum etiam Ecclesiæ ob delictum Clerici scienter applicantes.*

Id intelligitur post satisfactionẽ duntaxat: nam ante ipsam est Casus Papalis. Clementina *Nolentes*. lib. 5. tit. 3. Nauarrus nu. 142. Polancus Casu 3. Simile in 1. Parte Artic. 39.

15. *Sacerdotes aliiue Clerici, demptis minoribus ordinibus, qui secularis præpositi officium exercent, nec moniti emendantur.*

Nauarrus nu. 117. Syluester verb. *Excommunicatio*. 9. in 28. Cap. *Clericis*. lib. 3. Decretal. tit. 50.

16. *Clerici minores Episcopis concedentes domus ad exercendas publicè vsuras: Superioribus suspensis.*

Cap.Vſurarum. lib.5. tit.5. in 6. S.Antoninus 3.par.tit.24.cap. 49.Polancus Caſu 40.

RELIGIOSI EXCOMMVNICATI §. 2.

17. *Monachi intra Monaſterium arma tenentes ſine licentia, & cum praua intentione offendendi extra inuaſionem aut ſui defenſionem: exceptis baculis & lapidibus.*

Ab hac autem cenſura excipiuntur Canonici Regulares. Nauarrus nu. 139. Clement. *Ne in agro.* De ſtatu monachorum lib.3. tit.10. §. *Quia verò.* Sed iſta exceptio vel nõ reſeruatio locum habet ſolùm quando Religioſus vacat literis aut alteri licitæ rei extra Monaſterium. Tunc enim poteſt confiteri hoc peccatum coram Parœcis loci, & ab ijs abſolui. Alioqui in Monaſterio eſt Caſus Superiori reſeruatus, ex Artic. 5. Caſuum Regularium ad calcem totius Operis.

18. *Religioſi ſimplices qui decimas etiam animalium Eccleſiis debitas vſurpant, niſi requiſiti deſiſtant intra menſem, & emendam intra duos menſes ſoluant.*

Hîc non comprehenduntur ſeculares Clerici. Religioſi autem non niſi præmiſſa ſatiſfactione ſunt abſoluendi: quinimò ſuſpenduntur à beneficijs. Nauarrus nu. 138. Clementina *Religioſi.* lib.3.tit.8.

19. *Religiosi etiam exempti non seruantes interdictum locale & personale generale, quod seruat matrix Ecclesia vel Parœcia: non autem qui violant speciale.*

Clementina *Ex frequentibus*. lib. 5. de sent. excom. tit. 10. Nauarrus nu. 146. Syluester verb. *Excommunicatio*. 9. num. 90. in 47. & verb. Interdictum. 2. num. 1. ex prima Decretali, de postulat. Prælatorum.

20. *Minores qui tempore interdicti recipiunt ad sua diuina Fratres & Sorores de tertio Ordine.*

In cit. Clementinæ. cap. *Cùm ex eo.*

21. *Religiosi sine venia exeuntes ad audiendas leges, vel medicinam, & intra bimestre non redeuntes: paritérque Clerici seculares obtinentes dignitatem, etsi talia audiant domi: necnon Doctores qui hos omnes in suis auditoriys sine habitu patiuntur & admittunt, quantumuis audiendi permissione munitos.*

Nauarrus num. 116. & 134. Tum lib. 3. tit. 24. Cap. 2. in sexto. & S. Antoninus 3. par. tit. 24. cap. 52.

22. *Religiosi temerè habitum Ordinis dimittentes & viuētes Laicorum aut Clericorum secularium more, etiam cum animo redeundi vel habitum resumendi: hoc est modò alium habitum sumant, suúmue gestent occultùm; idque seriò & per tale temporis spatium, quòd iudicio boni viri dimisisse credatur.*

Nauarrus num. 131. & cit. cap. 2. in 6. tum S. Antoninus cap. 38. vbi suprà. Nam alio-

qui si eis desit illa redeundi voluntas, iam sunt apostatæ à religione, saltem per apostasiam externam & incompletam, scilicet posito quòd non deserant interiùs Catholicam fidem. Atque tunc ferè reducendi sunt ad 1. Casum Papalem parte 1. De quo vno membro vide finem Operis in 2. Casu Belgij Septentrionalis.

23. *Monachi ad quæuis studia etiam Theologiæ sine debita licentia accedentes.*

Nauarrus nu. 133. Eodem cap. 2. in 6. tum lib. 3. Decretal. tit. 50. cap. 3. & 10. S. Antoninus suprà cap. 53.

24. *Mendicantes religiosi immoderatè noua habitacula acquirentes, vel transferētes in alios vsus.*

Nauarrus nu. 127. lib. 3. tit. 17. cap. vnico. §. confirmatos in 6.

25. *Simplices Monachi & Canonici Regulares ad Curiam Principum se conferentes, vt damnum Prælato aut Monasterio inferant.*

Nauarr. nu. 139. Clementina cit. in Art. 17.

26. *Religiosi alios retrahentes à solutione decimarum Ecclesiasticarum.*

Nauarr. nu. 145. Clementina Cupientes. lib. 5. tit. 9. Polancus Artic. 5. casu 53. & sequenti ibidem.

27. *Instituentes nouum Ordinem religionis Monasticæ, vel accipientes nouum habitum illius.*

Nauarrus nu. 127. lib. 3. tit. 17. cap. vnico §. 1. in 6.

IVRISDICTIO ET EIVS VIOLATORES. §. 3.

28. *IMpedientes in quouis foro ecclesiastico litigantes in causis pertinentibus ad dictum forum, & fauorem ad hoc præstantes.*

Hos Parœcus tantùm absoluet, postquam satisfecerint iudici competenti & partibus. cap. Quoniam de immunitate Ecclesiæ & Glossa verb. Absoluatur lib. 3. in 6. Erit verò casus Papalis si impediantur literæ Apostolicæ; quia Bullæ Cœnæ aduersatur. Polancus casu 23. Hîc tamen sæpiùs abest culpa in multis Prouincijs, vel ex non sufficiēti eius promulgatione, seu receptione & vsu, vel ex dictis primæ partis in Articulos 19. & 20.

29. *Extorquentes vi & metu reuocationem excommunicationis, seu absolutionem excommunicati à iure, vel etiam ab homine, iustè vel iniustè.*

Hi tamen non incurrunt censuram, si absolutio non fuerit impetrata. Nauarr. num. 125. cap. vnico lib. 1. tit. 20. in 6.

30. *Impedientes monialium etiam exemptarum visitatores in suo officio, nisi moniti resipiscant.*

Nauar. nu. 140. Clement. *Attendentes* §. *si qui.* lib. 3. tit. 10. decernente Clemente Papa V. in Concilio Viennensi.

31. *Impedientes Legatos seu Nuntios Apostolicos, & eorum exercitia.*

Nauarrus num. 149. Extrauagans communis, de cōsuetudine lib. 1. cap. vnico Polancus

Artic. 5. Casu 69. modo non adsit hostilis detentio vel incarceratio Nuntij: quia tunc pertinet ad Bullam Cœnæ Domini, ex Tabula 1. Artic. 10. vel nisi speciali mandato fiat casus Papalis.

32. *Inferiores Papa qui aut sola ignorantia crassa laborantes aut per præsumptionem, absoluunt cæteros extra mortis articulum, vel extra annum Iubilæi & plenariæ indulgentiæ tempus, qui quidem cæteri per eos absoluti apparent excommunicati manifesti circa crimina atque censuras ipsi Papæ reseruatas, quæ continentur in Bulla Cœnæ, quæque notantur litera B. in prima parte.*

De his scribit Nauarrus cap. 27. & Extrauagans comm. de pœnit. & remissionibus lib. 5. cap. 1. Quod sanè absoluentium anathema veriùs nemini reseruatur, vt ibidem satis constat ex ipso Bullæ epilogo, quem ad viuum depinxit Nauarrus nomine Sedis Romanæ.

VEXANTES ALIOS. §. 4.

33. *VExantes cognatos aut etiam facultates eorum qui excommunicationem, suspensionem vel interdictum proferunt: si modò intra bimestre resipiscant.*

Siquidem vltra id tempus casus Papalis. Nauarrus nu. 96. & alijs locis citatis in casu Papali Tabula 1. Artic. 15. cui iste respondet è regione.

34. *Domini temporales interdicentes ſubditis ne quid à Clero emãt, ei vendant, obſequiáque exhibeãt.*

Bonifacius VIII. De immunitate Eccleſ. cap. vlt. in 6. Polancus caſu 25.

35. *Perſecutores Eccleſiaſticorum eorúmue conſanguineorum circa electionem quæ plerúmque ad ipſos pertinet in Eccleſijs Monaſterijs & pijs locis, dum Clerici eum nolunt eligere. pro quo à perſecutoribus rogantur.*

Nauarrus nu. 122. cap. Sciant cuncti de electione in 6. Ij autem perſecutores non imprudenter dicuntur violatores Eccleſiaſticæ libertatis, ex Artic. 1. Auxitano & locis alijs decentiùs ibidem citatis.

36. *Concedentes repreſalias hoc eſt pignerationes aduerſus perſonas Eccleſiaſticas aut res earum.*

Tales remanent excommunicati ipſo iure, niſi eiuſmodi repreſalias intra menſem, earum conceſſione reuocauerint. Plura Nauar. nu. 136. tum caput Etſi. De iniurijs & damno lib. 5. tit. 8. in 6.

CIRCA BONA EXTERNA. §. 5.

37. *Compulſores illi qui cogunt Eccleſiaſticos vt ſubmittant bona immobilia & iura ſua laicis: quique ter moniti ea poßident tum per decennium ſaltem, tunc per contractum minimè ipſis permiſſum ab Epiſcopo aut Capitulo, & à Sede Romana approbatum.*

Nauar. nu. 126. & lib. 3. tit. 9. cap. 2. in 6. §. Laici, Prælatis & reliquis Clericis per triennium ab officio suspensis, si sic alios è Clero compellant §. Contractus ibidem.

38. *Gubernatores aut alij omittentes reddere iura ecclesiasticis debita, vel ex negligentia, vel iniquo animo: iique primùm ter admoniti ab Episcopis aut alijs è Clero.*

Nauarrus nu. 114. cap. Administratores. 23. quæst. 5. Syluester verb. excommunicatio. 9. in 1. Sub hac tamen omissione iuris reddendi, non leguntur comprehendi decimæ retentæ, aut non solutæ Ecclesijs, ad hoc vt retinentes moniti ipso facto pro excommunicatis habeantur. Sed Syluester id explicat de Gubernatore ciuili qui recusat Ecclesiasticis, super eorum causis, alijsue iuribus incorporalibus iustitiam facere, vt alibi innuit Glossa, ex Articulo 18. & 19. Tabellæ Arelatensis, vbi tales numerantur inter violatores ecclesiasticæ libertatis.

39. *Priuati laici sine commissione, aut Clerici etiam commissarij inferiores Episcopis & Abbatibus, qui omnes timore, amore, pecunia, alienant ecclesiastica quæcunque bona, & alienata recipiunt extra Casus à iure permissos: ipsis Prælatis authoribus à suo regimine suspensis.*

Id habent Alexander 3. cap. 1. de Schismaticis lib. 5. Decretal. & Extrauag. Pauli 2. cap. Ambitiosæ. De reb. Eccles. non alienand. lib. 3. Qui quidem censuram nemini reseruauit.

Insuper vide Nauarrũ cap. 27.nu.108.& 149. art.211. Polancum casu 61. Casus autem alienationis permittendæ seu permissæ sunt 4. necessitas, vtilitas & commoditas Ecclesiæ; tum pietas pro redimendis captiuis, vt liquet ex locis à Syluestro citatis verb. Alienatio nu. 2.

40. *Locantes bona etiam mobilia & pretiosa Ecclesiarum, non quidem in tres annos aut circiter, sed in multò plures, vel saltem in longum tempus, extra præfatos Casus permissos, & præsertim cum mala fide, attamen sine priuatione beneficiorum locātis, ipso iure.*

Ad hos vsque limites, neque vltra, resolui tandem creduntur dubia posita à Nauarro nu. 150. circa restrictionem & interpretationem Extrauagantis citatæ Pauli 2. Maximè quia Concil. Tridentinum Sess. 25. de reformat. cap. 11. irritas decreuit locationes rerum ecclesiasticarum, etiam authoritate Apostolica confirmatas, quas à xxx annis ad longum tempus factas iudicabunt deputandi à Synodo prouinciali, eásque cōtractas in damnum ecclesiæ. Neque Concilium Pauli 2. extrauagantem abrogat. Præterea, sententia Syluestri ferè oppositi potius agit in Papalem reseruationem huius excommunicationis à iure, quasi velit eam nulli esse reseruatam (perindéque spectantem ad presentem locum) quàm agat in totalem eiusdem censuræ reuocationem, potissimùm quia hanc materiam describit inter Casus Papales verb. Excommunicatio. 7. Casu. 47.

41. *Præsumentes bona Ecclesiastica occupare, dum de nouo vsurpant ius patronatus, regalia, custodiam, vel titulum sine vllo iure fundationis aut præscriptionis quadraginta annorum.*

Nauarrus num. 133. cap. Generali de Electione lib. 1. tit. 6. in sexto. & Syluester verb. Excommunicatio 9. Casu 40. Hi autem ritè censentur inter violatores ecclesiasticæ libertatis.

42. *Impedientes sequestrationem beneficij per loci Ordinarium factam, vel fructus sequestratos occupantes.*

Isti ab Episcopali Vicario seu à Parocho absolui non debent, nisi priùs rem restituerint. Nauarrus num. 137. Clementina vnica lib. 2. tit. 6. Simile habetur in casu Papali Artic. 36. Qui duo Articuli ne confundantur, néue iste ad altiorem Casum trahatur cum pœnalis censuræ adiectione (quod non exponunt Authores) sic videtur distinguendum, vt vnus Casus (nimirum Papalis) concipiatur de lite cuiúsque Clerici pendénte in Curia Romana, alter verò in sola Episcopali sine respectu ad interlocutoriam aliquam aut definitiuam sententiam ac iudicis mutationem.

43. *Accipientes aliquid priuilegio vel consuetudine ex fructibus primi vel vlterioris anni vacantis beneficij: interdictis Capitulis, non autem locis pijs.*

Nauarrus nu. 150. Artic. 43. in lib. Constitu-

tionum

tionum Pij v. fol. 184. & alibi in Ecloge Bullarum ex eodem Pio.

CONTRA MORES. §. 6.

QVI non habent pro authenticis libros sacrorum Bibliorum, exceptis tertio & 4. Esdræ: quique scienter contemnunt Apostolicas Sanctiones.

Nauarrus nu. 149. art. 60. Concilium Trident. Sessione 4.

45. *Qui cum pertinacia negant Canones octauum, decimumquintum, vigesimumquartum, vbi tractatur de incremento gratiæ: tum qui negant quoque trigesimumprimum, 32. & 33. decerptos inter plures Canones Tridentini Concilij, De iustificatione, Sessione 6.*

Siquidem ipsi Canones videntur comprehendere solùm anathema iuris sine reseruatione cum ea nullibi habeatur, & sine conceptu etiam hæreseos: relictis ibidem cæteris canonibus, qui præsertim versantur circa varios sensus humanorum operum & gratiæ Dei vnà concurrentium in iustificatione impij, quique verè pertinent ad primam Tabulam Artic. 1. aut ad hanc secundam Artic. 5. tanquam hæretici & proinde reseruati. Hic verò exquisitus Articulus & sequentes tres cognitu dignissimi, à Nauarro aut alio authore hactenus expressi non sunt.

46. *Quicumque circa augustissimum sacramentum Eucharistiæ negauerit solos Canones quintum, 6. 7. 9. & 10: contentos in Sessione 13. eiusdem Concilij Tridentini.*

Nam certè eorum anathema iuris non legitur cuipiam reseruatum, nec tale natura sua creditur: sed duntaxat reseruatur anathema reliquorum sex canonum ibidem descriptorum, quiquidem ita complectuntur sacramenti integritatem, vt eorum impugnatores iam sint hæretici, & incidant in Articulos suprà reseruatos, quos modò citauimus.

47. *Quicunque pariter distinctam fidem oppugnat circa aliquem ex canonibus qui inscribuntur de sacramentis in genere, de baptismo & de confirmatione.*

Habetur Sessione 7. eiusdem Concilij Trident. vbi peculiaris doctrina & fides Ecclesiæ Catholicæ traditur sub pœna anathematis, etiam si talis homo sacramentorum numerum admittat.

48. *Quicunque etiam negat aliquem ex vndecim canonibus inscriptis de matrimonij sacramento Sessionis 24. eiusdem Concilij.*

Id verò locum habet, licèt talis homo credat matrimonium esse sacramentum, iuxta primum canonem, ibidem. Iam, quod dicendum superest de ipso Concilio Tridentino circa præsentem materiam, est de sacramento ordinis.

EX OCTO CANONIBVS SESSIONIS 23.

QVI ſunt de ſacris ordinibus, quartus tantùm & ſeptimus nulli videntur reſeruari ratione anathematis illic à iure deſignati. Reliqui autem Canones eiuſdem loci natura ſua creduntur eſſe reſeruati Papæ.

49. *Committentes fictionem ſeu fraudem cuius cauſa iudex accipiat teſtimonium mulieris.*

Nauarrus cap. 27. nu. 125. cap. *Mulieres.* lib. 2. tit. 1. in ſexto. Et pariter ipſe iudex excommunicatus eſt ſi in cauſa fuit iſtius fictionis: aliter non ibid.

50. *Officiales ciuitatum qui dictant ſtatuta vt ſoluantur vſuræ, vel vt ſolutæ repetantur.*

Nauarrus num. 143. de vſuris in Clement. lib. 5. tit. 5.

51. *Pars procurans vt Conſeruatores ſe intromittant circa iniurias violentas ſeu manifeſtas: integra ſatisfactione præmiſſa antequam abſoluantur.*

Nauarrus num. 125. & lib. 1. tit. 24. cap. 15. in 6.

52. *Vocati ad dirigendam electionem apud Moniales, qui non abſtinent à diſcordijs.*

Nauarrus num. 124. cap. *Indemnitatibus.* De elect. in ſexto.

53. *Laici scienter contrahentes matrimonia cum Moniali, aut cum affinibus & consanguineis in gradibus prohibitis: non tamen ij qui præbent solùm fauorem.*

Nauarrus nu. 141. Clement. 1. de consanguinit. lib. 4. Est verò notandum quòd sola etiam copula carnalis est vna ex speciebus sacrilegij. Nauarrus cap. 17. num. 95. & gradu prohibito est incestus, non matrimonium, ex casu 14. Tabellæ Belgij Septentrionalis. Alia explicamus aut 22. Viennensi de gradibus prohibitis ex illicita copula natis.

54. *Clerici seculares ac Religiosi eadem matrimonia cum quacunque ineuntes, etiam ignoranter (quæ tanquam nulla dirimuntur) aut inter ipsos scienter ea celebrantes.*

Nauar. loco cit. vbi duntaxat sermo est de absolutione censuræ cum culpa in foro interno: quòd ius cum nemini reseruetur, pertinet partim ad Episcopales Vicarios, partim ad Parœcos. Dispensatio tamen, quæ forum externum respicit, est Papalis. Syluester verb. *Casus.* in 41. Cap. *Eos qui.* lib. 4. Clementinar. & Glossa in verb. *Contrahentes.*

55. *Compellentes aliquos ad matrimonium contrahendum.*

Nauarrus cap. 27. num. 149. Art. 21. in Concilium Tridentinum Sess. 24. de Reformat. matrimonij cap. 9.

56. *Cogentes mulierem tum virginem tum viduam vt ingrediatur Monaſterium, præterquàm caſibus in iure permiſſis: itémque præſentes actui & dantes conſilium.*

Nauarrus num. 150. art. 4. *Tum è contrà etiam impedientes ipſam, ne ſuſcipiat habitum monaſticum.*

Ibidem Artic. 56. Excommunicatio iuris clariùs decernitur in Concilio Tridentino Seſs. 25. de Monialibus cap. 18.

57. *Negantes ſanctorum inuocationem.*

Ita Concilium Tridentinum initio præfatæ Seſſionis 25. cap. Mandat. vbi addit anathema. Id enim anathema, quod in œcumenicis Concilijs abſolutè ſtatuitur, eſt iuris & excommunicationis ipſo facto inflictæ. Cæterùm obiter hîc aduertendum, quòd hæc non reſeruatio præſentis anathematis intelligitur locum habere, ſi præfata propoſitio ſimpliciter & nudè aduerſus Sanctorum honorem proferatur, non autem ſi ipſa alicui hæreſi miſceatur: quia tunc eſſet Papalis in facto manifeſto ex parte 1. Artic. 1. aut foret Epiſcopalis in occulto ex Articulo 4. huius partis.

58. *Docens ſeruum alienum occaſione religionis dominum ſuum deſtituere poſſe inuitum, anathema ſit.*

Sic ad verbum Cauſa 17. Quæſt. 4. Si quis ſeruum. Quæ materia quia eſt diuerſæ ſpeciei à ſuperioribus, & nemini in De-

creto reseruatur : idcirco eam hîc seorsum apponimus, sicut & superiorem Articulum quinquagesimum septimum : etsi vtriúsque non meminerit Nauarrus.

59. *Raptores mulierum, fauorémque ad hoc scelus impertientes : qui si sint Clerici, deponendi, raptáque dotanda.*

Nauarrus nu. 149. Art. 53. Trident. Concilium Sess. 24. de Reformat. cap. 6. vbi decernitur nullum posse consistere inter tales matrimonium. Triginta septem Articuli hactenus seriatim conscripti nemini reseruantur.

SEQVENTES ARTICVLI SVNT TANTVM ROMÆ IN VSV. §. 7.

60. *Officiales ciuitatis in qua celebrabatur Papalis electio, qui tunc negligunt iniuncta statuta.*

Nauarrus num. 121. art. 12. Polancus art. 5. Casu 42. Et cap. vbi periculum. §. Praeterea. de Elect. in 6.

61. *Impugnatores literarum electi in Papam, antequam coronetur.*

Nauarr. num. 147. tum 73. distinct. *In nomine Domini.* Sanct. Antoninus 3. par. cap. 24. tit. 68.

62. *Mittentes scriptum aut nuncium, vel lo-*

quentes secretò Cardinalibus in conclaui Papalis electionis.

Censura tamen seu excommunicatio iuris non complectitur Cardinales intus sedentes. Nauarr. num. 121. S. Antoninus loco cit. Idque concipitur sine reseruatione, ex cit. Cap. *Vbi periculum.* §. *Nulli.* Paritérque duæ antecedentes excommunicationes nemini reseruantur: etsi harum trium materia ad summum Pontificem duntaxat spectet.

Perpaucos maioris Excommunicationis Articulos prætermittimus, cùm sint leuioris momenti vsúsque rarioris, vt pote in eos qui commentantur Caput *Exiui*, in voventes pro sepulturis, in Beguinos & Bononienses scholasticos ac alios. Nauar. num. 103. 114. 148. & apud Sanct. Antoninum citatum Cap. 48. Maximè quia ipse Nauarrus dicit multitudinis Casuum diminutionem à nonnullis fuisse desideratam, num. 50. Omittimus quoque Articulum circa edentes libros non approbatos, qui omnes articuli nulli sunt reseruati: Et circa prædicantem miracula falsa, quæ excommunicatio Papæ reseruatur, &c. in Concilio Lateranensi vltimo; tum quia censuræ eiusdem Concilij de ea re nõn sunt receptæ, ex Nauarr. nu. 111. & 148. tum quia posterior lex Concilij Tridentini, tacet in Indice, Regula 10. cùm totus index dũtaxat loquatur de vetita lectione li-

brorum hæreticorum, quæ verè ſoli Papæ reſeruatur, ſicuti commemoratum voluimus parte 1. Artic. 3. peccant tamen ſic libros edentes & concionantes.

Finis ſecundæ Partis.

TERTIA PARS HVIVS SVMMÆ:

QVÆ EST DE CASIbus, ſiue de quibuſdam mortalibus peccatis à maiore excommunicatione immunibus, quorum tamen abſolutio Epiſcopis reſeruatur.

PROLEGOMENON PRIVS.

Quare hæc 3. pars ſic inſcribitur.



VM hic agatur de reſeruata peccatorum mortalium abſolutione quæ nullam habet annexam maiorem iuris excommunicationem: optimè videmur hanc vnam tertiam partem non autem duas antecedentes, inſcripſiſſe

Casus reseruatos. Ita enim quando Fumus in Armilla [a] & Nauarrus [b] Casus Episcopis iure cõmuni reseruatos describere professi sunt, perspicuè docent nomine Casus concipiendas esse culpas nulli censuræ obnoxias, præter alia horum loca & rationes quas iam in eandem probationem attulimus [c]. Nauarrus enarrat decem Casus Episcopales ante sua secula rudiori paulò Minerua ab alijs Doctoribus absolutè recensitos, verbi gratiâ à S. Antonino [d]. Inter quos Casus, quintum & sextum reijcit: Quintum quidem, qui de dispensationibus votorum & iuramentorum est, iure respuit: quia (ait) *non debet numerari inter Casus, cùm vota & dispensationes non sint peccata.* Sextum verò, qui ad maiorem excommunicationem iuris pertinet, ideo nequaquam admittit, quia hic *non est casus reseruatus cùm inquit non sit peccatum, sed illius pœna, &c.* vbi, Authores illi supponunt atque testantur ea peccata seu culpas nudè & solitariè spectatas, quarum absolutio ad Episcopos contrahitur, vocari Casus reseruatos, nõ autem ita nuncupari dispensationes vel excommunicationes: hoc vno tantùm quia excommunicationes vel censuræ non sunt peccata vnde minùs appositè Nicolaus de Ploue notat seorsim Casus Episcopales præter Papales, quos promiscuè cum Excommunicationibus miscet, nec singula adhuc capita peruestigat. Doctè tamen & venustè excutit ea

a *verb. Casus* 1.
b *cap.* 27. *nu.* 262.
c *Animaduer.* 4. *Tab.* 1.
d 3 *par. tit.* 17. *cap.* 11.

quæ complexus fuerat in suo libro De sacris Ecclesiæ sacramẽtis, edito Parisijs anno 1586. Itaque, vt præcisè loquamur; culpæ dũtaxat appellantur Casus, & quidem reseruati: quia à reliquis culpis nemini reseruatis absoluunt Parœci, præter quàm ab ijs excõmunicationibus quæ in nostra parte secunda [e] referuntur. Sicque ipse Nauarrus & Summa Armilla Casus etymon atque naturam accuratiùs quàm reliqui inuestigarunt. Atque hinc opportunum fuit, vt id hodie manifestiùs ob oculos poneremus, & reseruationum Tabulas proprijs nominibus distingueremus: ne res hactenus ferè inuoluta, minùs peritos in grauem difficultatem conijceret.

e ab Artic. 13.

PROLEGOMENON POSTERIVS.

INter hos Casus & lapsus grauiores quibus sæpe homines præcipites ruunt, placuit veteribus Ecclesiasticarum Sanctionum conditoribus & traditioni vniuersalis Ecclesiæ, tollere Curionibus seu simplicibus probatis Sacerdotibus ius absoluendi à quinque Casibus qui hic subijciuntur, tanquam certissimi & notissimi inter cæteros: cùm tamen sub primitiua Ecclesia hæc potestas in foro conscientiæ omnibus presbyteris esset communis postea verò, statuuntur particula-

res Casus Sedium Archiepiscopaliũ nostræ præsertim Galliæ, quos ex professo multis laboribus in dissitis regionibus & Ecclesijs cõquisiuimus, vt plurium commodo totique Ecclesiæ vtiliores essent istæ Tabulæ, & maximè hæc vltima. In qua non miretur quis, si inter culpas Episcopis aut Archipræsulibus reseruatas, nonnullæ deprehendantur censuris passim admixtæ [f]. Nã ex 1. parte [g], si maior excommunicatio in solo foro externo tollatur à Papa vel alio Superiore, adhuc remanet culpa detergenda in foro interno, quæ prius anathemati coniuncta erat. hæc autem culpa sublato anathemate quoties vel communi, vel speciali iure Episcopis reseruatur, ab ea Parochus absoluere nequit. Cui rationi hîc adijcimus, quòd pernecessarium est rem ita se habere. Etenim Casus Episcopales coniũcti censuris aliter mente concipi & intelligi non possunt quàm cum cẽsuris vel certè falsi & malè constituti essent, quod ne cogitari quidem debet. Et Summularij quoque falsò dicerent, culpam incendiarij aut voluntarij homicidij in genere, Episcopis esse reseruatam: quandoquidem in multis speciebus ac exemplis eiusmodi reatus continent excommunicationem Pontificiæ tantùm absolutionis [h] veluti mox patebit in Casuum communitate locorúmque citatione. Ex quo concluditur, omnes etiam species eiusdem generis commemoratas inter Papa-

f *in 2. Tab. à 1. art. ad 12.*

g *in 3. Animaduersione.*

h *de homi. Tab. 1. art. 11. 12. de incend. art. 40.*

les, esse Episcopalis reseruationis quoad culpas seorsum relictas postquam sublata est cēsura in foro exteriori. Falso etiam Archiepiscopus Lugdunensis culpam simoniæ & reliqui Antistites cæteros Casus sibi reseruassent. Siquidem hi casus notorij & manifesti secum trahūt eam excommunicationem
i Art. 28. 29. quæ est [i] primæ partis, & Papalis etiam absolutionis. A qua excommunicatione cùm Episcopi iure suo absoluere nequaquā possint; sequitur directè tales casus non de adiunctis censuris intelligi, sed seorsum de culpis residuis post censuram exterius sublatam à quibus sanè delictis absoluerent parœchi nisi hanc inferiorum potestatem penes se retinuissent Episcopi. Causæ autem cur sapienter eiusmodi reseruationes locum habeant, hæ statuendæ videntur: nempe vt Christiani hodie propensiores ad peccandum quàm in prima Ecclesia: animos à criminibus abducant: Deinde vt Episcopi probent se superiores esse præsbyteris, non solùm ratione excommunicationum & dispensationum quæ sunt forensis ecclesiasticæ iurisdictionis, verùm etiam quantùm ad reliquos actus qui perhibentur interioris esse fori & circa solas culpas. Reliquæ conditiones monitu dignissimæ habentur inferiùs suis locis.

ARTICVLI CASVVM EPISCOPALIVM A IVRE.

1. *INcendiarij rerum duntaxat profanarum seu domus & frugum, dum hanc inferunt iniuriam ex proposito aut citra summam necessitatem, atque priuata authoritate: iique nondum denunciati vt neque excommunicati à iure.*

Habetur cap. *Pessimam* 23. quæst. 8. S. Antoninus 3. par. tit. 24. cap. 11. *Fumus*. verb. *Casus*. 5. Syluester eod. in 3. & 4. Ista autem Episcopalis reseruatio est de iure (vt loquuntur Summularij) eáque antiquissima: quatenus describitur in Extrauagante Benedicti 1 . cap. *Inter cunctas* §. *Incendiarios*. lib. 5. de Priuilegijs, qui Pontifex etiam constituit sequentes quatuor Casus, tanquam de vniuersali consuetudine censendos. De incendiarijs verò rerum sacrarum ipso iure statim excommunicatis & denuntiatis. Vide partem 1. art. 40. & part. 2. art. 9. Quorum vltimorũ incendiariorum cẽsura si forsan tolleretur in solo exteriori foro, culpæ solutio adhuc in foro interiori pergeret & superesset reseruata Episcopo eiusue Pœnitentiarijs de iure communi, vt constat ex præsenti Articulo & dictis superioris prolegomeni.

2. *Homicidium voluntarium aut realis membri abcißio facta cùm occultè tum etiam manifestè contra*

solos Laicos & extra terras Pontificiæ ditionis, illúdque ira, odio, inuidia aut prauo alio affectu & citra rationem assaßini perpetratum, atque seclusis ijs qui vulnera tantùm infligunt: & hinc abest maior iuris excommunicatio.

Hæc omnia referunt tres doctores modo citati, & Benedictus 11. necnon habentur 23. quæst. 8. *Si quis.* De alijs homicidarum excommunicatorum speciebus lege partem 1. artic. 11. & 12. & partem 2. art. 6. Quorum censura si exteriùs quandoque tolleretur, culpa pariter huc pertineret & maneret reseruata. Includuntur autem mandantes, ex ijs quæ afferuntur infrà sub 10. Casu Lugdunensi & septimo Belgij septentrionalis. Sed excluduntur non pauci. Primò illi qui inuasorem occidunt, iustæue militiæ adscribuntur. Secundò, & illi qui dum vacant rei licitæ & sufficientem diligentiam adhibent vel seruant moderamen inculpatæ tutelæ, occidunt aliquem præter intentionem: imò etiam cum intentione, si modò occisor vitam suam atque proximi, vel suum proximíque honorem aut res temporales defendit quæ ei sunt magni momenti, & quas tueri aliter non potest, etiam cum modico moderaminis excessu, qui non sit mortalis. Syluester verb. *Bellum* 2. §. 7. Nauarrus cap. 15. nu. 5. S. Antoninus 3. par. tit. 4. cap. 3.

3. *Falsarij cuiuscunque publicæ scripturæ alterius à Pontificia, & falsi testes dantésque falsum te-*

ſtimonium, aut verum tacentes coram iudice. Comprehenſis tum tabellionibus qui abſentium nomina in inſtrumento locant, vel ſigillum furtiuè ſurripiunt tum ijs quoque qui ſcripturas etiam priuatas ad alium ſpectantes lacerant, comburunt, celant vt amplius non appareant.

Quippe iſti tabelliones & reliqui etiam ibi appoſiti, verè ſunt falſarij, ex Syluestro verb. *Falſarius*. 3. & 4. Cætera habent Panormitanus in caput 1. De crimine falſi citatum parte 1. Artic. 5. Et Authores omnes citati Artic. 1. Fumus §. 6. verbo. *Caſus*. 5. Fit autem hæc falſitas primò addendo, demendo, mutando, radendo, lacerando, comburendo, celando, nouas literas effingendo, vel ſigillum adulterando. Secundò, fit falſitas quando in literis poſtulatorijs tacetur dignitas impetrantis: cùm tale reſcriptum impetratum ad beneficia non valeat. Cap. *Ad aures*. De Reſcriptis lib. 1. Decretal. Tertio, falſa latinitas vitiat reſcriptum Papæ, Cap. *ad audiendam*. ibidem. Quartò, hîc reſeruatur peccatum eius qui vitiato Prælati ſigillo vtitur, cum obligatione reſtituendi damna inde ſequentia: & ſi ſolus alius falſarum literarum vſus non reſeruatur, quando vtens non falſificat. Secus verò ſi nullus illo vtatur. Quinto, illi qui cum dolo atque iniuria *Datas* literarum mutant. Excipiuntur verò illi in primis qui corrigunt literas, ſi ſit aliquis error in illis manifeſtus: quia talis potiùs verificat, quàm

falſificet. Et hoc verum eſt in foro conſcientiæ, in quo ſolius veritatis ratio habetur. Nã in exteriori locus eſt præſumptionibus. Deinde & illi excipiuntur qui punctum inordinatè appoſitum radunt: & è contrà punctum omiſſum pro clariore diſtinctione adijciunt. Secus ſi punctum aut litera apponatur per quæ ſenſus verborum immutetur: quia ſenſum immutare eſt falſare. Reliqua cum alijs exceptionibus ſtatuuntur commodiùs in 14. Senonenſi, 31. Viennenſi & 17. Belgij ſeptentrionalis.

4. *Violatio eccleſiaſticæ immunitatis, qua cum intentione offenduntur ſoli circuitus locorum ſacrorum ſpatiaue priuilegiata.*

Articuli veritas patet locis omnibus citatis, & apud Syluestrum verb. *Immunitas*. 1. nu. 4. in 2. verb. *Sacrilegium*. 6. & cæt. Is que Caſus eſt ſacrilegium locale immune à maiori excommunicatione iuris. Qui tamen vt concipiatur, eſt neceſſariò applicandus ſubiectæ alicui materię, quod hactenus perſpicuè nullus videtur præſtitiſſe: cenſentur ergo eſſe quinque ſubdiuiſæ ſpecies peccatorum peculiari iure ſpectantes ad eiuſmodi ſacrilegium locale. Primo exempli gratia, ſtatuuntur tractantes in Eccleſijs placita & edicta ſecularia per ſententiam cuiuſcunque litis, lib. 3. Decretal. De immunit. Eccleſiarum tit. 49. cap. 1. & 5. Deinde, ſeditioſi & negotiatores

in

in ijdem, cap. *Decet*. eodem tit. in 6. Tertio, sepelientes ibidem mortuos in duello & ludo pugnæ intentæ, etiam absolutos, sed non munitos Eucharistia aut extrema vnctione, lib. 5. Decretal. tit. 3. Cap. 1. & 2. Voluntarium suipsius occisorem etiam veneno, 23. quæst. 5. *Placuit*. Religiosum inuentum proprietarium, lib. 3. Decretal. tit. 35. cap. 4. *Super quondam*. blasphemum in Deum sic morientem, tit. 26. De Maled. cap. 2. * & decedentem in notorio mortali 23. quæst. 2. *Quibus*. Syluester. verb. *Sepultura*. 11. relictis alijs sepulturarum exemplis minùs tutis nu. 9. & 10. Quartò, extrahẽs vi è loco sacro aliquos eò fugiẽtes ob debita aut delicta, & non præstita priùs cautione de non sæuiendo in eos; non tamen ob hæresim, neque propter sacrilegium aut factam percussionem in Ecclesia animo occidendi. Nauarrus cap. 23. nu. 17. 18. 19. & 20. Plura in 9. casu Auxitano. Quintò & vltimò, polluentes Ecclesiam idque genus sacrilegij localis aptissimè exponitur inferiùs, & quidem sex modis, ex Tabula Archiepiscopatus Lugdunensis Artic. 21. & Bituricensis Articulo 7. vbi pariter affertur discrimen inter locum sacrum & Ecclesiam, ex adiuncto Articulo 4. Parisiensi: singuláque confirmantur in 5. Casu Ebredunensis Archiepiscopatus, infrà. Quæ omnia exempla nisi locum habeant, superuacaneus videbitur & inutilis

* *lib. 5. Decre. tit. 27.*

iste casus nimirum generalis in veteri cõtextu. Etenim nullas habebit species nec vlla exempla quibus determinetur & restringatur. Neque rursus dari possunt sic alia exempla. Quippe, pro præsenti restrictione non debet sub hoc articulo comprehendi sacrilegium reale circa res sacras expositum in parte 1. Artic 27. 28. 29. 40. 41. & in parte 2. Artic. 9. 10. 35. 38. ac 41. neque personale reseruatum parte 1. Artic. 10. 11. 15. 17. 19. 20. & 44. Hæc autem duo sacrilegij genera (reale scilicet & personale) denominant propriè violationem ecclesiasticæ libertatis semper annexám censuris ac reseruatam: quam etsi miscere videatur Nauarrus cum immunitate nu. 262. in 3. clarissimè tamen eandem distinguit Syluester verb. Casus in 3. & 4. Offensiones verò factæ circa exteriora Ecclesiæ aut Clericorum bona, non sunt verum sacrilegium, neque huc spectant, Syluester verb. Sacrilegium in 3. de his in 1. parte Artic. 35. 36. 37. 38. 39. & in parte 2. generali ab Articulo 37. ad 43. vsque. Nihilominus ritè appellantur violationes ecclesiasticæ libertatis, & quodammodo ad reale sacrilegium possunt reuocari.

5. *Sortilegium siue consultorium circa res agendas absque necessitate, siue diuinatorium circa inquisitionem futuri à dæmone aut constellatione expectatum, aut sine Dei reuerentia, aut in electionibus ecclesiasticis sine alio priori delectu, aut conuer-*


tendo diuina oracula ad terrena lucra, non tamen ad damna vitanda: idque veriùs ſine maiore excommunicatione.

Reſeruationem huius Caſus deſcribit Caput citatum *Inter.* Deinde ſanctus Antoninus & Syluester locis allatis, atque verb. *Superſtitio.* 9. Præterea Fumus verb. *Caſus.* 6. Quamuis retractet num. 8. & taceat Nauarrus capit. 11. Enchiridij numero 38. Attamen anathema iuris quondam protulerunt Caput *Si quis ariolos.* & Caput *Sortes.* 26. Quæſt. 5. Licèt ſit potius communicatio cenſuræ infligendæ à iudice, ex cap. *Si quis Clericus.* ibidem. Vnde poſteriora iura id anathema canonis planè ſilent lib. 5. Decretal. De ſortilegijs cap. 1. 2. & 3. Tum verò Lateranenſe Concilium ſub Leone 10. cenſuram renouauit in ſolos Laicos, cum ſola comminatoria depoſitione clericorum non deſiſtentium Seſſ. 9. in Bulla. §. *Et cùm à iure.* Proptereáque Alphonſus hinc motus videtur, vt cenſuram omnibus promiſcuam commemorarit in candelabro aureo tit. de excommunicationibus nulli reſeruatis num. 39. & 45. At profectò minus rectè. Nam illæ Lateranenſes cenſuræ non ſunt receptæ ex teſtimonio Præſulum illius temporis apud Nauarrum capit. 27. num. 111. & 148. & præterea complectuntur partem duntaxat dicti Alphonſi, qui ſe latiùs extendit. Tutiùs

ergo insistimus posteriori relictæ & susceptæ Extrauag. *Inter*. quæ id crimen non obscurè docet esse Casum, quasi sine cẽsura reseruatũ (cum illam non commemoret) adiecta Doctorum consensione, & Glossa cap. *Si quis Episcopus verb. reseruentur*. lib. 5. tit. 10. in sexto. Alia in Casu 24. Lugdunensi, 7. Parisiensi & 1. Aquensi infrà.

DVPLEX APPENDIX.

PRIOR.



ADSVNT igitur quinque duntaxat species peccatorum cõmuni lege reseruatorum cunctis Episcopis toti⁹ orbis christiani: neque plures in hoc indice describere facilè potuimus. Quapropter, in hac tertiæ Tabulæ generalis ordinatione, prætermimus commemorationem peccatorum quæ sequuntur, nimirum in primis retentionem alieni, deinde matrimonium clandestinum, de quo cap. 3. lib. 4. Decret. tit. 16. tertiò blasphemiam publicam, quam etiam remouẽt Summularij [k], vtpote quæ cum præfato matrimonio verius pertinet ad omnes Episcopos in solo

[k] *Naua. nu. 262. Sylu. verbo. Blasphem. 7. li. tit. 26. c. statuimus. Cõc. Lateran. sup. cap. Ad abolendam.*

foro contentioſo, quàm in ſacramentali ſeu interiori de quo iſtic agitur: quartò ſubſtractionem decimarum, inceſtum, ſodomiam, vſurpationem mobilium vel immobilium Eccleſiæ ſi cenſura primæ partis [l] in ſolo exteriori foro forſan deleretur, periurium, & nonò oppreſſionem filiorum etiam caſu factam. Quæ ſingulæ peccatorum ſpecies cõmemorantur cum perpaucis alijs in vnica Gloſſa capitis *Si quis Epiſcopus.* citata Articulo 5. [m] tanquam cõmunes Antiſtibus. Omittimus inſuper peccatum ob quod ſolebat veteribus imponi ſolennis pœnitentia nũc obſoleta ex Nauarro num. 262. & denuo tandem miſſum facimus multiplex Clericorum peccatum cum annexa irregularitate deprehenſum, à qua culpa Parœcus ſeorſum abſoluere poteſt tanquam nemini reſeruata de iure communi, poſteaque pœnitentem remittit ad ſuperiorem, vt in irregularitate cum ipſo peccato ſimul contracta diſpenſet, teſte Nauarro loco cit. Itaque hac in parte exponitur Extrauagans [n] *Inter cunctas.* quæ hunc etiam Caſum hoc pacto deſcribit, ſcilicet quòd ipſa concipiatur de ſola irregularitate quæ quidem perpetuò ſanè reſeruatur, non de peccato quod eam comitatur, eumque ſenſum confirmat ipſe Nauarrus num. 254. & multis alijs textibus in ſecunda parte citatis [o] (de illo adiuncto peccato loquitur ex

l *ab art. 35. vſque ad 39.*

m *li. tit. 10. in 6.*

n *lib. 5. de priuileg. cit. Art. 1.*

o *in ſec. Præfat. ad calcẽ ſub liter. tit 11. ex S. Thoma, Fumo & Nauar.*

profeſſo ſequens Appendix.) Attamen id totum quod dicimus non obſtat quin particulares Epiſcopi paſſim aliqua ſibi peccata retineant ex his quæ irregularitatem habent annexam ſiue antecedentem [p] ſine concomitãtem [q], eamque explicatu difficilem. Talia, exempli gratia, patent inter plura ex Tabula Caſuum Lugdunenſium infrà Artic. 34. 5. 10. 24. 25. & 28. & talia etiam ſunt quæ ſinguli Antiſtites viderint expedire ſuis quiq; in locis, Porrò, miſſa quoque facimus vndecim alia peccatorum genera à Speculatore apud S. Antoninum enumerata [r]: quos equidem Caſus pariter propoſuiſſe videtur tanquam communes, ſed minus rectè. Ea propter ſimiles Caſus, quotquot hac Appendice commemoramus, in generali etiam indice qui ſuprà extat, non collocauimus: tum quia pœnæ ſunt reſtringendæ, vbicunque non concurrunt ſuffragia doctorum ferme vniuerſa & cauendum nè multitudo inanem fortaſſis ſcrupulum & ſollicitudinem pariat conſciẽtijs: tum quia ijdem Caſus in particularibus pleriſque Archiepiſcopatibus & Epiſcopatibus ſparſim retinentur à multis ſæculis, ſicuti infrà liquet per Galliam vniuerſam: Ita vt antiquitus viſi fuerint magis eſſe de

p *Nauar. nu. 195. 198. 201. 202 205. 221. 246. & 248. vt in cit. Præfat. ſub literis x & y Suntque circiter duo Caſus cum peccato tum ſex ſine peccato.*

q *hoc eſt vel cũ cẽſura violata ex n. 163. & 244. ſũtque plusquam 7. Caſus cũ ſuſpenſionen. 115. 156. 157. vel ſine ſuſpẽſione nu. 241. à §. irregularis etiam & toto nu. 242. Syluest. verb. Irregularitas. §. 11. & 12. ſuntque circiter quinque Caſus.*

r *Par. 3. tit. 17. cap. 11.*

ſola parculari quarumdam Eccleſiarum conſuetudine tempore Speculatoris, & quidem tunc confuſo ſtylo typis mandata, quàm de generali & communi totius Eccleſiæ vſu. Sic igitur cum Theologorum examine has omnes ſententias tutiùs ad quinarium numerum contrahimus pro communibus Caſibus ſtatuendis: vt cum apertiore Canonum præſcripto finis imponatur is dubijs quæ dudum emerſiſſe teſtantur quatuor Authores maioris notæ in eodem quinario citati. Breuem hanc Epitomen à nobis conſcriptam ſperamus probatam iri à Sacroſancta Sede Romana vniuerſalíque Eccleſia cui nos noſtraque humiliter ſummittimus: dum Tabulæ paucis depingendæ plura non patiuntur: De quodam verò Caſu Epiſcopali adhuc ancipiti circa libros ſecundæ claſſis vetitos, aptius ſermo inſtituitur parte 1. Articulo 3. vnà cum vetitis primæ claſſis eò referendis.

POSTERIOR APPENDIX.

CVM opus tandem libri formam in ipso fere prælo susceperit, quam ideo liberiùs paulò extendere licet: operæ pretium visum est paucis annotare quid & quotuplex sit peccatum, Clerici irregularitatẽ annexam habens, de quo obiter in superiori Appendice & altera Præfatione secundæ [u] partis verba *Fecimus*. Sic enim Lector habebit præ manibus compendium eorum quæ sub obscurè & fastidiosa lectione tradunt nonnulli Doctores. Hoc igitur peccatum imprimis bifariam concipere decet. Siquidem delictum ita annexam habet irregularitatem, vt vel ipsa id antecedat; vel idem peccatum eam concomitetur, & vtrunque simul generetur, Irregularitas antecedens, quam quis incurrit ante eam mortalem culpam quæ in clericatu committitur, est iterum duplicis generis. Aut enim aduenit sine culpa. Exempla irregularitatis sine vlla culpa sunt hæc: bigami, illiterati, atque plures defectus corporis in iure expressi, vtpote monoculus, illegitim⁹, leprosus, morbo caduco dilatio baptismi in laborans, dilatio baptismi in adulto vsque ad ægritudinem, & quidam alij; Syluester verb. *Corpore vitiatus*. & Nauarrus[x]. Qui tamen homines laici, si ad sacros ordines accedant absq; præuia legitima dispẽsatione, tũc certè peccatum cõtrahunt, taléq; appellatur primo sẽsu connexũ irregularitati

u ad calcem.

Exactior totius irregularitatis diuisio, eaque biceps.

1. diuisio iterum duplex.

x n. 205. &c.

quæ verè præcesserat. Exempla verò eius irregularitatis quæ cum graui culpa antecessit Clericatum, hæc septem leguntur: homicidium à laico perpetratum, eiusdem apostasia à fide Catholica, bis suscipiens scienter baptismum; infamia iuris aut facti, enorme peccatum depositione dignum [y] etiam occultum, sodomia si sit notoria, [z] & septimò is qui solenniter cùm manipulo ministrat in ordine sacro quem non habet, Syluester verb. irregularitas 12. Hi si citra dispensionem ordinentur, iterum peccant, & sine noua irregularitate remanent suspensi ab ordinis exercitio, donec absoluantur.

y Nauar. nu. 246. & 248.

z num. 249.

2. diuisio, rursus duplex

Iam pro altero membro, irregularitas quæ non incurritur nisi in ipso actu quo peccatum à Clerico committitur, est rursum duplex, eáq; definita solum & certa quædam peccata; quæ quidem magis propriè, quàm superiùs allata, dici videntur annexa irregularitati. Prior cõtinet lethalia peccata cum irregularitate nascentia ex ipsamet ordinum susceptione, qualia cernuntur in ijs qui vno die minores ordines & subdiaconatum recipiunt, qui ab excommunicato Episcopo sese ordinare fecerunt, [a] qui ordinantur extra tempora, & quartò qui recipiunt ordines in statu maioris excommunicationis [b] & cuiuscúnque censuræ nondum sublatæ. Posterior, complectitur peccata vnà cum emergente tunc irregularitate commissa, circa or-

1.

a etiamsi ignorauerint Episcopi censuram.

b num. 241.

2.

dinum antea susceptorum exercitia, & circa aliud illicitum opus extra ordinis executionem. Circa primum versantur peccata Clerici excommunicati, suspensi [c] aut interdicti, qui in illo primo statu ante absolutionem se ingerit diuinis officijs etiam in minoribus ordinibus, si modò ea solenniter & nomine clericatus fiant: & tales Clericos ab hac irregularitate non excusat crassa ignorantia, sed sola probabilis. Excommunicationum articuli patent omnes distinctissimè in duabus superioribus partibus numero cētum octodecim. Superest duntaxat reliqua delictorum exempla enumerare, quæ cùm irregularitate circa ordinum susceptionem aut sacras celebrationes emergunt post inflictam à iure suspensionem minimè antea sublatam. Hoc enim compendium paucis manifestabit rem minùs notam & prolixæ lectionis apud Summularios. Sunt igitur ipso facto suspensi quicunque promouentur ad Ecclesiasticos ordines per saltum, sine licentia, ante legitimam ætatem, absque titulo, vel quintò cum pacto non petendi ab Episcopo victum. Hi ergo manifesti tales, aut in contentiosum forum ob id deducti, si ordines susceperint ante Papalem absolutionem à censura, statim in irregularitatem incidunt: in quam pariter labuntur Clerici qui post susceptum ordinem sacrum exercent noto-

c num. mox cit.

Suspensi qui Clerici.

rium concubinatum, [d] quíque sic suspensi ante Episcopalem absolutionem sese diuinis rebus Ecclesiastico ritu (non laïco) immiscent. Denique circa secundum modum qui est de peccato Clerici extra ordinis exercitium patrato, commemoratur peccatum Religiosi intra bimestre non redeuntis in claustra, è quibus citra licentiam egressus est ad audiendas leges vel physicam, Syluester suprà [e], de quorum excommunicatione in hoc casu habetur 2. parte. Articulo vigesimo primo: tum culpa Episcopi & Subdiaconi cum intermedijs, qua prætextu iniustæ excommunicationis recurrit ad summum Principem secularem, Causa 21. quæst. vlt. cap. penultimo. [f] Tertiò, peccatum eorum qui quempiam admittunt ad professionem ante annum probationis in ordinibus Mendicantium, & Religiosi alienantes aliquid pertinens ad prouinciam & administrationem quam habent, cum paucis alijs Casibus, ex Nauarro num. 156. qui etiam omnes irregularitatem confestim incurrunt, eò quòd in suspensionis statu talia præstant. His addimus quoque septenarium nnmerum eorum criminum quæ in superiori diuisione ab homicidio commemorauimus, si Clerici ea forsan post sacram ordinationem committerent. Hæc diligenter aduertenda.

d *Tab. 1. Admonit. vlt.*

e *nu. 21. & 22. verb. irregular. & tit. ne Cler. vel Mona. vlt.*

f *& 23. qui vlt. si quis.*

DE TOTA SEQVENTI TABELLARVM TRACTATIONE.

Authoris propositũ circa sequentes Tabellas Prouinciales.

IAM ſequuntur Tabulæ Achiepiſcopatuum Galliarum, quarum textus plerunque obſcuriores atque ambiguos nobis oportuit commentarijs explanare. Atque profectò eiuſmodi Tabellas ſeu Caſus prouinciales & Epiſcopales latiùs paulò licuit, imò decuit perpolire, quàm in ſuperioribus tabulis factum ſit. Etenim articuli iſtarum tabellarum iam fusè enumerati & explicati ſunt apud Nauarrum & reliquos Doctores ſuis locis citatos: eapropter nobis fuit ſatis ſummaria eorum capita perſtrinxiſſe & noua tantùm diſcuſſiſſe ſi quæ occurrerent, At verò prouinciales Galliarum Caſus nequaquam ad hanc vſque diem prodierunt in lucem, præſertim cum expoſitione neceſſaria & requiſita. Has autem opportunas interpretationes ſequentibus tractatulis iam aggredimur. Et quoties opus videtur, exhibemus rationum momenta quæ intimam articulorum naturam adaperiunt, ſinguláque etiam aptamus antiquæ paſſim Theologorum & Summulariorum doctrinæ: vnde & neceſſe fuit nos paulò liberius ac fuſius exſpatiàri. Singulos autem Articulos vniuſcuiúſque Sedis Archiepiſcopalis diſtinctè & ſub vno quoque Archiepiſcopatu deſcribi-

mus, ratione duplici. Primò quidem, quia etſi plerunque nonnulli articuli in eandem materiam concurrant, tamen non in eandem propoſiti ſenſus latitudinem: ſed quiſquę locus ſeu textus peculiares habet circunſtantias, quæ in vnum miſceri haud potuerunt. Et propterea quiſque locus peculiarem ſuam expetijt ferè interpretationem. Secunda cauſa eſt, quòd ſinguli ferè Archipræſules, in ſuorum ſubditorū gratiam, ſuos Caſus, ſeorſum conſcribendos peroptarunt. Qui ordo reuera viſus eſt magis conſentaneus rationi. Cauſæ verò quæ nos impulerunt vt in prioribus Tabulis prouincialibus haud rarò citemus poſteriores etiam Tabellas, præter antecedentes, proferuntur in articulum poſtremum Belgij ſeptentrionalis.

Quare ſinguli Caſus Archiepiſcopales ſeorſum ſtatuuntur.

TABELLÆ DISTINCTÆ & peculiares Caſuum Archiepiſcopalium totius Galliæ, ad planiorem tertiæ huius Partis explicationem.

LVG-
DVN.

TABELLÆ CASVVM Lugdunensis Archiepiscopatus, Galliarum Primatus: Ex Synodo Lugduni celebrata Anno 1577. & Capite XI. Statutorum Synodalium tunc in lucem editorum.

CASVS ANNEXI CENSVRIS.

1. *IMONIACI.*

Pro huius Casus seu articuli primi expositione, sicut & cæterorum, pauca hæc dicenda videntur. Hoc quidem loco non intelliguntur Simoniaci reales in beneficio vel ordine, quia soli Papæ reseruantur, fortè etiamsi occulti sint, vt prima parte Artic. 28. & 29. exposuimus, ex quorumdam sententia; quamuis fateamur non esse id receptum in multis prouincijs, in *quibus seruanda est semper regionis consuetudo*: neque hîc denuò concipiuntur simoniaci conuentionales in eodem beneficio accepto in confidentiam simoniacam etiam tacitam, modò alterutra pars non sit planè criminis ignara: sed primùm reseruantur conuentionales in-

ter partes duntaxat, hoc eſt quando executio ex neutra parte ſequitur in eodem beneficio vel ordine: deinde reſeruantur reales in ſimoniaca penſionis tranſlatione, aut circa emptionem ac venditionem iuris patronatus, quia iſti actus non verſantur circa ipſamet beneficia quod eſt neceſſe vt reſeruentur Papæ ex loco citato partis primæ; tum reſeruãtur ſub iſto textu ſimplices confidentiarij, & omnes alij in quamcunque tandem veræ ſimoniæ ſpeciem cecidiſſe dignoſcantur, tanquam non comprehenſi in præfato Papali Articulo 29. Quorum omnium mortale peccatum (quod appellari poteſt ſimonia ſimplex) quantumuis nemini reſeruetur iure communi, nec anathemati iuris alligetur ex Nauarro in Enchiridio cap. 23. nu. 111. nihilominus in hoc Lugdunenſi Archiepiſcopatu & in particularibus alijs Diœceſibus meritò reſeruatur, quotieſcunque in aliquo Synodali ſeu prouinciali ſtatuto vox ſimoniæ in genere, vt hîc, exprimitur. Alio qui certè nullus eſſet iſte Caſus: quia aliter cum Papali citato in eodem ſenſu concurreret, quod cõcedi non poteſt. Et quòd hic ſenſus inter Caſus Epiſcopales de ſimonia neceſſariò ſit admittẽdus, demonſtrat textus articulorum trigeſimi Auxitani Archiepiſcopatus, ſecũdi Arelatenſis ac Viẽnenſis, atq; vltimi Ebredmẽſis, infrà. Omnis autem irregularitas hinc forſan contracta, eſt

penes Episcoporum dispensationem in communi, ex parte 2. gener. Artic. 4. Ad extremum huc spectant simoniaci etiam reales in beneficio vel ordine, si priùs absoluerentur à censura Papali in solo foro externo tanquam notorij (& si perrarò accidat): quia eorum culpa adhuc tunc remaneret Episcopalis in foro interno, vt manifestum est ex parte. 1. Animaduers. 3. Pauca ad calcem Tabulæ Parisiensis. Notandum verò quòd purè mentales simoniaci aut fiduciarij nulli reseruantur in illo suo lethali peccato quod fluit ex sola voluntatis deliberatione. *Nam externæ* duntaxat actiones possunt reseruationi subiacere.

2. *Qui attentarunt & violarunt pudicitiam alicuius virginis atque Monialium seu Religiosarum.*

Hic Articulus vniuersalissimè positus duo insinuat: priús quidem cõnotat huius pudicitiæ corruptionem seu deflorationem, virgine aut Moniali tacitè consensum præbente, estque propriè stuprum in virginem perpetratum quod nulli censuræ subijcitur. Posteriùs, si ipsæ virgines aut Religiosæ renuant prorsus & vis inferatur, est verè raptus maiori excommunicationi permixtus; sed communi iure nemini reseruatur ex parte 2. Artic. 59. Veruntamen actus ille in isto Archiepiscopatu reseruatur sub præsenti Articulo, Et vtrunque membrum huiusce Casus satis æquari videtur Articulo 8. Parisiensi, qui rem latiùs paulò explanat. Vt autem hanc mate-

riam

riam penetremus, in gratiam quoque similis Articuli sequentium Episcopatuum, totam allati vtriusque membri naturam & velut amplam definitionem tradere expedit. In primis stuprum est violenta virginis defloratio; quando honesta virgo sub parentum tutela existens, importunis precibus, magnis promissis, dolis aut exquisitis alijs modis allecta corrumpitur: qui modus est violentia interpretatiua: vel quando vir, vt potiatur eâ quæ sæpius restitit, dat illi fidem contrahendarum nuptiarum etiam scripto & coram testibus, quia sufficiunt ista vt credatur filiam non propria sponte acquiescere, sed quodammodo inuitam: vel denique quando vir sponsam de futuro, ante matrimonium coram Parocho & testibus contractum, ad actum matrimonialem induxit, timore illo incusso, quòd nisi consentiret, aliam duceret. Raptus verò est quo persona, siue sit virgo, siue corrupta & vidua, siue etiam vir, contra suam vel parentum voluntatem carnaliter cognoscitur: vbi profecto non sufficit interpretatiua violentia solis promissis atque blanditijs facta (qualis ad stuprum sufficit ex dictis) sed debet adesse vera & propriè dicta violentia: vtpote quando vir per se vel per interpositas personas puellam è paterna domo, vel aliam mulierem aliunde transfert ad suam aut alienam domum, licèt blanditijs postmodùm ab illa copulam extor-

Stuprũ quid.

Raptus quid.

LVG-DVN. queat, & quamuis etiam matrimonium præsente Parocho ac testibus contrahat, quia antecessit vera violentia. Eóque pertinent tum ij qui concubinas suas resipiscere volentes & iam separatas, vi ad domos suas reuocant, eisue abutuntur, tum illi quoque qui per prædones sibi nobilem aliquam matronam capi iusserunt, eaque potiti sunt: quæ omnia sunt notanda. Valde enim conducunt ad explicationem & intelligentiam sequentium tabellarum. Porrô non reseruatur hoc loco raptus cuiuscúmque personæ, sed soliùs virginis & religiosarum, at non viduarum, etsi earum raptus reseruetur Art. 8. Parisiensi. Aliquot exceptiones require ex articulis 11. & 12. Belgij septentrionalis, quarum nonnullæ hîc reseruantur.

3. *Sacerdotes publicè concubinam habentes.*

Hoc est, præter censuram suspensionis, quæ iam est communis iuris Episcopalis ex parte 1. in posteriore annotatione: culpa hîc etiam reseruatur, quamuis non alibi si minimè indictum fuerit ex parte 1. loco citato, & parte 2. in posteriore Præfatione. Plura ad calcem Articuli 20. huius Tabellæ. Interea notandum ex capite 34. Statutorum Lugdunensium quæ initio Tabellæ citauimus (Ea Lugduni excudit Ioannes Stratius) concubinarios etiam laïcos, omnes esse excommunicatos, quod censetur intelligendum de excommunicatione iuris, maximè post sufficientem denunciationem seu intimationem Pa-

rochi è ſuggeſtu factam publicè & dominico die, quatenus ibidem præcipitur. Verùm certè eiuſmodi excommunicatio nemini reſeruatur, ſed de eius abſolutione opinandum eſt iuxta formam Articulorum 40. Partis 2. generalis expoſitam in præfationibus ibidem adiunctis. Sacerdotes verò ſic excommunicati celebrantes ante ſacramentalem alterius Sacerdotis abſolutionem, incidunt in irregularitatem in qua ſolus ſuperior poteſt diſpenſare. LVGDVN.

4. *Clerici & Presbyteri, qui excommunicati ſiue ſuſpenſi ante abſolutionem à cenſuris ordines ſuſcipiunt, vel in ſuſceptis celebrant aliáue diuina peragunt in Eccleſia.*

Iſtud peccatum mortale circa ordinationem & celebrationem commiſſum in cenſuris, etſi habeat annexam irregularitatem ex Nauarro nu. 241. alibi tamen ſeorſum non reſeruatur ſublata & preciſa cenſura, vt liquet ex cit. Præfatione & priore Appendice Caſuum communium: niſi id ſpeciatim in alijs quoque Diœceſibus commemoretur. Hæc verò intelliguntur etiam de excommunicatis ipſo iure, per quoduis crimen contentum in ſuperiotibus Tabulis, quantumuis forſan non ſint notorij. Et eorundem irregularitas ſi publica fuerit à ſolo Papa tollitur. Nauar. nu. 244. excipe crimen Homicidij: nam irregularitas ex eo contracta reſeruatur Papæ quamuis factum occultum fuerit.

LVGDVN. 5. *Clerici non promoti ad sacros ordines, per suum Episcopum, aut de eius licentia.*

Tales eo ipso sũt suspẽs. Nau. nu. 151. perindéque culpa nequit deleri in foro interno sine absolutione à suspẽsione, quæ est semper reseruata. Idem Nauar. num. 141 §. *Atqui.* Quòd si ante suspensionis absolutionem ordines exerceant, incidunt in irregularitatem. quæ non nisi à Romano Pontifice tollitur, §. 1. Intellige si illa irregul. fuerit manifesta.

6. *Excommunicati nolentes exire de Ecclesia.*

Est primus Articulus peculiaris huic Archiepiscopatui, vsque ad 24. Viennensem seriùs receptum, vbi materia occurrit explicanda.

7. *Qui iniiciunt manus violentas in Clericos & Religiosos, quos olim oportebat pro absolutione ad Sanctißimum Dominum nostrum Papam proficisci: sed nunc propter locorum distantiam & mortis periculum in itinere, accedent ad Episcopum.*

Iste Casus seu textus non potest vniuersim totus admitti, quo pacto describitur: sed iuxta formam veterum Canonum. In quibus sanè communi iure permittitur omni Episcopo, vt tales reos absoluat à culpa, & simul à contracta censura, in sola leui (tametsi notoria) percussione, vel in illa graui tantùm, quæ excusatur nonnullis conditionibus senectutis, ægritudinis, sexus, & reliquarum, quales habentur parte 2. gener. Artic. 1. ad octonarium vsque numerum, & quales insu-

peradiunguntur in Casu 32. Rothomagensi, promulgante olim Hostiensi doctore. Eiusmodi autem octo conditiones sunt aliæ omnino à superioribus duabus in hoc textu positis: vtpote quæ petuntur tum ex distantia, tum ex periculo itineris. Et quidem, eæ octo aut similes plures conditiones ideò admittũtur. quia pendent tum ex veteri canonico iure, tum ex approbatione vniuersalis passim Ecclesiæ, perindéque Romani Pontificis, etiamsi conditionum exempla in decretis facilè non inueniantur. At duæ præfatæ conditiones istius Articuli sunt solum ex noua seu priuata lege vnius Synodi Archiepiscopalis, vnde etiam nequeunt concipi de enormi percussione, eo quòd nullus Archiepiscopus potest iura Superioris hoc est Romani Pontificis restringere, sine eius approbatione, vel tacita vel expressa. Attamen ipsæ duæ conditiones iusta de causa hîc statuuntur. Nam distantia loci & viarum discrimina, etiam in libero homine atque robusto, sufficienter supplentur per secretas literas ad sanctissimum Papam: quæ prudens missio his temporibus licitè est in vsu; nec opus semper est vt persona rea hoc iter suscipiat etiam propter grauem percussionem. Docet hoc communis praxis & fauet Nauarrus, quando missionis Nuncium appellat Legatum vel alium ad id priuilegio munitum, cap. 27. num. 90. ad

Exceptiones.

LVGDVN. 4. & 5. Quòd si tamen sit opus moderamine circa duas eiusmodi conditiones noui iuris Diœcesani, dici posset eas duntaxat aut potissimùm posse locum habere in aliquo singulari euentu, qui sit paulò grauior & vitatu difficilior, absque generali regula cuiuscunque periculi, aut locorum distantiæ. Quos ideo euentus cautè & prudenter aduertere debent ij qui confessionibus audiendis deputantur. Cæterùm, hic Articulus complectitur mandantes, ex Articuli 11. partis 1. & ex Nauarro cit. capite 27. num. 51. & 78.

8. *Excommunicati maiore excommunicatione.*

Meritò dubitatur an sub hoc breui & obscuro casu debeant comprehendi soli excommunicati per amplissimi D. Archiepiscopi sententiam, an verò omnes etiam à iure excommunicati maiore excommunicatione, quorum quidem absolutio ex secunda parte, Parœchis permittitur, in qua sunt quadraginta permissionum articuli. Primùm creditur veriùs, tum ob pœnas in dubijs restringendas, quando lex adeo vniuersim loquitur, vt res in ipsamet littera non contrahatur ad excommunicatos à iure: tum qu iabona pars illorum 40. articulorum recens à Romanis Pontificibus constituta est; scilicet multò tempore post primam Casuum Lugdunensium dispositio-

nem. Nam etſi hæc Synodus & hæc Caſuum exemplaria recentiora ſint quàm Senonenſis Tabella & ſecundi eius articuli: tamen creditur quòd Lugdunenſes articuli fuêre innouati ad formulam veterum perpaucis immutatis, vt colligitur ex artic. 19. præſentis Tabellæ, videretur tamen opus vt reuerendiſs. & vigilantiſſimus Archiepiſcopus clariùs ſuam hodie mentem aperiret, ſuíſque promulgaret Eccleſijs quantam eam hîc eſſe velit: ſic vtrúmque membrum diſtinctè & prudenter digeritur in Caſibus Rothomagenſibus, qui infrà ſtatuuntur: prius quidem membrum ibidem habetur Articulo 30. de excommunicatis ab homine ſeu à ſententia iudicis, & poſterius Articulo 32. de cæſis ipſo iure, veluti apertè illic conſcribitur. Addo etiam reſeruationem eorundem 40. articulorum poſſe intelligi de facto notorio, in quo ſolo ea locum habeat: vt nimirum in facto occulto Parochus poſſit abſoluere. Sicque putantur ritè concipiendæ ſequentes Tabellæ de ſimili materia quandiu textum adeo generalem patientur. Articulus complectitur etiam Caſum 3. Tabulæ generalis. LVGDVN.

9. *Sepelientes quencunque excommunicatum in cæmeterio.*

Iſti qui excõmunicatos ſepeliũt sũt pariter excommunicati maiori excõmunicatione & ipſo facto: atq; eorũ abſolutio iã reſeruatur

LVG-DVN. cũctis Epiſcopis, ex communi regula expreſſa parte 2. Articulo 8. vbi ſermo eſt de ſepelientibus excommunicatos notorios, id eſt quancunque ob cauſam deprehendantur excommunicati: quæ ſanè cauſa reducitur ad articulos centum octodecim in duabus primis partibus huius libri digeſtos. Mitto perſimiles excommunicationes ipſo quoque facto inflictas ſepelientibus alios commemoratos in præfato Artic. 8. tanquam in præſenti Articulo minimè recenſitos. Nam hoc non obſtante, iam iure communi reſeruatur Epiſcopis id genus peccati ex dictis ibidem. Huc etiam ſecundò pertinent ſepelientes hæreticos, cùm ſint eo ipſo excommunicati, de quibus habetur Articulo 7. ibidem in communi. Tertiò ad hunc 21. Articulum ſpectant quoque ij, & quidem multò magis, qui ſepeliunt excommunicatum nominatum cum ſimilibus antea generatim monitis & declaratis Articulo 2. eiuſdem partis 2. Cæterùm, etſi Articulus loquatur duntaxat de cœmeterio: non eſt tamen dubium quin complectatur clauſtrum, in quo alicubi mos eſt defunctos ad ſepulturam admittere: quia huic argumento eſt quòd talia clauſtra, ſunt conſecrata more cœmeteriorum. Et reuera, clauſtra in hoc ſepeliendi iure, aliud nihil ſunt quàm cœmeteria. Neque inſuper vllus poteſt eſſe anceps, quin ſub hoc caſu cõprehẽdãtur multò magis excommunicati ſepulti in Eccleſia.

licèt textus meminerit duntaxat cœmeterij qui enim palam deſcribit minus, facilè concipit maius in eodem genere officij ſeu ſepulturæ. Hactenus de Caſib us immixtis cenſuris, qui ſunt omnino nouem ſeorſim à nobis ex profeſſo diſpoſiti: Expetiuimus enim hunc doctrinæ ordinem imitari, facilioris dilucidationis gratià. atque hæc dicta ſunt de caſibus qui cenſuras adiunctas habent. LVG. DVN.

CASVS ABSQVE CENSVRIS.

10. *Homicida ſui aut aliorum.*

Hic etiã incurritur maior excõmunicatio ſi occiſus ſit clericus, aut ſi agatur de ea ſpecie homicidij quæ ſit aſſaſſinus, aliter verò minimè: ex dictis ſecundi Caſus communis, cum quo iſte concurrit. Et exceptiones ab hac regula pœnali ibidem rurſus patent. Hic quoque reſeruantur mandantes homicidium fieri, etiamſi ipſimet non occidant, modò ſequatur effectus. Nam eſt maleficium in humanam perſonam. Et omne tale maleficium quod non eſt in res alias quàm in hominem, in reſeruatione complectitur mandantes. Sic cenſemus eò reſtringendam perplexam & nimis breuem Sylueſtri explicationem verb. *Statutum* 2. Qua de re latiùs patet Artic. 7. & 17. Belgico, ſub expreſſo ſuo vocabulo maleficij, non aliò facilè remittendo, niſi forſan ad eos etiam qui mandant fieri falſitatem in ſolis literis apoſtolicis, ex Tabula 1. gen. Artic. 5. Igitur æquo animo feras, Lector, ſi te

LVGDVN. ſaltem hîc cogamur ad ſequentia & inferiora Operis remittere.

11. *Incendiarij.*

Clariſſimè legitur in 1. Caſu communi cunctis Epiſcopis: additis conditionibus ibidem declaratis, & petitis ex ſuperioribus Tabulis, per quas ſæpe adiungitur excommunicatio.

12. *Falſarij.*

Vide id totum in 3. Caſu communi.

13. *Qui opprimunt infantes.*

Ex vi textus hîc concipitur ſola oppreſſio voluntaria: de qua capite *Veniens ad nos.* de his qui filios occiderunt*: vt cùm quis ira commotus in mulierem, pugna vel baculo interimit infantem, percutiendo matrem, aut ſi alio notabili & culpabili modo opprimitur. Non autem complectitur iſte Articulus primò pauperculas mulieres quæ infantes ſeminudos exponunt frigoribus ac ventis, vt prætereuntes ad largiores eleémoſynas commoueant: quanuis ipſi morbos inde contrahant, & matres lethale committant. Secus ſi forte infans propterea moriatur: quia tunc culpa videtur reſeruari: vide etiam articulum 27. ſequentem. Secundò, & hic excipitur caſualis oppreſſio. de qua caſualis effectus natura habetur explicatio Articulo 5. Rhemenſi. Et ratio eſt quia pœnæ ſunt reſtringendæ ad literæ formam, quantum fieri poteſt, cap. *Pœnæ. Cauſa* 33. quæſt. 3.* Alia in 10. Belgico. hîc quoque mandantes coercentur ex allatis arti-

* *lib.* 5. *Decret. tit.* 10.

* *De pœnit. Diſtinc.* 1.

culo 10. præſentis Tabellæ.

14. *Qui procurant abortum fœtus in muliere prægnante: aut dantes conſilium, auxiliumque præſtantes.*

Id tamen peccatum (ſicut & præcedens *) tunc ad homicidij crimen refertur, reúſque vt talis punitur, ſi abortus procuretur poſt animæ infuſionem, 32. quæſt. 2. *Quòd verò non.* Eiuſmodi autem procuratio abortus eſt eiectio fœtus immaturi ſiue formati ſiue adhuc informis, ſiue animati, ſiue etiam inanimati: informis quidem vt embrionis adhuc carentis diſtincta membrorum organizatione, immaturi verò, vtpote antè rationalis animæ infuſionem: modò intendatur violenta fœtus eiectio, per potiones & medicamenta, vel ſi mulier non vult abſtinere à rebus quas quas ſcit abortum inducere, & fœtus præmaturè eijcitur, ſcilicet poſt duos vel tres circiter menſes, viuus quidem, ſed debilis ac imperfectus, qui forſan baptizatus ſtatim interijt, quia ex accidente editus eſt in lucem & vixit; maximè cùm non omnia venenata medicamenta ſtatim operentur effectum, ſed tempore interiecto. Additur & tertius procurationis reſeruandæ modus, qui eſt mortalis exceſſus mariti in verberanda vxore idque non ſolum per ſe, ſed cõprehenſis etiam mãdantibus ex art. 10. Eiuſmodi verò animæ infuſio accidit in maſculo ad diẽ 40. & in fœmina ad 80. Et reſeruatum cõcipitur id peccatũ,

Art. 13.

Abortus quid.

LVGDVN. si sequutus sit effectus: non autẽ aliter, pœnæ enim sunt restringendę in generali contextu. Alia in 17. Viennẽsi, 13. Rothomagensi & 21. Senonensi. Vbi de conditionibus malitiæ & negligentiæ. A præfata reseruatione excipitur imperfectus ille partus infantis, qui verè procedit ex alia causa, quàm ex præcedenti procuratione per potiones, hoc fine acceptas. Cætera in 9. Belgico.

Exceptio

15. *Qui graui ictu aliquem membris captum & impotentem reddunt, seu per se, seu per alium.*

Iste textus concipi etiam debet de Laico percusso: tum quia per se generalissimus est, tum quia percussores Clericorum iam sunt aliunde excommunicati cum distincta reseruatione ex artic. 7. huius Tabellæ. Hicque articulus 14. est secundus peculiaris isti Archiepiscopatui: qui mandantes complectitur.

16. *Clerici aßistentes sententiis criminalibus, quæ dignæ sunt morte, aut effusioni sanguinis.*

Iste articulus cum sequente sunt 3. & 4. casus peculiares huic Sedi.

17. *Promoti ad sacros ordines sine prauia tonsura, & sine continuata reliquorum ordinum susceptione gradatim.*

Et meritò: quia id totum prohibetur per Concil. Trident. Sess. 23. De Refor. cap. 4. & 6. Tum Nauarrus cap. 25. nu. 68.

18. *Presbyteri qui carnaliter cognouerunt eam mulierem, quam in confeßione audiuerunt.*

Afferunt quidam rationem quòd sit tunc vno sensu vera cognatio spiritualis: vt pote quia pœnitens ratione huius sacramenti pœnitentiæ est filius aut filia Sacerdotis confessarij, qui dicitur pater spiritualis propter spiritualem diuinæ gratiæ generationem in anima pœnitentis, sub sacra ista actione, qua homo simul de sua salute instruitur, cap. *Qui abstulerit*. 12. Quæst. 2. & cap. *si quis Sacerdos*. 30. Quæst. 1. Adeóque talem copulam carnalem vocant incestum cap. *Virginibus*. 27. Quæst. 1. Sed sanè hoc non patet: nec ratio eiusmodi sufficientem habet vim. Est enim ea spiritualis cognatio impropriè dicta. Et reuera etiam Volumen Synodi Lugdunensis cap. 13. §. 24. eam cognationem non enumerat inter spirituales ibidem expressas vnà cum Trident. Concilio cit. Artic. 12. Senonensi in hunc finem: etsi sordidi eiusmodi actus merito hîc reseruentur. Igitur ratio huiusce Articuli est potius, quia hoc tetrum peccatum vergit in maximum dedecus ministerij, redditque odiosam & inuisam confessionem. Et propterea rite id genus delicti reseruatur Lugduni: estque quintus Casus specialis huic Sedi Archiepiscopali. Alia in 1. Casu Rothomagensi, vbi cætera eius genera hîc prætermittenda reseruantur.

19. *Incestuosi, & qui cum Iudæo atque Iudæa coniunguntur.*

Hîc duplex pars assignatur. Prior est de in-

Incestus quotuplex. cestu: qui quidem adeo generaliter conscribitur, vt complectatur omnem proprij incestus latitudinem, hîc reseruatam. Ea verò latitudo in primis habet inclusiuè quatuor primos gradus consanguinitatis atque affinitatis prohibitos, ex enumeratione iuris Canonici: iuxta quos Canones duo fratres vel duæ sorores constituũt primum gradum, qui iure ciuili efficiunt secundum, ne intra quatuor eiusmodi gradus contrahi possit matrimonium, vel legitima cognatio carnalis: 35. quæst. 5. *Ad sedem Apostolicam.* tum Cap. *Non debet.* De affinit. & consang. lib 4. Decret. * *tit.14.* & D.Thomas 2. 2. quæst. 154. art. 9, nempe proficiscitur illa cognatio vsque ad abnepotes medijs nepotibus & pronepotibus, non autem ad atnepotes in collaterali descendentium linea. Secundò, eadem continet incestum commissum intra vnum vel duos primos ad summum gradus affinitatis contractæ ex illicita seu fornicaria copula, pariter vetitos ad incundum coniugium, ex Concilio Trident. decreto de Reformat. matrimonij Sess. 24. Cap. 4. Etiamque talis incestus locum habet in clandestino matrimonio, tanquam irrito & inani, ibidem Cap. 1. Prior incestus in Casu 9. Parisiensi strictiùs reseruatur, quia illic ad secundum gradum retrahitur. Attamen totus latiùs exprimitur in 12. Casu Senonensi, quem iste adæquat: necnon in 1. Rothomagensi & 13. ac 14. Belgij septen-

Consanguinitas & affinitas quanta.

trionalis, vbi comprehenditur etiam repertus inter affines sola cognatione spirituali atque legali coniunctos. Quæ quidem homonyma acceptio annumerari non debet sub hoc generaliori contextu vt pote qui debet duntaxat suo ambitu, retinere incestum synonimè & propriè sumptum, id est carnalem solùm. Posterior articuli pars est de carnali copula cum Iudæis, etiam per viam naturalem, non sodomiticam. Qui sanè Iudæi dum in præsenti articulo ac Synodo commemorantur, censetur primæua horum Casuum institutio antiquior esse quàm præ se ferat annus Synodicus 1577. Nam Lugduni hodie non habitant Iudæi, neque ante ducentos annos, vt neque supersunt ampliùs in tota Gallia, sicut olim fuerunt incolæ vrbis Lugdunensis. Propterea non videbatur opus ista adiectione hoc nostro seculo. Quippe Iudæi Lugduno expulsi sunt anno 1311. possessionibus fisco traditis die festo sanctæ Mariæ Magdalenes* Quo sanè tempore sacra inauguratio Clementis Papæ V. Lugduni celebrata est in Ecclesia sancti Iusti. Satis ergo conijcitur istos Casus iam tunc & antea fuisse constitutos, ac nostro æuo duntaxat renouatos seu iterum promulgatos. Quæ argumenti vis confirmat insuper ea quæ articulo 8. dicere opportuit. De copula cum Iudæis vide alia Articulo 14. Viennensi.

LVGDVN.

* *Guil. Parad. in Volumine Lugdunensis Histor. lib. 2. cap. 60.*

20. *Qui copulantur cum bestiis, & sodomitæ,*

LVGDVN.
& alij horribiles ac abominabiles scortatores & impudici.

Istud scelus appellatur peccatum contra naturam: nomine generis. Ad cuius Articuli naturam seu reseruationem probè concipiẽdam, simúlque id genus sequẽtium: pro priore Articuli parte notandum est quatuor esse species peccati contra naturam, ex D. Thoma 22. quæst. 154. *Prima est peccatum, quod fluit ex turpissima carnali commixtione cum belluis ac dæmonibus tam incubis quàm succubis. Secunda, qua exercetur copula inter duos eiusdem sexus in vnica specie humana, perinde semper diffuso semine extra vasa ordinata à natura: estque sodomia generationis expers, vtpote quam exercet masculus cum masculo, vel fœmina cum fœmina. Tertia est quando bestiali pariter modo non naturali siue extra vasa siue in vasis destinatis, frustrà spargitur ipsum semen inter duos eiusdem speciei humanæ, sed diuersi sexus, per eandẽ copulam. Et quarta species est mollities, nimirum voluntaria seminis eiectio tum solitariè, tum etiam cum alio in debitis speciebus & vasis: attamẽ cum indebita actione & modo, atque citra carnalem omnem copulam, adeo vt generatio rursus sequi nequaquam possit. Quòd si inde sequeretur conceptio partus, eiusmodi peccatum iam esset alterius speciei, nempe carnis, quod esset vel fornicatio, vel

art. 11. in corp.

tio, vel ſtuprum, quale huc minimè perti- LVGDVN.
net. Et hæc mollities ſeu pollutio eſt infima ac leuior ſpecies peccati contra naturam. Ex quibus ſpeciebus, ſanè tres priores comprehenduntur hoc loco atque reſeruãtur Lugduni vi præſentis Articuli: demitúrque vnica poſtrema ſpecies bimembris, nimirum mollities, quia nec implicitè ſatis id continetur in textu. Benè quidem ſub eiuſdem Articuli cortice reſeruatur alia omnino ſpecies, videlicet peccatum ſcortorum & frequentioris paulò ac continuatæ fornicationis, tametſi via naturali exerceantur impudici illi actus, neque hoc ideo ſpectet ad vllũ peccatum contra naturam. Quod quidem frequẽtioris fornicationis peccatum ſecunda eſt & poſterior huiuſce Articuli pars. De ea autem aſſueta fornicatione, hîc alia pauca ſubiungemus, quæ ad eam materiam pertinent, quæque velut compendium continent nonnullorum Caſuum quos iam in hac Tabella expreſſimus, quiq; paſſim occurrent in ſequẽtibus Tabellis circa peccatũ carnis. Tria igitur proponimus. Vnum eſt quòd ſi laici matrimonia contrahant cum affine aut moniali profeſſa, copula hinc proueniens eſt verè inceſtus cum illa, & ſtuprum cum iſta, de quibus art. 2. & 19. præſentis Tabellæ. Secũdum eſt, quòd ſi Clerici cum quacũque etiam ſoluta non tamen affine idem præſtent, copula eſt prorſus fornicaria, & per vigeſimum hũc Articulum reſeruatur: quæ ſi domi foueãtur,

Multiplex fornicatio.

LVGDVN. Iam dicitur concubinatus; De quo reſpectu Clerici habet ar.3.huius loci,&reſpectu laici art.12.Rhemẽſis infrà. Miſſas facim⁹ carnales

Concubinatus. copulas ſub prætenſo matrimonio habitas à præfatis omnibus viris cũ mulieribus iã coniunctis eiſdẽ intra quartum prohibitũ affinitatis & cõſanguinitatis gradũ ex legitima & cõiugali copula prouenientem,quia tales ſtatim celebrato matrimonio etiam antè copulam maiori excõmunicatione vinciuntur nemini reſeruata in cõmuni,locis citatis *.Tertium eſt, quòd poſtquã Subdiaconus aut ſuperior Clericus ſemel fœminam ſolutã carnaliter cognouit,ſi poſtea pergat,ſanè illi act⁹ in ſequẽtibus ac reliquis cõmixtionibus ſunt fornicarij inceſtuoſi, quicquid credatur de prima vice. Ratio eſt quia is per primũ abusũ fornicatorium cõtraxerat cognationẽ quam poſtea habet tum cũ ipſa, tum cũ eius cõſanguineis & affinibus intra ſolũ primum gradũ repertis,& Concil.Trid.* Vbi ſancitur quòd vir,etiã laicus, ex præcedẽte copula cõtrahit affinitatem cũ talibus mulierculis quæ ineũdũ coniugiũ impediat,& initũ dirimat. Vide alia art.15.Belgij Septentr. & ætatem in eiuſmodi delinquẽtib⁹ requiſitã art.15.Senonẽſi.

*ex Tab. 2.gen. art.53. & 54.

*ſeſſ.24. de Refor. matr. ca. 4.

21. *Qui polluit Eccleſias, aliáue loca ſacra.*

Iſte Articulus latior eſt Caſu 7.Bituricenſi: quia præter Eccleſiam pollutam omni pollutionis genere illic commemoratam, complectitur iſte textus loca etiam ſacra, id eſt cœmeterium ab Eccleſia ſeiunctum, eremi-

torium cõmune, clauſtrum, domum Epiſcopalem, ſacellum & hoſpitale Epiſcopali authoritate conſtructum. Nauarrus in Enchir. cap. 25. nu. 17. & 18. Eiuſmodi tamen pollutio non eſt hîc ita propria, quin iam pertineat ad violationem immunitatis Eccleſiarum, tanquam communi iure reſeruatam: qua de re eam ob cauſam loquitur quartus Caſus communis tertiæ Tabulæ generalis in 5. ordine interpretationum ibidem allatarum. Species verò pollutionis Eccleſiæ, quæ ſunt ſex habẽtur commodiùs in Caſu 7. Bituricenſi. LVGDVN.

22. *Sepelientes in loco vetito violatores Eccleſiarum, cœmeteriorum; & locorum immunitatis.*

Certè in hoc Caſu non reſeruantur primò iudices litis ſententiam ferentes in Eccleſia, 2. negotiatores & ſeditioſi in eadem, & 3. ſepelientes morientem in pugna vltrò intenta, vel ſui occiſorem, Religioſum proprietariũ, blaſphemum & omnem notorium peccatorem ſic è viuis decedentem de quibus quarto caſu communi egimus. Hi enim omnes etiam ſine cenſura per ſe reſeruantur citato loco ſed textus præſentis articuli vlteriùs progreditur. Quippe reſeruat eos qui ſcienter, & velut in contemptũ ſtatuti Epiſcopalis, ſepeliũt tales Iudices, ſeditioſos, negotiatores: itémque illos reſeruat qui ſepeliunt mortuos in pugna & quatuor etiã prædictos videlicet homicidam ſui, religioſum proprietarium, blaſphemum, & morientem in notorio pec-

LVGDVN.

cato mortali. Siquidem nisi textum ita interpretemur, vix possumus legitimum eius sensum assequi: etsi res eiusmodi durior forsan nonnullis videbitur. Tales enim habētur pro violatoribus Ecclesiarum, cœmeteriorum & locorum immunitatis. Præterimus quartum membrum & insuper quintum de polluentibus ipsa tépla, quatenus describuntur in pręfato 4. communi. Nam etsi ad hunc quoque Casum pertineant: tamen nihil noui addunt: propterea hoc mēbrum relinquimus in cōmuni, quintum etiam patet rursus in art. 20. istius Tabellæ alibi exposito. Cæterum, opportunè & egregiè traditur iste casus Lugdunensis 22. vtpote qui implicitè cōtinet adaugétque ea quæ nos recentissimè adduximus art. 4. cōmuni, ad maiorem ipsius expositionē antea valde dubiā, nec satis dilucidè editam.

23. *Sacerdotes & ministri, quorum negligentia aliquid indecens committitur in sacramento altaris.*

Si negligentia & indecentia tanta nō sit vt mortale peccatū efficiat sine vllo dubio, non reseruatur, quia veniale non solet nec debet reseruari. Si vero est grauis tunc reseruatur. Et forte dura quibusdam videtur præsens reseruatio, eo quòd leuiora mortalia retineat: prudenter tamen facta est scilicet quia nullā mortalis indecentia cōmittenda est circa sacramentum adeo augustum & tremendum. In eo enim singula incidétia cautè prospicere oportet, ne dignitas tanti táque prætiosi cor-

poris profanetur ſub ſacris ſpeciebus. Exẽpla mortalis eiuſmodi defectu s ſeu negligentiæ, eſt in primis (verbi gratià) ſi hoſtia cõſecrata caſu diſpareat, vtpote vento abripiatur, ſi panis non ſit ex maiori parte triticeus, ſi non ſit azymus, ſi cõfectus ex aqua roſacea, ſi ex naturali quæ cœperit corrumpi: quod totum eſt graue peccatũ hoc loco reſeruatum, licet alioqui conficiatur ſacramentum. Quòd ſi panis non ſit triticeus, vel conficiatur ex aqua plane corrupta, cum ſimilibus maioribus defectibus in materia, ita vt verè non ſit panis tunc ſanè non fit ſacramentum: & proinde id grauius peccatũ iſtic multò magis reſeruatur, cùm ſit mortale ex malitia, & ex ſe omnium grauiſſimum. Secundum exemplum eſt ſi per negligentiam aliquid de pretioſo Chriſti ſanguine ceciderit: ſi vinum parùm cœperit aceſcere, & corrumpi, vel ſit muſtum, tunc de vuis recens expreſſum, ſi nulla adſit aqua infundenda ex vetutiſſimo Eccleſiæ præcepto, aut ſi roſacea vino infundatur: tunc enim, etſi cõficiatur ſacramentum, eſt tamen graue peccatum, ſi vero non ſit vinum de vite, aut ſit iã omnino corruptum, vel quid maius horũ deſit, non fit ſacramentum: adeóque multò fortiùs crimen reſeruatur. Tertiò. ſi Sacerdos aliquid de forma detrahat, vel ei addat certa intentione, quãuis mutatio ſignificationem non mutet, ſi in cẽſuris vel in lethali celebret habens copiam cõfeſſarij, & tunc ſaltem non LVGDVN.

LVGDVN. sit ieiunus à media noctè, si corporale sit ex serico non ex lino, si celebret in loco saltem non deputato ab Episcopo, si absque clerico si muliere iuuante, si cuppa calicis sit ærea vel vitrea & nō saltem stannea, aut quid aliud accidat quod notabile scandalum fidelibus afferat: quanquam verè perficiatur sacramentum. Quòd si præterea Sacerdos intendat delusoriè quid agere, aut non consecrare, non conficit sacramentum: ex eóque crimen faciliùs adhuc reseruatur. Quartò, si exteriùs à Sacerdote adhibeantur superstitiosę ceremoniæ, velut à dæmone profectæ, nec ab Ecclesia probatæ, vt pote si idem presbyter accepta casula nigra Missas mortuorum celebret pro viuentibus, vt citiùs moriantur. Iam exceptiones ab hac reseruatione hæ esse possunt, nimirum si altare tribus mappis non sit semper coopertum, si ob leuiorem causam ante diem vel post meridiem celebretur, si capite cooperto, si ante decãtatas matutinas preces, nō enim est hoc semper mortale peccatum. Suares, 3. parte. de sacram. disp. 82. sect. 1. Emanuel ibidem post Domin. à Soto. lib. 10. de Iustit. & Iure. q. 5. art. 4. si post pollutionem celebretur, quæ ob turpem præcedentem cogitationem acciderit, quia rursus est defectus extra altare; non autem in ipso altari & circa sacramẽtum, qualem hic postulat textus. Sic passim quoque hanc materiam resoluunt D. Thomas, & sequaces Theologi, tertia parte Summæ quæst. 74. ab art. 3. vsque

Emanuel sa verbo, missa.

ad 8.tota quæſt.78.& quæſt.83.art.6.quo nos lectorem remittimus. LVG. DVN.

24. *Hæretici, ſchiſmatici, ſortilegi, incantatores, qui in ſua arte abutuntur oleo ſacro & Euchariſtia.*

Caſus primò comprehendit omnem mortalẽ abuſum ab infidelibus non ſortilegis patratũ, id eſt ab hæreticis aut ſchiſmaticis nulla arte ſortilega præditis, de quorum definitionibus habet pars 1.gener.art.1.& 4.Secundò etiam peccatum ab illis peccatoribus alioqui fidelibus cõmiſſum, quo ipſi ſortilegia profitentur aut ſaltẽ incantationibus vtuntur, etſi fidem catholicam ore fateantur. Hícque Caſus non ſolùm quadrat cum primo Aquenſi, & 21.Belgico hac in re, ſed primariò cũ quinto communi, qui latiùs patet, dum verſatur circa alias quaſcũque ſortilegij materias. Vide reliqua magis appoſitè Belgico, qui adijcit abuſum ſacræ Scripturæ.

25. *Vſurarij manifeſti.*

Iſte Caſus accedit ad Articulum de reſtitutione facienda:& vterque exponitur in ar.25. Senonenſi. Sed hîc opus eſt breuiſſimè vſuram exponere cum Nauarro cap.17.à n.206. Quæ quidem definitur eſſe lucrum pecunia æſtimabile ex pacto & primaria intentione ſupra ſortem acceptum, ex mutuo vero vel fucato, non tamen ex lucro ceſſante vel damno emergẽte in mercatore, qui ex mercatura viuit. Igitur, pro exceptionibus à præſenti reſeruatione, licet vti cambijs hoc pacto cõ-

LVG- DVN. ditionatis vt ſequitur: primò ratione officij mutuandi, quod eſt campſorum: 2. pro minuta præſenti pecunia commutanda, quæ carior eſt vno in loco * quàm in alio: 3. propter pecuniarias literas ad varia loca miſſas in cõmunis neceſſitatis commoda: 4. propter rerum tranſlationem tum emendo priùs alibi, tum per legitimum alium contractum [a]: 5. ob damnum emergens & lucrum ceſſans commemoratum: 6. pro cuſtodia pecuniarum nũmulariorum publica authoritate conſtitutorum: vltimò per commutationem præſentis pecuniæ pro abſente. Sic exponitur Bulla Pij Papæ 5. quam deſcribit idem Nauarrus num. 300. Quod attinet ad quintum modum fuſius explicandum, certè eſt duntaxat vel damni proximè emergentis [b], vel ſaltem lucri ceſſantis in ſolutionis dilatione, elapſo termino & vrgente mutuandis negotio ſeu neceſſitate, vt veriùs creditur. Adeóque tale lucrum excuſat ab vſura: ſi modò pecuniæ à mutuante & petente acceptæ alioqui eſſent paratæ reali expoſitioni negotiationis aut emptionis rerũ frugiferarum, & modò quoq; abſit omnino occulta fraus vſuraria, ſeu exceſſus in conſcientia ne excedantur limites veri damni emergentis vel iuſti lucri ceſſantis, tanquã permiſſi ſupra ſortem ex priuatarum circunſtantiarum conſideratione, quales præciſè vir prudens aduertet ac diiudicabit ſine dolo animæue periculo. Aliter ſubeſt proculdubio vera vſura, quamuis forſan occulta,

* nu. 301.

a loco cit. nu. 291. & 293.

b n. 211.

quæ hîc non reſeruatur donec ad ſtatum aliquo modo notorium peruenerit. Hac tamen in re, ex tutiore ſententia,[c] vix peccant homines cuiuſcunque ſtatus, qui dum ſuas pecunias facilè non poſſunt vel audent exponere mercibus ſeu emptioni prædiorum, eas tradunt alijs in nundinis eam augmento ſoluendas ſtato termino, ſcilicet vt ipſas ſibi conſeruent & ex lucro viuant. Eiuſmodi enim actio excuſari poteſt & reduci ad quartum ſaltem aut 5. & 7. modum: modò hæc pecunia in Cambium data tradatur ex principali intentione propter lucrum verè ceſsãs, & maximè proximis nundinis,[d] non autem vi ipſius mutui in quo cõſiſtit vſura.[e] Alioquin ſanè tales iterum ſunt vſurarij, & hîc reſeruantur præſertim notorij. Verùm certè non deprehendimus quonam pacto eximi poſſunt ab vſura præfati homines omnis ſtatus & ex mẽte Nauarri eximẽdi nu. 296. ſaltem id non videmus quando ſortem ſuam ex priuato & certo pacto repetunt poſtquam ex eius augmento & lucro ditati ſunt, vt accidit, & potiſſimùm Eccleſiaſtici viri, ac alij qui mercaturam non exercent, vt in eos rite quadrare poſſit aliquis ex præfatis ſeptem exceptionum modis, veluti Nauarrus docere nititur num. 297. eo prætextu ducti quòd commoda prędia offendere non poſſunt, quę ex ſuis pecunijs emant. Quapropter tunc potiùs videntur teneri efficere & creare perpetuum cenſum ſuarum pe-

LVGDVN.

c *num.* 296.

Nauar. d *nu.* 301 §. *ad hæc* e *num.* 296.

LVG-DVN. cuniarum quas à ſua poteſtate ablegent, vt repetere non poſſint: etſi iuſtiſſimè hunc fundum nummorum (ſic vulgò vocant) vendere ac teſtamento ad hæredes transfundere queant more prædiorum: ſicuti hodie fieri aſſolet multis in locis. Quas omnes mutui circunſtantias & ſpecies minimè ſatis apertè diſcuſſit idem Nauarrus: quinimò videtur propendere in nòn vſuram ex ſortis tandem ſuſceptione à petente mercatore aut alio nobili, qui quidem mutuò præbuerat, neque ſuas à ſe pecunias ablegarat, veluti præſtare debuit. Viderint ergo Doctores & timoratæ conſcientiæ. Nam quod nos attinet, iudicamus hunc modum omninò improbandum, ex hominum probè literatorum ſentẽtia: hîc quoque reſeruatur vſura nomine cambij perſonata & fucata propter dilationem quam indulgent campſores debitori vſque ad alias

f *nu.*301. proximas [f] nundinas, tum etiam illi qui palam ob dilatam ſolutionem cariùs iuſto pre-

g *num.* 280. tio vendunt: [g] nec tales ſunt ad ſacramenta admittendi, niſi ſaltem præſtita cautione reſtitutionis. Quod ſi præſtare non poſſint,

h *num.* 279. iurent ſic id non poſſe. [h] Tenetur autem pœnitens confiteri quoties ad vſuram dederit:

i *nu.*214 [i] Immò etiam quoties annuo deliberato dare conſtituit: quia eſt mortale peccatum, at non reſeruatur, cùm ſit mentalis vſura, nam in mentales actiones dudum monuimus non cadere reſeruationem. Et hæc eſt

ſecunda exceptionis nota, in textu mini- LVG-
mè declarata, vt pote qui abſolutè loqui- DVN.
tur de vſurarijs notorijs. Hinc tertió, multò minùs ſub præſenti reſeruatione comprehenduntur ſuadentes vſuram, aut conſentientes alienæ vſuræ, etſi peccent lethaliter, cum obligatione reſtituendi.[k] Articulus enim ſolos vſurarios deſcribit. Quartò illi quoque hinc demuntur, qui ſcientes viuunt ex alterius vſuris, vt filij, vxor, famuli: quamuis pariter acceptum reſtituere debeant.[l] Non enim rurſus ſunt vſurarij ex textu. Quippe argumentum ab authoritate negatiuè ſumptum valet in pœnis conſtituendis ac reſtringendis, quamuis non alibi: Nonnulli tamen eruditi Prælati cenſent opportunum fore vt occulti quoque reſeruarentur: propter ingens nocumentum inde proximo illatum contra ius diuinum.[m] qua de re viderint Reuerendiſs. Epiſcopi. Hæc omnia digna notatu, tum iſtic, tum ob ſimiles caſus ſequentium Tabellarum. Cæterùm in ſtatutis & ordinationibus Synodalibus Eccleſiæ Lugdunenſis Cap. 35. ex conſtitutione Gregorij Papæ 10. in Concilio Lugdunenſi contra vſurarios, ſtrictiùs in Diœceſi præcipitur, vt Curiones ſingulis diebus Dominicis palam declarent omnes vſurarios excommunicatos. Quæ formula cenſuræ videtur magis eſſe

k *num. 265.*

l *Syluest. verb. vſura. 7.*

m *num. 107.*

LVG-DVN. comminatoria & à iudice quàm à iure. Tamen qui sæpe ita moniti sunt, sub norma, censentur tunc in hac prouincia ipso facto seu iure excommunicati.

26. *Contrahentes matrimonium in despectum alterius cuiusdam fæminæ, cui fidem dederunt.*

Est Casus 5. hîc proprius. Tamen penè similem habet materiem articulus 22. Viennensis, vbi locus iste magis apposite & fusè declaratur.

27. *Qui clam transferunt suos infantes in hospitalia, aliáue loca, & eosdem exponunt.*

Similis articulus exprimitur in Casu 7. Tolosano & 9. Viennensi. Expositio autem declaratur in prima exceptione Articuli 13. huius Tabellæ: quia quod illic deest, hîc reseruatur, nimirum reseruantur peccata paupercularum quæ prolem penè nudam obijciunt magnis frigoribus, & imbribus, vel alicui euidenti & notabili periculo, siue ad recipiendas maiores eleémosinas à populo, siue alio fine deteriori: siue infantes inde moriantur, siue non, modò tamen aliquod damnum corporis aut sanitatis ex eo accepisse probentur. Qui sensus videtur communis omnibus citatis & similibus locis alijs.

28. *Clerici qui furtum committunt, aut furibus præstant auxilium, consilium & fauorem suntque irregulares.*

Ita habet textus. At non legi hactenus quòd furtum absolutè inducat ipso facto irregularitatem, id est occultum furtum. Et vix Episcopi possunt inter subditos id nouum ius instituere respecta occulti: cùm videatur esse solius Papalis potestatis. Manifestum autem furtum, aut aliunde notorium efficit vt homo maximè Clericus sit irregularis: quatenus omne crimen notorium ingenerat irregularitatem: præsertim si crimen putetur enormè & dignum depositione. Nauar.num. 248. & nos Tabula 2. poster. Præfatione. Id verò genus furti facilè censetur esse latrocinium. Quid verò sit notorium habetur Tabula. Admonuit priore ad calcem. Hícque Casus est 6. peculiaris huic Archiepiscopatui. LVGDVN.

29. *Periuri in iudicio.*

Notandum est quòd periurium definitur mendacium firmatum iuramento maximè assertorio, quo nostra tum præterita tum præsentia confirmamus: ídque quadrifariam solet enunciari. Primò cùm is qui iurat credit esse falsum quod iurat, & reuera falsum est. 2. cùm iurans putat verúm esse quod iurat, & non est verum 3. quando arbitratur esse falsum quod iurat, & verùm est. 4. vbi dubitat an hoc sit verum, & tamen tanquam verum iureiurando affirmat. *Syluester verb. Periurium* 1. Forma autem iuris seruanda consistit primùm in eo quòd deli-

LVG-DVN. ctum ſit notorium, aut ſaltem probetur per vnum teſtem oculatum omni exceptione maiorem 2. quòd probatio ſit exhibita per acta 3. quòd ſit reo notificata, vt videat ſe teneri obedire iudici competenti. Nauarrus Cap. 26. nu. 36. Iuxta quam triplicem formam, nos, ad propoſitum thema huius Articuli facimus duplex periuriũ ſolenne. Vnum eſt quod celebratur in iudicio ſeu coram iudice & ſub formulis iudicij, quod duntaxat genus ſolennitatis reſeruatur hoc Lugdunenſi Articulo. Alterum eſt quando per manuum appoſitionem tanguntur ſacro-ſancta Euangelia, aut pectus, aliæue receptæ exteriores ceremoniæ adhibentur, quantumuis extra iudicium. Quæ ſpecies ſolennis periurij, ideo hîc non reſeruatur; quia iuxta textus taciturnitatem, qui huius conditionis non meminit, pœnæ canonicæ ſunt reſtringendæ. Sub vtráque verò periurij ſolennitate comprehenditur periurium etiam ioco prolatum, quia aduerſatur diuinæ reuerentiæ, modò adhibeatur voluntatis deliberatio, & altera ex illis duabus ſolennitatibus externis D. Thomas 2. 2. [n] Hinc igitur primò excipitur periurium priuatum, reſeruatum tamen in Caſu 16. Arelatenſi. Deinde & is excipitur qui in iudicio ſub iuramento ſolenni interrogatus, an ſciat quinam ſunt rei quorum (crimen ſibi ſoli & ipſis reis

[n] qu. 98. ar. 3. ad 2. ac Sylueſt. ſuprà.

innotescit) respondet se non scire, subintelligendo vt iudici manifestet : quia permittitur vti non quidem mendacio nec aperto periurio, sed æquiuoco, quando iudex sic præter iuris ordinem examinat. Tertiò, & is qui stato die creditori non soluit debitum iuramento promissum coram iudice, si interea per prædones spoliatus non habeat vnde soluat, vel si alius simili iuramento ei adstrictus fidem fefellit. Habentur præterea quatuor exceptionum notæ in 18. Articulo Belgij Septentrionalis, illic excipiendæ, non tamen hic nisi sub conditione; quas illic aptiùs perleges & ad vsum reuocabis. Alia quoque huc spectant, opportunè declarata Casu 15. Rothomagensi, & 22. Viennensi.

30. *Bis scienter baptizati, paritérque baptismo aßistentes.*

Tales baptizati cum baptizantibus sunt ipso facto irregulares, non tamen assistentes, etsi peccent. Nauarrus num. 246. & locus iste dicitur septimus Casus hîc singularis.

Igitur in Lugdunensi Archiepiscopatu admittuntur 338. Casus : quibus sanè necessariò addendi sunt primus articulus 3. 4. 5. 6. 9. 10. 11. & 12. partis 2. gen. Nam secũdus 7. & 8. cõtinentur sub 3. 9. 21. & sub 24. articulis huiusce Tabellæ, &c. Sunt enim

LVG- orbi vniuerſo communiſſimi. Adeo vt
DVN. præcisè numerentur ac reſeruentur Lugduni Caſus triginta nouem. Hos verò Caſuum Lugdunenſium articulos deprompſimus ex ipſo Synodali volumine Lugdunenſi Capite vndecimo antea citato, & aliunde, vt docemus ad calcem Tabellæ. Fuêre quidem certè primùm conſtituti latino ſermone: ſed id idioma in Archiuis Lugdunenſibus reconditum latet, verſio autem Gallica in lucem edita eſt iuſſu Reuerendiſſimi D. Petri Depinac eo tempore Primatis: in limine autem recentiorũ exemplarium quibus vſus ſum & præfatæ ferè verſionis inſcribitur hic titulus, qualis ſequitur ad verbum tranſlatus: *De peccatis, quorũ abſolutio pertinet ad D. Archiepiſcopum Lugdunenſem: ex ſtatutis & ordinationibus Synodalibus Eccleſiæ metropolitanæ Lugdunenſis, Primatialis Galliarum, de mandato & authoritate Reuerendiſsimi Archiepiſcopi, Comitis Lugdunenſis, Galliarum Primatis in Synodo coacta die feſto ſancti Lucæ, anno 1577.*

Deinde exordium ſic habet.

Sacerdos qui confeſsiones audiet diligentem dabit operam, ne aliquem pœnitentem abſoluat à Caſibus reſeruatis Epiſcopo aut Archiepiſcopo, qui in Eccleſia maiorem ipſo habent poteſtatem, excepto mortis articulo: nam tunc ſimplex Sacerdos ab omnibus peccatis indifferenter abſoluere poteſt.

Tum

Tum Synodus agrreditur Articulos commorare hoc pacto. LVGDVN.

Oportet remittere ad Episcopum aut Archiepiscopum, ad habendam absolutionem ac pœnitentiam, periuros in iudicio [n], *& cæt.*

n. quisuprà disponuntur Art. 19.

Sic pergit præfatos Casus disponere: quos equidem commentariolis illustrare conati sumus ad omnem si quæ erat, obscuritatem tollendam. Vbi certè notandum, quòd neque in hoc primo Archiepiscopatu, neque in sequentibus duobus ipsum ordinem sequimur quem habent Synodi Archiepiscopales: quia distinctiùs ordine doctrinæ procedimus, vt scilicet vel Casus immixti censuris seorsum præcedant, vel res aliter disponatur. Ideo autem placuit superioris Synodi præfatiunculas istic describere, tum ad maiorem lectori fidem faciendam, tum ad docendum quòd ex nonnullorum sententia ijdem Casus videntur non modò quondam facti Diœcesani, pro vno Lugdunensi Episcopatu & sola eius Diœcesi, verùm etiam videntur Prouinciales esse, vt scilicet vim habeant apud Suffraganeos R. R. Episcopos illi sacræ Sedi addictos, qui sunt Diœcesis Matisconensus, Cabillonensis, Eduensis & Lingonensis. Huius autem dicti ratio est quia bis suprà in titulo disiunctiuè commemorantur. *Episcopi & Cœpiscopi*

Ordo explicandi hos Casus.

LVGDVN. *Archiepiscopus*, similéque repetit articulus VII. vt nimirum feratur iudicium, quòd hæc fuit mens antiquæ saltem Synodi, inde si non Synodi celebratæ anno 1577. & quòd *R. R. Episcopi* assensum ad hoc quondam præbuerint, in prouinciali quodam Synodo, non in sola Diœcesana. De qua tamen veteri congregatione prouinciali, aliud nihil nobis hoc tempore constat. Saltem non legimus postremam Synodum anni 1577. fuisse prouincialem Casus certè reseruatos Episcopo Cabillonensi habere non potuimus & forte illi eosdem reseruant atque Archiepiscopus Lugdunensis.

Casus II. Diœcesis Matisconensis.

Quod verò attinet ad Matisconẽsem Diœcesim, anno Iubilæi. 1600. *Reuerendissimus Do. Gaspar Dinet* selectus Antistes dignissimus, quo instãti hanc sacram Episcopatus prouinciam Matisconi aggressus est, ab hoc diuino munere orsus est, & suos Casus nobis præsentibus composuit, promulgauit, mihique Diœcesano exemplar obsignatum reliquit. Ideo simplicem textum hîc obiter recensebimus, at non ordine Tabulario cum reliquis, eo quòd Sedes illa non sit Archiepiscopalis. (etsi Tabulam Diœcesis Parisiensis seorsum locauerimus.) Idcirco pro pleniore Casuum Matisconensium sensu capiendo, nobis satis fuit citasse alios similes dispersos per varios Archiepiscopatus huiusce Voluminis. Hi autem extant Primus quidem sub hoc textu.

Hæresis occulta, licèt palam aut publicè non sit declarata. LVGDVN.

Qui articulus iam habetur inter Casus communes Artic. 5. part. 2. Secundus.

Raptus virginum præter suam aut parentum voluntatem, & sacrarum Monialium violatio.

Hic articulus excommunicationi annexus est strictior Lugdunensi 2. nec tantam complectitur latitudinem quæ conscientias tantoperè vrgeat. Tertiùs.

Fœtus licitè aut illicitè concepti potu medicinali aliisuè damnabilibus artibus per se aut per alios suppressio, quique auxilium vel consilium præbuerint.

Complectitur Casum 13. & 14. Lugdunensem illic satis expositum.

Quartus Incestus in primo & secundo gradu, videlicet filii cum matre & fratris cum sorore.

Æquatur ferè Casui 1. Rhothomagensi, & omnino Casui 9. Parisiensi. Vide 19. Lugdunensem. Quintus. *Homicidium voluntarium, aut operâ datâ* est Casus communis allatus in 9. Lugdunensi. Sextus.

Ecclesiæ profanatio per sanguinis aut seminis carnalem effusionem, vbi pluribus innotuerit.

Quantum ad locum strictior est Lugdunensi 21. quia iste Articulus describit solam Ecclesiam: ille verò alia etiam loca sacra. At quantum ad rem, quæ est profanatio, perindéque violatio Ecclesiasticę immunitatis sanè complectitur totum Articulum 22. Lugdunensem, præter ea quæ allata sunt in 4. com-

iure communi ex artic.3.tertiæ Tabulæ generalis, & cum Artic. 28. Rothomagensi. En omnes Casus Matisconenses. LVGDVN.

Nunc, pro exitu, redeamus ad Tabellam Casuum Lugdunensium. Eius Archiepiscopatus Articulos accepimus mense Aprili [o] anno 599. eosque munitos sigillo atque sufficienti authoritate Domini tunc generalis Vicarij Archiepiscopatus sub administratione Reuerendissimi Eduensis Episcopi in Regalia, sede Lugdunensi vacante. Quod quidem Articulorũ exemplar studiosè requisiuimus ad maiorem recentioremque fidem faciendam eorum quæ antea fuerant edita in Volumine Statutorum Synodalium mox à nobis commemoratorum: ex quo recente exemplari præcisè accepimus inscriptionem suprà allatam. Tum Clarissimus & Reuerendissimus in Christo Pater D.D. ALBERTVS BELIEVRIVS selectus Primas Galliarum id exemplar frequenter lectitauit sequente toto mense Iunio, quo sacris infulis insignitus & consecratus fuit [p] Lutetiæ. Et singulari pietate optat accuratam eorum obseruationem. Interea singulos ante decem annos simplici textu in lucem edidit frater I. Benedicti in Summa peccatorum Gallica lib. 5. Cap. 2. §. 5. Iuxta quem textum, iam præsentem Tabellam conferamus. At tutiùs id peragendum nobis fuit ex comparato & comprobato præfato exemplari: in quo quidem statuun-

o *die 10. mensis.*

p *6 die. SS. Trinitatis.*

LVG- tur periuri, prætermissi in editione ipsius
DVN. Summæ. Sed ne quid tandem desit perfectioni & complemento huius Tabellæ, exactiùs requirendum est id quod extat ac superest in præfato Volumine Statutorum & Ordinationum Synodalium Ecclesiæ Metropolitanæ Lugdunensis. Etenim ibidem Cap. XXXVI. indicitur noua censura non leuis momenti, quæ sit hoc loco Articulus 31. Lugdunensis, eáque in hæc verba postmodum examinanda.

31. *Omnes illi qui falsificant, mutãt, corrũpunt & alterant nostras literas, sigilla, & acta Curiarum nostrarum, aut qui impedimentum dant illis qui eas executioni mandare volunt, ipsos declaramus purè & plenè interdictos & excõmunicatos non omissis ijs qui ad hoc fauorem, auxilium & consilium impertiunt.*
Nec poterunt eximi aut absolui, quin prius satisfaciant de damno, aut quin fideiussorem ad soluendum representent.

Egregius sanè Articulus: circa quem tria aduertimus dicenda, cum tres ambiat partes. Imprimis omnes falsitatis modi iam cunctis, Episcopis reseruantur quidem ex art. 3. communi, sed absque vlla censura. In prouincia verò Lugdunensi adhibetur duplex censura quæ reo attribuitur, scilicet excommunicatio & interdictum. Eæ verò duæ pœnæ canonicæ prouinciales, non obscurè concipiuntur inflictæ ipso facto & à iure, ex ipsa vi textus qui dicit purè & plenè, hoc est nulla expectata

iudicis ſententia ſeu excommunicatione ab hominc, ſi modò eiuſmodi lex legitimè promulgata fuerit, & in reorum notitiam vtcunque deuenerit. Secũdò propter ipſoſmet falſificantes : his quoque cenſuris liguantur authores ſeu fautores & conſultores falſitatis etſi manum operi non admoueant. Tertiò, ante ſacramentalem abſolutionem deſideratur hîc ſatisfactio. Quæ duo, nimirùm ſolus fauor præſtitus, & ſatisfactio, minimè reſeruantur in Caſu 26. Rothomagenſi aut in 31. Viennenſi. Et quod attinet ad 17. Belgicum, ſanè Leodienſis commentator ibidem reſeruat quidem mandantes ſeu factores, verùm id non deſcribit ille textus, ſicut Lugdunenſis. Quapropter, meritò dubitatur ibidem de mandantium reſeruatione veluti ſuo loco expoſitum fuit. At certè hîc in dubiè reſeruantur ipſi mandantes : quia textus Lugdunenſis eſt apertiſſimus. De iſta autem duplici cenſura, cùm ſit iuris ſeu canonis, duo dicenda ſunt. Vnum eſt quòd interdicti canonici abſolutio ſemper Epiſcopis reſeruatur, ex his quæ in poſteriore ordine Tabellæ Auxitanæ magis opportunè dicenda ſuperſunt. Alterum eſt quòd excommunicatio hîc abſolutè conſcripta veriùs nemini reſeruatur, propter rationes allatas Articulo 8. præſentis Tabellæ. Adeóque Parochus Sacerdos eam delere poteſt, præmiſſa tamen damni reſtitutione. Exceptiones commodius proponen- LVGDVN.

SE- tur in Viennensi. hæc de singulis Casibus ce-
NON. leberrimæ Diœcesis atque Primatus Lugdunensis.

CASVS DE POENITENTIA RESERVATI IN Archiepiscopatu Senonensi, editi & publicati in generali Synodo Senonensi, celebrata per Dominos Vicarios Reuerendissimi D. Cardinalis à Borbonio, Anno 1554.

Tab. 2 Gallic.

SIC INSCRIBITVR ipsa Synodus in præsenti tractatu: & deinde circa propositum exorditur vt sequitur.

CVM Sedi Apostolicæ nonnullorum criminum propter grauitatem & enormitatem, necnon nonnullorum aliorum nobis iure & antiqua consuetudine absolutio respectiuè reseruata fuerit: Ecclesiarum Rectoribus, corũdem Vicarijs ac quibuscunque alijs po-

testatem confeſſiones audiendi habentibus iniungimus, vt prædicta crimina, aut eorumdem aliquot confeſſos, ad nos, Vicarios aut Pœnitentiarios noſtros remittant, vt cõſcientiæ eorum conſulatur, aut ad Sedem Apoſtolicam, ſi crimen exegerit. Ne autem prædictorum Caſuum reſeruatorum ignorantiã prædictos Eccleſiarum Rectores labi & errare contingat, manum extendendo ad ea in quæ non habent poteſtatem Caſus nobis reſeruatos ſpecificè infra annotari & ſcribi voluimus. SENON.

CASVS CVM CENSVRIS.

1. HÆRETICVS.

Nempe qui eſt occultus: qui iam ligatur cenſurà: eſtque Caſus communis. De hoc enim & de eius diſcrimine à manifeſtis hæreticis egimus par. 2. art. 5.

2. *Abſolutio ab excommunicatione maiori.*

Hic videntur comprehendi excommunicationes etiam à iure præter quàm ab homine, & perinde omnes eæ quas 40. articulis fecimus communes Parochis in 2. parte ſcilicet præter duodecim primos articulos, quos ibi diximus Epiſcopis eſſe proprios Sicque tãdẽ, quia hæc Synodus Senonenſis ſatis recèns & aperta eſt, Parochi in illa Diœceſi à quauis maiore abſoluere nequeunt, quæ eis alioqui

SENON. erat permissa ex dictis. Quocirca lex ista accedit ad aliorum Doctorum sententiam allatam in priore Præfatione ipsius secundæ Tabulæ. Dici tamen potest citra errorem, quòd Parochus in occultis saltem circa hæc anathemata peccatores posset absoluere, ex ijs, quæ commemorauimus Casu 8. Lugdunensi. Iste Casus complectitur quoque Articulum 3. 2. partis.

3. *Violator libertatis Ecclesiasticæ, & qui contra sacrorum Canonum decreta atque Sanctiones iurisdictionem Ecclesiasticam impedit & perturbat.*

Hoc Caput duplicem partem continet. Prior est de libertatis violatione, quæ intelligitur occulta. Nam manifesta seorsum Papæ reseruatur, ex locis primæ partis citatis in 4. Casu communi.

Altera capitis pars, est perturbata iurisdictio, eáque Romano Pontifici reseruata, de qua sermo est tum in prima parte Artic. 19. & 20. tum in 2. parte Artic. 28. & sequentibus quatuor nulli reseruatis iure communi. Qui tamen omnes Articuli hîc iure Senonensi reseruantur, virtute particularis huiusce legis & articuli. De ea re pluribus opportunè in Casu 5. Ebredunensi.

4. *Simoniacus.*

Explicatur in 1. Casu Lugdunensi: vbi traditur genuinus eius sensus: siue quando culpa cum excommunicatione reperitur, siue quando ab ea immunis est.

5. *Qui virginem vi aut seductionibus corruperit.* SE-

Est idem quod stuprum in specie: de quo NON. in Casu 2. Lugdunensi.

6. *Qui raptum commiserit.*

Hic Casus feré in vnum incidit cum antecedente: & vterque simul exponitur in citato Lugdunensi cum adiuncta censura. Verùm præsens Articulus referri potest ad 2. casum huiusce Tabellæ Senonensis, quia est vnus ex commemoratis 40. Articulis, eo quòd inseritur Articulo 59. Tabulæ 2. generalis. Hactenus de Casibus cum censuris seorsum dispositis.

CASVS SINE CENSVRIS.

7. *CRimen, propter quod imponenda esset solennis pœnitentia, cuiusmodi est crimen publicum & propter quod perturbatur tota ciuitas vel Parochia.*

Hic Articulus multis ex veteribus visus est reseruatus iure communi; sed minimè ita est, ex Nauarro, [q] veluti monuimus priore appendice post Casus communes, initio huius 3. partis.

[q] num. 262.

8. *Incendiarius dolosus & voluntarius, vel qui dicto incendiario præstitit consilium aut fauorem.*

9. *Qui homicidium commiserit gladio, veneno, aut alio quouis modo illicito; quiue consilium, auxilium, vel fauorem dederit.*

SENON. Hi duo Casus 8. & 9. licèt communes sint in substantia, tamen latiùs extenduntur quàm persimiles communes allati Articulis 1. & 2. communibus in 3. parte generali. Etenim illic commemorantur solum modò illi homines qui reipsa hoc duplex peccatum sua manu perpetrant: hîc verò comprehenduntur quoque reliqui, qui facientibus consilio suo fauent, etsi manum ad opus nequaquam admouerint. Atque sub isto 9. etiam continentur mandantes, ex 10. Lugdunensi.

10. *Falsarius litterarum litterarum publicarum, ac sigillorum authenticorum.*

Cætera in 3. Casu communi supra.

11. *Sortilegi, diuinatores, seu carminatores, ac ij qui ab eisdem consilium expetunt & requirunt.*

Hîc pariter Casus plura suo coercet ambitu, quàm ambiat Casus 5. Cõmunis. Nam ibidem soli ipsi sortilegi reseruantur: hîc autem etiam illi qui sortilegos professores adeunt consilij petendi gratiâ, quãtumuis sortilegio non vtantur. Et sanè antiqui Canones præcipiunt quòd Episcopi ac reliqui Clerici, etiámque seculares siue laici, qui ariolos consulunt eisue credunt, omnes ab Ecclesiæ communione pellantur. Patet 26. quæst. 5. Si quis clericus qui locus indistinctè loquitur, nec præscribit modum suscipiendi tales aliquando ad pœnitentiæ sacramentum: quinimò asperiorem pœnam indicit Cap.

Si quis Episcopus. Alia rectiùs de similibus alijs vocibus in *Parisiensi* & 1. *Casu Aquensi.* SENON.

12. *Qui incestum commiserit cum consanguinea, affine, cum matre vel filia spirituali, aut cum moniali.*

Tres partes inuoluit iste Articulus. Prima est quòd dum in genere loquitur de incestu carnali commisso cum consanguinea & affine, concipit omnes gradus cõsanguinitatis & affinitatis circa matrimonium prohibitos & contractos per carnalem copulam tum licitam, tum illicitam: in eóque æquatur Casui 19. Lugdunensi. Secundò sermonem instituit de copula carnali habita cum Moniali, quæ appellatur stuprum ac sacrilegium carnale: quod sanè quonam sensu dici possit raptus, satis exprimitur in 2. Casu Lugdunensi. Tertiò, describit textus incestũ seu copulam carnalem initam cum affine coniuncta affinitate spirituali. Et hac in parte præsens Casus excedit vtrumque Lugdunensem citatum. Vera autem cognatio spiritualis quintuplex est. Prima est baptizati erga suos patrinos vtriuslibet sexus, qui plures quàm duo esse non debent, ex Concil. Tridentino Sess. 24. de Reform. matrimonij cap. 2. Secunda est eiusdem baptizati erga baptizantem, ex cap. 3. *Si quis ex vno.* Causa 30. quæst. 4. & ex Syluestro verb. *Matrimonium.* 8. num. 7. in 5. Et hoc vtrunque mẽbrum appellatur filiatio spiritualis, quòd hîc reseruatur, ex eo quod in præfato textu

SE- exprimitur vox ſpiritualis filiationis, cũ inna-
NON. ta relatione paternitatis ſpiritualis, hoc eſt patris ſeu patrini erga filiolam. Tertium cognationis genus eſt duorum patrinorum & baptizantis erga vtrunque baptizati parentem: qui vulgò appellantur compatres, etiam ex
* locit. in 4. Syluestro * & Nauarro *. Atque ea cognatio nũcupari poteſt ſimplex ſeu abſoluta cogna-
* cap. 22. nu. 38. tio, hoc eſt (vt apertiùs dicam) non eſt in recta linea, ſicuti paternitas & filiatio ſpiritualis iam expoſita; ſed reponitur in collaterali, ad formam quam exprimunt Canones de cognatione ſeu affinitate carnali. Proindéque vi textus huius 12. Caſus, non reſeruantur violatores tertij iſtius membri. Et reuerà etiam nulla ampliùs ſubeſt talis cognationis relatio inter ipſos patrinos & baptizantem, neque inter baptizatum & coniuges præfatorum omnium, multóque minùs inter confratres ſicut olim extare credebatur. Quippe Tridẽt. Concilium has cognationes ita reſtrinxit. Quarta cognatio oritur ex Sacramento Confirmationis, eáque bifariam. Prior eſt confirmati erga confirmantem ac vnicum in confirmatione tenentem ſeu offerentem, & viceuerſa. Poſterior eſt tenentis erga vtrunque confirmati parentem, & è contrario, nec vltrà in cognatione hodie proceditur circa hoc etiam Sacramentum, ex eodem Trident. cit. Inter quos omnes tantùm non inter alios, ſub vtroque allato ſacramento commemo-

rato, vetantur matrimonium cõtractus citra disp enſationem: nulla enim ſupereſt vera & mutua compaternitas inter patrinos, neque inter eoſdem & baptizantem, vt neque rurſus inter tenentem & confirmantem collaterales. Alia id genus in 13. Aquenſi. Sed ad Cõfirmationem paucis redeamus. Prior pars ſub ſacramento confirmationis allegata, reſeruatur hoc Articulo, quia eſt rurſus filiatio, eáq; ſpiritualis: at poſterior, minimè, propter rationem ſub baptiſmo expreſſam. Quinta & poſtrema cognatio, eſt pœnitẽtis erga Sacerdotem confeſſarium, ex Decreto cit. in Caſu 18. Lugdunenſi, ex Syluestro Papa cap. 8. Cauſa. cit. quæſt. 1. hiſce verbis: *Omnes quos in pœnitentia accipimus, ita filij noſtri ſunt, vt in baptiſmate ſuſcepti.* Verùm certè nos vix hanc quintam ſpeciem admittimus, pro reſeruata ſub hoc Caſu nimis vniuerſim conſcripto ad hunc finem: etſi admittatur in art. 18. Lugdunenſi & in 12. Pariſienſi, quia illic non hîc diſertè exprimitur, veluti opus fuiſſet in hac ſaltẽ parte. Non eſt enim illa propriè cognatio ſpiritualis. Itaque ſolùm hîc videntur reſeruari ſuperiores reliqui inceſtus ſpirituales, tanquam magis proprij. Nam odia ſunt reſtringenda, vbi textus ſilet. Alia Artic. 1. Rothomagenſi, 12. Viennenſi & 13. Belgico. SENON.

13. *Qui blaſphemiam execrabilem in Deum, Beatam Virginem, & ſanctos commiſerit.*

Blaſphemia definitur affirmatio falſitatis

SE- NON. vel negatio veritatis circa Deum & ſanctos. Quæquidem priore ſenſu eſt eorũ qui Chriſtum verum Deum, Euangelium, fidem, ſacramenta, aut chriſma negant: nominéque Dei concipitur eius bonitas, potentia, iuſtitia, veritas miſericordia, aut quid aliud ex diuinis attributis: Poſteriore ſenſu eſt eorum qui Chriſtum hominem, Apoſtolos, Moyſen, Prophetas appellant magos & impoſtores: aut qui B. Virginem Mariam vocant meretricem, aut alijs impuris vocabulis nominant. Quòd ſi ſermo feratur de eius qualitatibus, ſanè cùm textus abſolutè loquatur nõ ſolùm publica blaſphemia, hic continetur de qua agitur in Caſu 19. Belgico Septentrionali, vtpote quæ profertur coram ſex aut nouem teſtibus: ſed etiam comprehenditur hîc occulta, quæ coram duobus aut tribus dũtaxat manifeſtatur. Exẽpli gratiâ, hæc blaſphemia innoteſcit, quando quis affirmat de Deo quod illi non conuenit, vt dicendo iniuſtum eſſe Deum: vel ſi negetur quod illi non conuenit, vt Deum non habere curam mundi: vel tribuendo creaturæ quod ſoli Deo competit, vt Dæmones creaſſe mulieres; vel quando aliquis deteſtatur diuina, vt maledictus. D. Thomas 22. tota Quæſt. 13. & Syluester verb. *Blaſphemia* 1. & 3. Alia Articulo 19. Belgij Septẽtrionalis: in cuius textu apponitur non modò vox *publica*, ſed etiam *enormis*. Quo fit vt Caſus ille Belgicus patiatur quatuor exceptiones,

nes, quæ iuxta præsentem Casum forsan reseruari hîc possunt, maximè prima, aut etiam omnes ex priuatarum circunstantiarum accessione in propositis à pœnitente exemplis. Certè, *Vox execrabilis*, quæ in præsenti textu apponitur, videtur exæquari voci *enormis* illic conscriptæ, magis tamen opportunum putauimus ibi hac de re quàm hoc loco, quia lubentiùs quadrat cum voce *enormis*. SENON.

14. *Qui in iudicio periurium fecerit, aut falsum testimonium tulerit.*

Ex parte periurij, prorsus consentit Casui 29. Lugdunensi: & ex parte falsi testimonij incidit in Articulum tertium communem. Qui quidem tertius Articulus, non solùm complectitur falsitatem scripturis peruiam, quod genus falsitatis hîc non continetur: sed etiam ambit falsitatem in sermone absque scripto vllo, imò taciturnitatem circa verum coram iudice competente dicendum: quia textus ibidem dicit, *aut verum tacentes coram iudice*. Igitur pars hæc, seu illius 3. Artic. hoc loco concipitur, nimirũ falsum testimonium vocale aut veri taciturnitas. Sed quid hîc moramur? Etsi Casus Senonensis hanc conditionem non expressisset, iam ipsa reseruatur cũctis Episcopis, nec tamen istud frustrà conscribimus, sed ea mente vt omnes apertam & indubiam nanciscatur huius Casus & illius communis notionem. Aliam 22. Rothomagensi.

SENON. 15. *Qui cum brutis coiërit, aut maior annis quatuordecim, sodomiticum peccatum commiserit.*

Hic Casus complectitur tres primas species peccati contra naturam, propter rationes allatas in 20. Lugdunensi, cui iste æquatur ex hac parte, non autem ex parte scortorum. Verùm præsens Articulus explicatior est Lugdunensi, ratione ætatis peccantium istic prudenter expressæ.

16. *Qui matrimonium clandestinè aut contra interdictum Ecclesiæ contraxerit.*

Hîc duo traduntur. In primis sermo est de clandêstino matrimonio, cuius contractus & peccatum in eo commissum reseruantur. Qua in re notandum est quod superioribus seculis vsque ad exitum Concilij Tridentini, hoc est ad annum 1564. Ecclesia damnauit semper de graui peccato lethali homines sic contrahentes: tamen ratum erat matrimonium. Legitur in Concil. Arelatensi toto tit. 3. de clandestina desponsatione lib. 4. Decret. Adeóque Synodus Senonensis coacta anno 1554. Sapienter coërcuit huiusmodi homines per Episcopalem reseruationem, habito respectu ad statum sui adhuc temporis. At vero à præfato anno 1564. Concilium Tridentinum, tale matrimonium quod non esset denunciatum Ecclesiæ, & coram Parocho ac duobus ad minimum testibus celebratum, irritum fecit prorsus & nullum in vtroque foro: sess. 24. De Reformat. matrimonij

Cap. 1. Attamen quibus in locis Decretum illud Tridentinum, De Reformatione nondum receptum eſt, vt in Gallijs, tale matrimoniũ in foro interno & corã Deo perſeuerat adhuc ratum eſſe & validum, vt euidenter conſtat ex ipſo Concil. Trident. loco citato & omnes Doctores vno ore docent, quamuis horrendum ſit ac nefarium peccatum ita contrahere totique Reipub. pernicioſum; addo omnia eiuſmodi coniugia eſſe ex conſequenti inſolubilia quandiu viuit vterque coniux & talia ſemper fore donec Decretum Tridentinum promulgatum fuerit. SE-NON.

Secundo loco, præſens Art. 16. Senonenſis loquitur de eodẽ matrimonio celebrato cõtra interdictum Eccleſiæ, etſi aliunde non ſit clandeſtinum. Dicimus ergo ad propoſitum: quod iſtud interdictũ Eccleſiæ ſeu iuris poſitiui, aut iudicis etiã Epiſcopi, non eſt impedimentum graduum cognationis, quod futura coniugia diſſoluat, ſi fiant: de quibus propriè loquitur ſecundũ membrum Artic. 13. Belgij Septentr. Sed eſt vel interdictum perſonale quod eſt cenſura quæ cõpetit Clericis etiam cõſtitutis in minoribus ordinibus, quibus nõ obſtãtibus minoribus poſſunt vxorẽ ducere, modo nõ ſuperuenerit tale interdictũ iudicis in eorũ perſonas propter cauſam aliquam de nouo emergentẽ, ob quam interdicatur vſus matrimonij antea cõtracti: vel poti⁹ eſt interdictũ à iudice pronunciatũ ne futura cõiugia

SENON. inter partes forsan contrahentes ineantur, donec sublata causa fuerit propter quam latum est id interdictum, aut aliter celebratio talis sacramenti illis permittatur. Vbi tamen notãdum est quòd huiusmodi celebrata imprudenter matrimonia non ideo dirimuntur, sed pœnitentia duntaxat imponitur sic contrahentibus, qui tali peccato lethali inficiuntur: & interea quoad thorum separantur, donec cognoscatur de causa interdicti eáque tollatur. Tit.16.Cap.*Literæ quas, De matrim. contracto contra interdic. Ecclesiæ*. lib.4. Decretal.

17. *Qui maior annis quatuordecim, aut minor in quo malitia supplet ætatem, patrem aut matrem percusserit, aut graues iniurias eisdem intulerit.*

Hic Casus concipitur de iniuriosa & sciente aut graui & voluntaria manuum iniectione in parentes. Proinde excipitur in primis iocosa percussio quanuis præuisa. 2. percussio casualis: etsi contineatur apertè in 5. Rhemensi. 3. excipitur circũstãtia patris sæuientis ac mortem filij intendentis: si modò tunc filius cũ moderamine inculpatæ tutelæ percutiat. 4. excipitur forte filius percutiens ad hunc finem vt patrem turpiter delinquentem & nefaria molientem vel ab inimicis rapiendum arceat. Interea hîc prudentissimè percutientium ætates & qualitates competentes designantur. Et asperior paulò videtur alijs similibus, in eo quòd complectitur

graues iniurias à filio patri illatas, nimirum etiam abſque reali percuſſione. SENON.

Complectitur verò mandantes, ex 10. Lugdunenſi.

10. *Qui petit votum commutari, vel fregerit votum factum per ſacri ordinis ſuſceptionem de non contrahendo matrimonio, aut votum ſolenniter factum per profeſſionem alicuius approbati ordinis.*

Hic textus tripartitus eſſe videtur. Prima pars eſt de indiſcreta voti commutatione hîc reſeruata. Quæ reſeruatio intelligitur duntaxat ſi vouens priuato arbitrio votum commutare auſus fuerit in aliud opus leuius aut minus pium ſine legitima Superioris approbatione. Secunda eſt de voto clericali & caſtitatis ſolennizato per ſuſceptionem ſacrorum ordinum in Clerico ſeculari. Quod ſanè bifariam accidit, vel deſerendo habitum aut concubinatum exercendo, abſque excõmunicationis cenſura vel certè contrahendo matrimonium cum annexo anathemate iuris, non reſeruato lege communi : quæ quidem culpa ac cenſura hîc reſeruatur, etſi excipiatur ab Artic. 9. Aquenſi. Déque ea re multa diximus par.1.gen.ad calcem, ſub altera obſeruatione. Tertia pars eſt de voto verè ſolenni, per profeſſionem ordinis Monaſtici ſuſcepto : etſi vouẽs ad nullos ordines ſacros promoueatur. De quo pariter, eo duplici ſenſu habetur loco citato. Et hîc, non illic culpa reſeruatur. A præſenti igitur reſeruatione

SE-NON. eximitur in primis ille qui post votũ simplex Religionis suscipiendæ, inijt matrimonium: etsi peccet. Ratio est, quia nondũ solenne votum emisit, de quo vno tractat Artic. textus. Dũ enim is statũ in posterũ suscipere vouet, non tamẽ hoc ipso se obligat è vestigio ad leges illius monastici status. Secũdò, & ille eximitur, qui post votũ priuatum sacri ordinis suscipiendi, ad nuptias cõuolat, ob allatam rationem. Tertiò, & ille quoq; qui post votum castitatis iusta de causa matrimonium cõtrahit, animo ingrediendi religionem ante eius consummationẽ, ex Cap. *Commissum*. De spõsalib. & matrimonio. lib. 4. Decret. cap. 1.

19. *Qui sacrilegium commiserit.*

Hoc est qui surripit rẽ sacrã in loco tũ sacro, tũ prophano: vel prophanã in solo loco sacro. Quod propriè appellatur sacrilegiũ reale, ad distinctionẽ sacrilegij localis & personalis: cõmemoratũ quidẽ in 4. Casu cõmuni, sed expositũ per partes & exẽpla Art. 10. par. 2. gen. Hîc autem intelligitur sine censura anathematis à canone, perindéq; sine Ecclesiarũ effractione, ibidem declarata. Quæ verò sit latitudo loci sacri, vide Art. 21. Lugdunensi.

20. *Qui contra Prælatum aut Curatum coniurauerit seu conspirauerit.*

Est Casus 1. peculiaris huic Sedi.

21. *Procurantes aborsum vel sterilitatem, aut quorum negligentia nascitur abortiuus.*

Totus exponitur in Casu 14. Lugdunensi,

cum mandantibus. Duntaxat hîc additur negligentia, etsi non adsit malitia expressa in 13. Rothomagensi: quorum neutrum describit Art. Lugdunensis, sed absolutè loquitur: siue quis credat hanc vtranque conditioné in illo Lugdunensi implicitè contineri, siue potius nolit literam eò extendendam esse respectu negligentiæ in pœnis restringendis: quod censetur probabilius. SENON.

22. *Qui partum supposuerit.*

Dicitur secundus Casus hîc proprius.

23. *Hi quorum culpa aut negligentia filij seu filiæ opprimuntur vel pereunt.*

Negligentia culpabilis sub nomine Casus fortuiti decentiùs suam habet interpretationem in 5. & 7. Casibus Rhemensi, infrà: vbi oportuit rem necessariò declarare: & frustrà hîc materiam repeteremus.

24. *Vsurarius manifestus.*

Fusè in 25. Lugdunensi: cui iste articulus prorsus æquatur.

25. *Restitutio malè ablatorum, incertorum, vel etiam certorum non facta, quando non extant quibus restitutio est facienda: & quidem rerum excedentium summam sexaginta solidorum Turonensium.*

Veriùs iste Casus postremus reseruatur quoad culpam non quoad formam in temporali restitutione seruandam quam & Episcopus præcipere nequit absoluta potestate. Sed tamen quatuor duntaxat in Casibus iure communi reseruatur circa eiusmodi tempo-

SE-NON. ralia. Primò quando homo reſtitutioni obnoxius, ſine executore moritur. 2. in eo qui non vult reſtituere. 3. in eodem debitore qui ablata non rectè diſtribuit. 4. ſi ſit manifeſtus vſurarius. Extra quos Caſus ſi reus per ſe velit, reſtitutionem diſtribuet. Quæ certe actio Epiſcopalis iam eſt ſolius fori externi. In hoc autem noſtro Tractatu petitur forum externum. Nauarrus cap. 17. nu. 92. Syluester verb. *Reſtitutio. 8. §. 6.*

Itaque ſic concludit ipſa Synodus Senonenſis.

Reſtitutio minoris Summæ non remittatur, cùm eam, arbitrio Curatorum & Vicariorum reliquerimus. Similes Caſus aut his maiores ſimiliter nobis remittantur. Ne autem contingat ex ſupradictorum Caſuum reſeruatione delinquentem prodi, aut periculum famæ & ſcandalum induci, omnibus ac ſingulis noſtræ Diœceſis parochialibus Curatis & eorũ Vicariis impartimur & concedimus facultatem abſoluendi mulieres parochianas ſuas non notorias peccatrices, ſed occultas, ab inceſtu & omnibus aliis incõtinentiæ peccatis, etiam Sodomiticis occultis maximè ſi cognoſcant prædicti Curati dictas confitentes ad nos aut Pœnitentiarium noſtrũ pro abſolutione habẽda abſq; ſcãdalo & famæ periculo accedere non poſſe.

Adſunt 25. artic. ex Archiuis Eccleſiæ Senonenſis deprompti: quorum exemplar ad nos miſſum 6. die Decemb. an. 1598. conſignatum eſt manu propria Secretarij Capituli Cathedralis de mãdato Domini Vicarij generalis vt

nimirum ista lectori sufficientē fidem faciant. ROTHO.
Quibus quidem 25. Casibus adijciendi sunt primus, 2. 4. 6. 11. & 12. Art. partis. 2. generalis. Nam 3. 7. & 8. Casus illius Tabulæ continentur sub 2. istius, 9. sub 8. quintus sub 1. & décimus sub 19. & si qui deprehendantur alij. Adeòque Senonibus in vniuersum & distinctè reseruantur 31. Casus. Episcopatus autem ab hoc Archiepiscopatu pendentes, sunt Carnotensis, Aurelianensis, Niuernensis, Altissiodorensis, Trecensis & Meldensis. Nam Parisiensem, qui primus hûc spectat, seorsum collocamus: quia habet egregios sibi proprios Casus, & Vrbis nobilitas id postulare videbatur. Ratio autem quare iste Archiepiscopatus hîc secundus ordine à nobis reponitur, est quia creditur esse prima Sedes Archiepiscopalis quæ ad Primatum Lugdunensem pertinet in litium Ecclesiasticarum appellationibus. Rothomagensis enim, qui sequitur, distinctum Primatum constituit.

ROTHO.

TABELLA CASVVM Sedis Archiepiſcopalis Rothomagenſis, Primatus Neuſtriæ.

ARTICVLI DIOECEſanæ Synodi, habitæ Rothomagi die 5. Nouembris, Anno 1476.

CASVS SINE CENSVRIS.

1. *INceſtus maior, videlicet patris cum filia, non tantùm carnali ſed etiam ſpirituali, filij cum matre, fratris cum ſorore.*

Hîc tria occurrunt dicenda. Primò, ex exemplis huiuſce textus liquet inceſtum maiorem ex carnali cognatione manantem explicitè deprehendi in ſolo primo gradu conſanguinitatis tum aſcendentium ac deſcendentium qui rectam lineam conſtituunt, tum etiam collateralium ſeu fratrum atque ſororum. Secundò, implicitè hîc reſeruantur quoque inceſtus commiſſi in ſecundo gradu conſanguinitatis collateralium, hoc eſt inter patrueles tanquam ex fratribus progenitos, pariterque in primo & ſecundo

gradu affinitatis, nimirum inter consobrinos vtriusque sexus ex sororibus ortos, cuius reseruationis causa apertiùs atque commodiùs affertur Artic. 19. huiusce Tabellæ Rothomagensis. Tertiò, spiritualis filiatio hîc circunscripta appellatur propriè cognatio seu affinitas spiritualis, non autem consanguinitas: & vnicum habet gradum eique proximum, nimirum habet illos ipsos atque eorum vxores cum quibus talis cognatio contrahitur, vt pote quæ ex Concil. Tridentino matrimonium impediat & dirimat. Ea autem filiatio duplex agnoscitur, veluti copiosè dictum est Artic. 12. Senonensi, inter quinque modos spiritualis cognationis: qui tamen non omnes hîc reseruantur: sed tot quot reseruari diximus in illo casu Senonensi, ad secundam eius partem, cui tertia ista pars prorsus æquatur. Et hunc incestum tam circa carnalem consanguinitatem collateralium in secundò gradu quàm circa spiritualem cognationem in primo gradu, patres Rothomagenses non inconcinnè solent etiam nuncupare incestum maiorem, eo quod sint maioris paulò momenti quàm alij inferiores prohibiti gradus, ex veteri consuetudine: idque præter primum allatum consanguinitatis gradum. Exceptiones repertæ inter duos baptizati patronos & vtrũque eius parentem, nec non inter paucos alios, habentur in cit. Senonensi. ROTHO.

ROTHO. 2. *Homicidium voluntatis.*

Plura ſine cenſuris in 2. Caſu communi, parte 3. generali: & cum anathemate iuris ex parte 2. generali Artic. 6. cùm varia ſint homicidiorum genera. Coërcentur mandantes ex 10. Lugdunenſi.

3. *Grauis iniectio manuum in parentes.*

Exponitur Artic. 17. Senonenſi. Duntaxat hoc vnum dicam. Iſte eſt abſolutus: at ille habet conditiones ætatis & soliûs grauis iniuriæ in patrem ac matrem illatæ. Alia huc ſpectantia in 17. Pariſienſi, circa nomen parentis.

4. *Leuis iniectio manuum in Clericos, & religioſas perſonas.*

Meritò hic ſufficit leuis percuſſio propter Clericatus dignitatem. Etiam ſub hac ipſa conditione eſt Caſus communis, veluti latè traditur parte 2. generali Artic. 1. cum excommunicatione iuris. Nomine autem religioſæ perſonæ intelliguntur Monachi ſeu religioſi & religioſæ vtriuſque ſexus quæ vota emiſerunt: fortè etiam nouitij & nouitiæ. Ibidem.

5. *Atrox iniectio manuum in pueros & alias miſerabiles perſonas.*

Eſt Caſus peculiaris huic ſedi. Grauitas tamen, ſiue atrocitas percuſſionis exprimitur citato Art. 1. Tabulæ 2. Et hi duo Articuli complectuntur mandantes percuſſionem fieri ex 10. Lugdunenſi.

6. *Violenta fractio Ecclesiarum.* ROTHO.

Iam est reseruatio iuris communis, quæ cum canonico anathemate exponitur tit. 2. parte Artic. 10.

7. *Tractio violenta & sanguinis effusio in Ecclesijs ac cœmeterijs.*

Præcisè est Casus 2. peculiaris huic Archiepiscopatui. Attamen videtur commodè reducendus ad 4. Casum communem Tabulæ 3. generalis, tanquam eius membrum: cùm hæc sanguinis effusio versetur circa violationem Ecclesiasticæ immunitatis,& afferat Ecclesiæ pollutionem: quamuis id singulare exemplum ibidem non describatur cum alijs. Hæc autem materia renouatur in prima conditione Articuli 7. Bituricensis.

8. *Incendiarij: & vastatores publici segetum ac vinearum.*

Prior pars, quæ de incendiarijs est, habetur in 1. Casu communi, sine anathemate iuris: & deinde cum illa censura, ex parte 2. gener. Artic. 9. Posterior pars, nempe reliqui vastatores, efficiunt hic Casum 3. peculiarem huic Sedi: cùm adhuc differant à pene simili Casu 13. Bituricensi. Interea, viderint comprouinciales in Clero, vtrum hîc pariter intendant reseruari publicum & graue peccatum eorum qui pomaria vastant in illa prouincia, ex quibus pomarijs incolæ loco vinearum sibi etiam potum humanæ pernecessarium conficiunt. Quia silet tex-

ROTHO. tus in hiſce pœnis conſtituendis, arbitror non reſeruandum.

9. *Vitium maius contra naturam.*

Hoc genus vitij, quando inter Patres Rothomagenſes, appellatur vitium maius contra naturam, ſane videmus quòd debeat complecti duas primas eáſque grauiores ſpecies iſtius generis peccati, ſcilicet beſtialitatem, deindéq; ſodomiam cum eodem ſexu: comprehenſis incubis & ſuccubis, quando dæmonis præſentiam atque malitiam probabili valde argumento norunt. Hæc materia amplè ſatis digeritur Caſu 20. Lugdunenſi: qui præterea continet alias duas ſpecies. Hinc verò excipiuntur illi incubi & ſuccubi, à quibus abeſt conſenſus, aut ſi fœmina verè in vigilia renitatur, ſeu in ſomno ſemẽ à dæmone trãſfuſum recipiat. Nam tunc minimè peccat lethaliter imò ſi concipiat, modò non pariat, integritatem non perdit, ex S. Antonino 4. parte tit. 4. cap. 8. §. 4. De reliquis minoribus ſpeciebus habet Artic. 25. huius Tabellæ Rothomagenſis. Et quamuis pariat, ſi tamen nullum omnino iſti fœditati præbuit conſenſum non amittit apud Deum, meritum Virginitatis.

10. *Matrimonium clandeſtinum.*

Explicatur ſuprà, in Caſu 16. Senonenſi parte priore.

11. *Si in ſacramento altaris aliquid inordinatum acciderit.*

In hoc vniuerſali textu videtur cõcipi quę- RO-
uis inordinatio, ſcilicet modò ſit alicuius mo- THO.
menti, ſeu quoties ſaltem inducit peccatum mortale, cùm venialia reſeruari nequeant. Pariterque inuoluit ſecundam 3. & 4. exceptiones demptas ex articulis 21. Belgij ſeptentrionalis, ſi cum hoc ſacramento immiſceantur; & quas hîc præterire malumus, cùm illic magis ad propoſitum declarẽtur. Hinc verò iſte Caſus, qui eſt de leuiori materia atque defectu, ideo deprehenditur latior, & proinde grauioris pœnæ ſeu difficilioris paulò reſeruationis quàm ſit ille Belgicus, & multò magis quàm 24. Lugdunenſis, qui eſt de ea ſola maiori inordinatione circa Euchariſtiam quæ per incantiones fit, quæque grauior eſt ratione culpæ, ſed non quoad reſeruationem. Nihilominus præſens Caſus quadrat prorſus cum Artic. 23. Lugdunẽſi qui immediatè antecedit, quíque inſtituitur de indecentia (nimirum mortali) commiſſa circa ſacramentum altaris, ex notabili iniuria ac negligentia miniſtri illic fusè expoſita. Siquidem indecentia & inordinatio facilè idem referunt. Illa enim committitur, non ſeruatis decore & conformitate ſacramento debitis, ſed rebus ſacris turpiter actis: iſta verò, quando incompoſitè & citra præſcriptum ordinem fiunt ſacra.

12. *Sortilegi ſacramentorum Eccleſiæ.*

ROTHO. Idem planè eſt cum 24. Caſu Lugdunenſi mox citato : ſed ei adijciendæ ſunt cæteræ partes poſtremi Caſus communis.

13. *Qui malitiosè procurant aborſum.*

Latiſſimè exponitur in 14. Lugdunenſi cum mandantibus : ſed ille articulus amplior eſt, quia inſuper complectitur dantes conſilium : latior adhuc deprehenditur Caſus 21. Senonenſis, quia inſuper meminit negligentium. Caſus verò Lugdunenſis cùm abſolutè loquatur, videtur implicitè hanc malitiam poſtulare, quia maius ſub minore continetur in hac materia pœnæ canonicæ.

14. *Falſarij literarum Domini Archiepiſcopi & Curiarum ſuarum.*

Sic iſtic limitatur Caſus 3. communis : cuius tamen reliqua ab hoc non amouentur, cùm ſint communia.

15. *Qui in præſentia Domini Archiepiſcopi vel Officialis ſeu Vicariorum periurium incurrerunt.*

Iſtud appellatur periuriũ in iudicio ſeu corã iudice, quod eſt vna eáq; potior pars ſolẽnis periurij expoſita & reſeruata in 29. Lugdunenſi, cum alia conditione ſolennitatis, quæ hinc excipitur ſicut & illinc. Et hoc in reſpectu æquantur iſti duo Caſus, vnà cum 14. Senonenſi. Diſcrepant verò, quòd Caſus Lugdunenſis reſeruet periurium prolatum coram quocunque iudice etiam laïco ciuili ac criminali, vel etiam fortè in actis & examinibus iudicij ſeu inſtructionis

ſententiæ

ententiæ breui postea ferendæ; quando verbi gratiâ à iudice commissarij apud reum deputantur examinis causa, vel ad recipiendum iuramentum, si iudex delegans sit competens etsi reus nondum iudici præsentetur aut sententia non adhuc feratur. Siquidem absolutè loquitur. Iste verò Casus 15. Rothomagensis reseruat duntaxat periurium coram iudice ecclesiastico, seclusis laïco & ecclesiastici etiam delegato, ex vi textus. Hinc quoque & multò magis excipitur priuatum periurium. ROTHO.

16. *Fractores votorum.*

Iste Articulus pro prima appendice reseruat absolutionem in foro interiori à culpis commissis circa fracta quinque vota, quorum dispensatio ad solum Pontificem Romanum pertinet, sicut recenset pars prima gener. Artic. 48. Etenim, omissa dispensatione quæ seorsum in exteriori foro conferri Romæ consueuit culpa eius qui votum irritauerat, seu fregerat, minimè reseruatur de iure communi: hîc autem reseruatur: qua sacramentali priùs absolutione eget pœnitens, ad hoc vt euadat idoneus ad reliquorum sacramentorum susceptionem Culpæ enim in solo interiori foro & sacramentali confessione delentur. Sub illo autem citato quinario votorum numero, inter cætera continentur tres potiores peregrinationes, nimirũ Romana, Hierosolymitana, & ad S. Iacobi de Compostella. Secundò textus reseruat culpas si-

RO-THO. mùlque censuras eorum qui matrimonium contrahunt post votum solenne castitatis tum per prof. ssionem Religionis monasticæ approbatæ, aut saltem in facie Ecclesiæ celebratum, tum etiam solennizatum per susceptionem sacrorum ordinum (sic votum Sacerdotio annexum veriùs denominant Summularij) de quorum anathemate iuris nemini reseruato in communi habet pars 2. gener. Artic 53. & 54. Aliaque adijcit Articulus 20. Lugdunensis ad calcem scholij. Ab hac ergo reseruatione excipimus primo culpas mortales a censuris immunes eorum qui post votum simplex castitatis, tum perpetuæ tum temporalis, coniugium inire præsumunt, non præuia dispensatione comprobata: eásque culpas & exempla apposuimus obseruatione posteriori partis 1. gener. ad calcem. Qua in re notandum quòd nonnulli censebant istud reseruandum, ex eo quòd textus Articuli latissimè & absolutè loquitur de fractoribus votorum. Verùm tandem ex tutiori Theologorum sententia, maluimus dicere id votum simplex violatũ non reseruari, dum enim textus tacet, concipiendus est de solis præcipuis votis, quæ quidem sunt solennizata & non simplicia, cùm pœnæ legis sint coarctandæ. Votum autem simplex est quod quis apud se solùm emittit, aut saltem non in facie Ecclesiæ: siue sit temporale siue perpetuum, Nauarrus Cap.22.nu.73. Deinde, prosecunda

exceptionis specie, hinc demuntur illi qui post votũ non nubendi, matrimonium contrahunt, etsi lethale peccatum perpetrent, & Episcopali dispensatione egeant in foro externo. Est enim id rursus votum simplex tantum. Tertio videtur ab hac iterum reseruatione eximi fornicatio simplex, quæ à singulis & omnibus dictis vouentibus committitur, hoc est ab ijs qui habẽt carnalem copulam cum muliere extra matrimonium & facile credimus hanc extitisse veteris Synodi mentẽ vt non intẽderit nec voluerit reseruare omnem mortalem fornicationem. Etsi frequẽtior ac effrænata libido deposito omni pudore, reseruetur Artic. 20. Lugdunensi, Mihi videretur cum distinctiuncula respondendum hoc pacto ad mentem Authorum Articuli scilicet quòd fornicatio secularium Sacerdotum (modò non sit notorius concubinatus) nec non eorum qui simplex votum castitatis emittunt (quodque est multiplex locis citatis) à Parœcis solui potest: Ea verò quam committunt illi qui votum solenne in Religionis professione emittunt, hîc reseruatur, ad formam eorũ quæ circa votum & voti solennitatem diximus, & Iuxta sententiam Theologorum in Casu 9. Aquensi.

17. *Illi quibus reipsa iniuncta est publica pænitentia.*

Exponitur Casu 7. Senonensi. Alia in 3. Casu Burdigalensi.

ROTHO.

ROTHO. En ſeptemdecim Caſus primi ordinis: quibus certè addendus eſt 4. Caſus communis, in ipſa Synodo Rothomagenſi minimè commemoratus, de violatoribus Eccleſiaſticæ immunitatis. Ab his autem octodecim caſibus abſoluere poteſt ſolus Pœnitentiarius Archiepiſcopalis in maiori eccleſia reſidens proptereàque appellantur Rothomagi maiores Caſus reſeruati. Ex quo factum eſt, vt eos hîc ſeorſum deſcripſerimus: ſúntquè ex parte à cenſuris immunes. Nam vbi miſcentur cenſuræ ſuis quibuſque locis expreſſum eſt.

CASVS MINORES A QVIBVS ABSOLVVNT DECANI RVRALES.

19. *INceſtus minor, ſcilicet in tertio & quarto gradibus.*

Hi gradus in vniuerſum conſcripti debent concipi tum de cõſanguinitate, tum etiam de affinitate. Ex eo verò quòd Articulus ſecundum gradum omittit, & à tertio duntaxat incipit, concluditur eundem ſecundum gradum intelligi reſeruatum per primum Caſum coram maiori Pœnitentiario diiudicandum, quaſi lateat in mente & cortice textus, etſi explicitè ibidem non deſcribatur. Ratio autem eſt, quia extrema eiuſdem ordinis nec ſine medio eſſe poſſunt, nec medium aliam naturam induere poteſt. At, primus gradus in Ar-

ticulo primo huius Tabellæ descriptus, est ROTHO.
vnum extremorum hoc loco & sensu: deinde tertius cum quarto hîc reseruatus, est alterum: & propterea secundus gradus est medius Igitur absurdum esset dicere aut secundum nemini reseruari tertio retento, aut eundem secundum ad maiorem incestum non referri vnà cum primo gradu, cùm non exprimatur in hoc Casu minoris incestus. Quia ergo idem secundus gradus concipi debet reseruatus: sanè tutiùs cum primo gradu & Articulo nectendus, estquàm cum isto qui disertè incipit à tertio, ad formam Articuli 9. Parisiensis, qui duos primos gradús simul reseruat eodem textus tenore.

20. *Homicidium casuale.*

Meritò hîc offertur casuale homicidium inter reseruationes minores, quia voluntarium iam legimus reseruatum ipsi Pœnitentiario matricis Ecclesiæ, ex Articulo 2. huiusce Diœcesis. Casuale verò sæpe videtur leue peccatum vel nullum, ex circunstantiarũ defectu: at grauius semper est sola percussione. Satis prudenter tamen reseruatur (etsi venialia non sint digna reseruatione) primò non tam propter absolutam quandã necessitatem quando est venialis, quàm ad maiorẽ cautelam & metũ hominibus incutiendũ: vt scilicet quisque singula cautè prospiciat. Secũdò, quia casuales actiones sunt duplices: vnà pura, altera mixta: pura non solet reseruari, cùm sæpe non in-

ROTHO. ducat peccatum, sed hîc reseruatur mixta & culpabilis, quę quidem est multiplex in exemplis, attamen reducitur ad duo genera lethalem culpam secum trahentia. Cuius sanè casualis euentus interpretationem descripsimus ad calcem Articuli 5. Remensis, cum authoribus Syluestro atque Nauarro. Quapropter lector eô recurrat. Etenim eiusmodi explicatio non potuit à loco illo remoueri neque opus fuit eam alibi toties repetere. Nihil verò censetur hîc dicendum de mandantibus fieri id leue homicidium.

21. *Mutatio voti vnius diei in alium diem ex causa rationabili.*

Est secundus Casus peculiaris huic Archiepiscopatui. Quem lubens conciperem non de culpa fracti voti detergenda: sed de eius dispensatione relicta potestati & prudenti arbitrio Vicarij ruralis velut minoris Pœnitentiarij intellige etiam quando ista mutatio non fit apertè & manifestè in melius aut maius bonum.

22. *Periurium & mentita fides coram quocunque iudice & quacunque ex causa: exceptis suprà nominatis Casibus, & quibus ad Dominum Archiepiscopum vel ad eius Pœnitentiarium in matre Ecclesia residentem dictum fuit, quod est remissio facienda.*

Definitio periurij traditur Artic 29. Lugdunensi: & alia adijcit Casus 14. Senonensis. Quibus iste articulus æquatur; in eo quòd

vox, coram quocunque iudice, complectitur iudicem tum ecclesiasticum, tum etiam laïcum competentem. Idem verò articulus 22. minoris & secundi ordinis Rothomagensis discrepat ab Artic. 15. qui est vnus ex maioribus & primi catalogi eiusdem Tabellæ. Etenim ille reseruatur ibidem coram maiore Pœnitentiario sub *nominatis Casibus* seu conditionibus in ipso textu: nimirum si periurium proferatur in præsentia Reuerendissimi Archiepiscopi vel Officialium ipsius. Ex quo euidenter elicitur, quòd si periurium cuiuscunque materiæ vel generis fuerit, proferatur coram quocunque alio iudice, qualis est Abbas inter cæteros: tunc peccatum reseruatur duntaxat coram Pœnitentiario seu decano rurali prouinciȩ: etiamsi illa publica persona sit iudex laïcus: habet enim textus *corã quocunque iudice*. ROTHO.

23. *Sacrilegi, & plasphemi notorij ac publici.*

Hîc duplex pars attexitur. Prior est de sacrilegis, qui quia vno verbo & subobscurè statuuntur, fortè veriùs concipiuntur pro iis qui furantur rem sacram in quouis loco, quod est maximè propriè sacrilegium, ad modum articuli 5. Parisiensis valde explicitum. Sic enim pœnæ sunt restringendȩ quoties breuiori textu depinguntur. De illo autem furto (quatenus iure communi non reseruatur) habet suprà appendix articuli 10. partis 2. generalis pertinétque ad sacrilegium reale dudum in

ROTHO. parte 3. gener. expoſitum Artic. 4. ac repetitum in 19. Senonenſi. Et facilè ad preſentem reſeruationem reducuntur quoque alia realia ac perſonalia omnia ſacrilegia in occulto perpetrata: & quæ ibidem tradita ſunt tanquam Papæ reſeruata in actione manifeſta. Poſterior autem pars de notorijs blaſphemis exponitur in Caſu. 13. Senonenſi, cui iſte æquatur.

24. *Corruptio Monialium & Virginum.*

Caſus ita in genere loquitur, vt duo ſubdiuiſa complectatur. Primò ſignificat raptum cenſuris obnoxium, renuēte fœmina: de quo locis cit. in Artic. 2. Lugdunenſi. Secundò ambit eam corruptionem quæ per virum fit eadem fœmina conſentiente, eſtque ſtuprum ſeu defloratio. Et Tale ſtuprum ſi prætenſum habeat mattimonium cum Moniali, vt culpa operiri excuſaríque putetur, tunc ſanè comitem habet excommunicationem iuris nemini reſeruatam in communi ex parte 2. generali Artic. 54. at ipſa hîc reſeruatur. Si autem non ſit prætenſum matrimonium inter partes tunc pecatum etiam cum virgine in ſeculo degente vel ſine ſimplici voto caſtitatis vel cum voto; eſt à cenſuris immune.

25. *Vitium minus contra naturam.*

Hoc nomine minoris vitij contra naturam Patres Rothomagenſes intelligunt reſeruari leuiores duas ſpecies peccati contra naturam in vniuerſum ſumpti, mortales tamen atque

graues, quæque non reſeruantur ſuprà Artic. 9. in matrice eccleſia. Prior autem ſpecies conſtituitur in vario quidem & diſtincto ſexu humano ſeſe carnaliter commiſcente: ſed tamen ita vt ſemen effundatur extra locum & vas à natura deſtinatum, nec proinde ſequi poſſit generatio. Quocunque enim modo fiat copula inter coniuges aut alios, dummodo generatio ſequi non poſſit, nunquam eſt peccatum reſeruatum. Hæcque ſpecies allata eſt ordine tertia totius peccati contra naturam. Poſterior verò ſpecies vocatur mollities, hoc eſt procurata ſeminis eiectio, eáque diſſipata extra vaſa ordinata à natura citra omnem concubitum, ſcilicet venereæ delectationis experiundæ cauſa ex locis citatis in 20. Caſu Lugdunenſi. Et reſeruatur, hic ea mollities, quæ cum alio vel alia exercetur, ſicque eſt duplex reſeruatio huius Articuli: à quo cenſetur excipiendus hoc loco actus ille quo ſemẽ quidem receptum eſt in locum debitum, at non ita vt idem ſemen ſit prolificum, vel generatio ex eo ſequi poſſit. Nam culpa aliquando leuior eſt & ſæpe præter intentionem agentis, niſi cum fit de induſtria, vel niſi ab extrinſeco ſterilitas poſtea procuretur: quæ iam eſt alia peccati ſpecies, & cauſa diſtinctæ reſeruationis. Nonnulli etiam recentiores Theologi videntur hinc elicere iſtam velut quintam ſpeciem vitij contra naturam: de qua Ca-

ROTHO.

ſu 5. Belgico. [RO-THO.

26. *Abutentes literis Apoſtolicis Domini Archiepiſcopi, & Curiarum ipſius.*

Iſtic per litteras Apoſtolicas, intelligi debet alius minor abuſus, quam ſit earumdem falſitas, vt pote quæ eſt multò peior: alioqui hæc Articuli pars tunc eſſet Caſus Papalis, ex parte 1. gener. Artic. 5. Minor autem iſte abuſus videtur eſſe omnis alius, qui ſit actus peccati lethalis. Attamen omne genus falſitatis circa literas Domini Archiepiſcopi commiſſum ad hunc Articulum pertinet: eſtque altera pars iſtius Articuli, quæ minimè complectitur & reſeruat mandantes fieri falſitatem diſertè expreſſos Artic. 31 Lugdunenſi. Singuli verò falſitatis modi aperiuntur in tertio Caſu communi: cætera in 7. Belgico, cum exceptionibus in 31. Viennenſi.

27. *Leuis iniectio manus in clericos & religioſas perſonas, ſi inijcientes fuerint infrà annos pubertatis conſtituti.*

Nam ſupra eam ætatem eſt Caſus primarij atque Cathedralis Pœnitentiarij, ſuprà Articulo 4. Rothomagenſi. Et ætas ipſius pubertatis in maſculo eſt annus decimuſquartus, in fœmina verò duodecimus. Leuitatis autem percuſſionis qualitates lege parte 2. gener. Artic 1. Retinentur quoque hîc mandantes ex 10. Lugdunenſi.

Ab his octo Caſibus, quos minores voci-

tant, absoluere debent alij fratres Pœnitentiarij per Diœcesim in decanatib⁹ cōstituti, ad quos remittere oportet pœnitentes. Sic enim ipsa Synodus passim loquitur. Isti autem Decani vulgò appellantur rurales dispersi per totam Nortmaniam & in Parisiensi episcopatu (in quo tamen simile ius non est in vsu) quia horum quísque prędicitur certo numero ruralium parœciarum & aliarum Vrbiū dempta episcopali ciuitate. De ruralibus hisce Decanis, potissimum ex vsu Franciæ, scribit Syluester verb. *Archidiaconus*. 9. & verb. *Confessor*. 1. §. 3. Itaque, isti Casus secundi ordinis sunt quidem de grauioribus peccatis lethalibus, attamen leuioribus, quàm extant octodecim primi. Et prudenter sanè Patres Rothomagensis prouinciæ potestatem absoluendi à minoribus eiusmodi reseruationibus reliquerunt præfatis ruralibus Decanis: scilicet quia hodie præsertim multos piget Metropolitanum Pœnitentiarium adire, proptereáque à frequentiore & pia peccatorum confessione sæpè abstinent. Hoc igitur breuiori remedio iuuatur talium infirmitas, & maximè fœminarum, vt pote ex quarum profectione in vrbem Metropolitanam seu ad maiorem Penitentiariū, posset maius famę periculū induci. præterquàm quòd videretur res difficilis veluti probè primum monuit Synodus Senonensis supra ad calcē. Quod si hi Casus rurales hodie non sint in vsu, piè repo-

ROTHO.

ROTHO. ni ac obseruari debere videntur. Sequitur ordo tertius.

MAIORES EXCOMMVNICATIONES.

28. *Generaliter omnes qui talia commiserunt delicta propter quæ ipsi sunt Archeepiscopali sententia innodati.*

Casus incidit cum dictis parte 1. gener. obseruatione 3. & cum parte 2. Artic. 3. comprehensis monitionibus, seu monitorijs ex parte R. Archipræsulis manantibus, pro occulto furto alióue crimine latis, rei reuelandæ gratià, quæque ad læsi instantiam à Parœcho loci iubētur proclamari: de quibus ibidē.

29. *Excommunicati à canone, quorum absolutio non est per canonem Sedi Apostolicæ reseruata.*

Hîc clarius quàm in secundo Artic. Senonensi reseruantur 40. vltimæ excommunicationes iuris nemini reseruatæ in 2. parte gener. quànquam Synodus Rothomagensis antiquior fuerit, & res asperior paulò videatur. Siquidem, textus disertè exprimit vocem excommunicationis à canone seu à iure. Propterea in proximis Synodis de huius obseruationis quantitate deliberabitur, & an sit imminuenda, sicuti mihi Parisijs retulit D. maior Pœnitentiarius Rothom.

Insuper verò notandum quòd huic multiplici Articulo seu istis maiorū excommunicationū articulis à nobis seorsum locatis, adijci debent reliquiæ censurarum iure communi

reſeruatarũ cũctis Epiſcopis, petendæ ex initio partis 2. cit. & ſtatuendæ ſub hac eadem ſerie: nimirum hæretici, aliíque alioqui Papæ reſeruati ex artic. 4. & 5. ſepelientes hæreticos valde notorios ac interdictos ex artic. 7. & 8. tum participantes cum nonnullis excommunicatis declaratis Artic. 11. Quippe cœteri eiuſdem 2. partis articuli ad communem illam reſeruationem ſpectantes iam ſuprà habentur Caſu. 2. 4. 6. & 8. Recenſentur ergo hactenus 34. articuli ex iſto quinario & reliquis pro Rothomagenſi prouincia & diœceſi, quos debent ſacerdotes diligentes addiſcere. Sequitur ordo quartus atq; poſtremus. RO-THO.

IMPROPRII CASVS.

35. IRregulares.

Non omnes, ſed ſoli occulti ſeu ex ſecreto peccato tales facti, iuxta part. 2. gener. Artic. 4. & 5. Ratióque eſt, quia manifeſti pene cuncti à ſolo Romano Pontifice ſunt abſoluendi. Demuntur autem duæ irregularitates notoriæ quæ iure communi ab Epiſcopis tolli poſſunt. Prior quidem eſt ea quę contrahitur ex notorio crimine alio à Clerici concubinatu. Nauarrus Cap. 27. nu. 154. Cui neſcio qua ratione fas erit credere, niſi cum diſtinctione: hoc eſt vt concipiatur de illa ſola irregularitate quæ contrahitur ex notorio illo crimine, quod vel nullã vel eam ſolã habet annexam excommunicationẽ, quæ ſolis Epiſ-

ROTHO. copis aut nulli omnino reſeruatur, de qua ad huc dubium quatenùs per Articulos 62. exponitur in eadem parte, at non de ea quæ ſimul habet anathema iuris Papæ reſeruatum, atque contentum articulis 56. conſcriptis in 1. parte. Poſterior autem ea eſt quæ fluit ex pluralitate ſacrarum ordinationum vno die. Syluester verb. *Irregularitas*. §. 3. Cæterum ipſa non eſt Caſus qui ad præſens inſtitutum ſubſeruiat: ſed dicitur canonicum impedimentum ad inſtar pœnæ, Nauarrus num. 191. & nos Prolegom. priore huius 3. partis gener.

36. *Qui votum emiſerunt volentes per eiuſmodi diſpenſari, ſunt ad dominum Archiepiſcopum vel ad eius Pœnitentiarium in matre eccleſia reſidentem remittendi, vt eis in caſu à iure permiſſo diſpenſetur, vel aliter eiſdē prouideatur, ipſos ad ſedē Apoſtolicā remittendo, ſecundùm quòd eis videbitur expedire.*

Hæc ipſiſſimis verbis habet Synodus. Qui articulus non eſt de culpis remittendis in foro interiori (Iam enim ea de re egimus art. 16.) ſed duntaxat eſt de diſpenſationibus quę in ſolo exteriori celebrantur, maximè ſi notitia de voto emiſſo multis fuerit manifeſta. Adeóque hic articulus eſt improprius: ſicut & præcedens immediatus: cū in hac Tabella ſermo ſit pręſertim de re occulta, & de ſoliûs culpę abſolutione, quę vnū cōſcientiæ forum poſtulat; præfata autem diſpenſatio reſeruata intelligitur eſſe de alio omni voto, prę-

terquàm de quinque maioribus Papæ reser- ROTHO.
uatis ex parte 1. Art. 48. Est que etiam de votis temporalibus, modò ad diem non spectent quia rurales Decani circa diaria vota dispensare valent, ex art. 21. in summa isti sunt Casus veteris Synodi Rothomagensis: qui numerantur in vniuersum XXXVI. articuli. Nihilominus ipsamet Synodus tringinta vnum capita siue articulos ex his tantùm attigit, vt præfati sumus Ad extremum verò sic concludit eadem Synodus.

31. Casus in Synodo.

*Ad sedem Apostolicam sunt mittendi qui grauiter percutiunt Clericum vel conuersum non Clericum * vel etiam quancunque personam cuiuscunque sexus existat.* Vbi cùm subintelligere debeat personam Laïcam, velut à Clero distinctam, obiter sanè mirari licèt, quia id contra ius commune militat, quo Episcopi absoluunt ab homicidio laicorum ex 2. Casu communi parte. 3. gener. neque insuper Prælatus aliquod delictum superiori seu Papæ potest reseruare: qua de re plura magis ad propositum Art. 5. Rhemensi. Sed ad exitum properemus cum textu Rothomagensi qui subinde post præcedentia scribere pergit hoc pacto. *Certi tamen Casus excipiuntur ab hac regula qui continentur in Versibus qui sequuntur, quosque ponit Hostiensis Regula* [y]*, mors, hostis, sexus, puer, officialis, Delitiosus* [z]*, inopsque, senexque, ægerque sodalis, Janitor* [a]*, astrictus* [b]*, dubius causæ, leuis ictus, Debilis, absolui sine summa Sede merentur.*

* 5. Anton. 3. par. ti. 24. Ca. 2.

y Monachalis.

z Nauar. ca. 27. nu. 89. 91.

a nu. est

b id est seruus et Monachus, ibidem.

ROTHO. Ad ſunt ſex decim exceptionum capita. Inter quæ nonnulla recenſentur apud Nauarrum loco qui citatur parte 2. gener. Artic 1. vbi ex ipſo authore aliæ etiam exceptiones adijciuntur, quas illic octo appoſuimus. Articuli autem exemptionum iſtius metri renouantur in antiqua Synodo Rothomagẽſi Anni CIↃ. CCCC. LXXVI. Verùm in ipſamet Synodo hi quatuor vltimi Caſus (duo excommunicationum & totidem improprij) immiſcentur qui deſcribuntur in primo allato ordine huius præſentis tabulæ Rothomagenſis. Attamen ad maiorem diſtinctionem & facilioris methodi gratiâ, nos hûc ſeorſum eoſdem tranſtulimus. Tàndem verò ad fidem lectori faciendam hoc vnum dicimus. Omnes hos tringinta & vnum Caſus deſumptos eſſe ex Archiuis Rothomagenſibus: quos lubens ad nos miſit* D. Ioannes Dadereus maior Pœnitentiarius & Eccleſiaſtices Rothomagenſis egregius doctor Pariſienſis. Quod quidem traditum exemplar is manu propria obſignauit, vt in lucem prodeat publica authoritate. Inſuper verò ipſe hæc commentariola ante pręlum perlegit atque probauit, quando Lutetiam demum acceſſit. Sed iam recentiora commemoremus, quæ hodie nouam fidem omnibus alijs comprouincialibus Parœcis & Sacerdotibus Nortmanis facere queant.

*Die 8. menſis octobris an. 1598.

ARTICVLI

ROTHO.

ARTICVLI PROVINCIALES.

ANNO Domini 1581. Rothomagi coacta est Synodus Prouincialis ab illustrissimo Principe & Reuerẽdiss. D. Carolo Cardinale Borbonio ciuitatis Auenionensis & S. S. Apostolicæ de latere legato, Archiepiscopo Rothomagensi & Primate Neustriæ seu Normaniæ. Extant singula in libro Parisijs excuso, cui titulus est *Decreta Synodi Prouincialis habitæ Rothomagi anno &c.* Sanè in ea Synodo non deducũtur quidem in suas quasque species 31. articuli suprà conscripti, sicut exprimuntur tredecim Casus Rhemenses in Concilio Rhemis celebrato ex dictis infrà sub Gallia Belgica. Sed tamen Rothomagenses Neustriæ Patres illic adferunt multiplex testimonium de suæ Prouinciæ Casibus in genere, déq; sua mẽte. Quia verò antea, & illo ipso Synodi tẽpore, atque etiamnum hodie pergit vsus continuus circa præfatos 31. Casus in Diœcesi Rothomagensi: profectò Concilium hoc Prouinciale (cuius Sessiones ferè à limine [b] declarant ipsam Synodum extitisse primam in ea Prouincia) tacitè indicat eiusmodi Casus ex vetustis & Diœcesanis desumptos fuisse quasi recentissimos ac verè Prouinciales seu Archiepiscopales: Vnde etiam fit vt si R. R. Coepiscopi proprijs

b *Difficultate I. p. 240.*

N

ROTHO. *Posse præfatos Casus videri prouinciales.*

Casibus hactenus careant, hos Rothomagenses lubentiùs sibi assumant. Indicia nostræ probationis patent in primis titul. *De Episcopis & capitulis* nu. 26. vbi ita habetur.

I. *Archidiaconus & pœnitētiarij sint in omnibus Ecclesiis, vbi fieri poterit, Magistri in Theologia seu Doctores, aut licentiati in iure Canonico: & in quibus Ecclesiis non est Præbenda annexa Pœnitentiariæ, nec Pœnitentiarius Canonicales distributiones percipit, annectatur. Non liceat autem Pœnitentiario beneficium Curatum aut aliud onus suscipere quod ab assidua residentia & quotidiano officio possit eum diuertere.*

Sic habet Synodus de assiduo Pœnitentiariorum munere, quæ officij commendatio supponit adesse Casus reseruatos in singulis conuocatæ Prouinciæ Diœcesibus, saltem ex vsu, vtpote circa quos occupetur ac versetur designatus Pœnitentiarius: quia alioquin esset frustrà. Secundò idem liquet tit. 2. *De Episcoporum officijs*, nu. 7. hisce verbis.

In examine, Archidiaconi præsentes aut Canonicus Theologalis, ab admissis & probatis (ordinandis) fidei confessionem ex forma in hoc Concilio prouinciali recepta [c] *exquirant, & Pœnitentiarius interroget, an aliqua irregularitate vel excommunicatione obstricti teneantur, vnde à suscipiendis ordinibus impediantur. Eosdem verò ipse, vel alius idoneus per ipsum commissus in confessione audiat (propter Casus reseruatos si in ipso pœnitente deprehendantur) antequam ab Episcopo consecrentur.*

c. *In formula professionis fidei pag. 9.*

Hic igitur vſus eſt ac ius hodiernũ Pœnitentiarij in Diœceſibus & ſingulis Epiſcopatibus circa irregularitates & excommunicationes, quas mox ex ipſa veteri Synodo [d] ſtatuimus Articulo 28. & 29. Qui omnes textus ſupponunt apertè in Diœceſibus iam conſtitutum eſſe Pœnitentiarium ex monitis Concilij [e] Tridentini. Tertiò, ibidem Tractatu.

ROTHO.

d *anni.* 1426.

e *Seſſ.* 14. *cap.* 7.

3. *De difficultatibus & ſupplicationibus ſanctiſſimæ Sedi propoſitis*, eſt ſermo de Caſibus reſeruatis, difficultate 10. ſaltem circa propoſitionem de hæreticis ex Concilio Tridentino [f] à quolibet Epiſcopo abſoluendis, ferè contra Papalem reſeruationem poſtea factam in Bulla Cœnæ Domini per ipſum Gregorium [g] 13. & antea commemoratam per Pios 4. & 5. Pontifices. Cui petitioni ita reſpõdet idem Gregorius 13. (reſponſum hîc atteximus in alios fines, nimirum propter articulum 5. partis 2. gener.) *Pro neceſſitate Prouinciæ* (inquit) *concedetur ad tempus hæc facultas iuxta Decretum Concilij Tridentini, cui magis viſum fuerit.*

f *Abſolutum eſt ſub Pio.* 4. *an.* 1584.

g *an.* 1583. *Nauar. nu.* 74.

Hæc verò facultas eſt ſola hæreſis occulta, Epiſcopis relicta per Concilium 1. Tridentinum: (nam manifeſta iuxta illud Concil. eſt ſolius Papæ) quia *nonnulli potiùs manebunt in hæreſi* (aiunt Patres Rothomagenſes) *quàm propter eam mittant ad Sedem Apoſtolicam, & interea dum mittitur & expectatur abſolutio, multæ incidere poſſunt tentationes & mutationes.*

Seſſ. 24. *de refor. cap.* 6.

ROTHO. Attamen certè Gregorius P P. eam videtur hîc ad se parumper retrahere, atque Episcopis extraordinariam efficere: de qua nos cit. articulo Tabulæ 2. & repetitur Artic 29. Rothomagensis istius Tabellæ. In summa: nemini forsan videtur dubium, licèt recens Synodus Rothomagensis non enumeret reseruationum Articulos, quin implicitè approbet veteres Casus, habeátque illos gratos. Quod attinet ad Suffraganeos istius Sedis Coepiscopos, omnes interfuerunt Synodo, eiúsque Decretis subscripsêre, nimirum Reuerendissimi Episcopi Baiocensis, Sagiensis, Ebroicensis, (qui tunc fuit Claudius Sainctæus egregius Doctor Theologus Parisiensis) Lexouiensis, Abricensis, & Constantiensis, præter deputatos Abbatum & cæteros. Accessit verò Breue Apostolicum præfati Gregori j de ipsa Synodo indicenda & celebranda, datum Romæ apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris die 15. Aprilis an. 1580. & sui Pontificatus octauo. Tum subditur aliud eiusdem Diploma super ipsius Concilij Rothomagensis confirmatione, datum Romæ die 19. Martij anno 1582. Sed ad propositum redeamus. Sacerdotes Confessarij totius Prouinciæ prudentissimè facient si Hos omnes Casuum Articulos memoriter teneant, ac pœnitentes talium reos remittant ad Superiorem, qui respondeat quicquid in illis opus facto videbitur ex recta

conſcientia. Sunt præterea alij nonnulli Articuli qui augent probationem & fidem præfatorum Caſuum; vel certè iam neceſſariò efficiuntur Prouinciales, quia ipſum prouinciale Concilium eos non obſcurè præcepit. Primùm quidem vult Parochos ipſo facto eſſe ſuſpenſos, qui matrimonia clandeſtina admittunt ac celebrant, iuxta Concil. Tridentinum ſeſſ. 24. de Reformat. matrimonij Cap. 1. quod tamen hanc canonicam ſuſpenſionis pœnam minimè expreſſit aduerſus eiuſmodi Parochos, ſed præcipit duntaxat eos grauiter arbitrio Ordinarij puniendos. Patres igitur Rothomagenſes hoc ſeculo id nouum ius ſuæ prouinciæ indixerunt. Sic enim habent Titulo *De matrimonio.* §. 2. ROTHO.

Presbyteros inſuper qui contra formam illius Decreti clandeſtinè aliquos copularint, ſuſpenſos à diuinis ipſo facto pronunciamus. 37. *Caſus, cum reſeruatione.*

Vbi cùm dicitur ſuſpenſum eſſe ipſo iure & facto, profectò Synodus intendit facere reſeruationem Epiſcopalem. Quia licet ſuſpenſio ſit cenſuræ ſpecies cum excommunicatione ſub eodem genere homonymo conſtituta, & non omnis excommunicatio ſit Epiſcopalis abſolutionis, ex parte 2. generali: tamen omnis ſuſpenſio hoc habet peculiare, quòd ſit Epiſcopalis ad minus abſolutionis, teſte Nauarro [m]. Hícque Articulus efficit hactenus Caſum 37. Rothomagenſem,

[m] *Ca. 27. nu. 162.*

ROTHO. Attamen certè Gregorius PP. eam videtur hîc ad se parumper retrahere, atque Episcopis extraordinariam efficere: de qua nos cit. articulo Tabulæ 2. & repetitur Artic 29. Rothomagensis istius Tabellæ. In summa: nemini forsan videtur dubium, licèt recens Synodus Rothomagensis non enumeret reseruationum Articulos, quin implicitè approbet veteres Casus, habeátque illos gratos. Quod attinet ad Suffraganeos istius Sedis Coepiscopos, omnes interfuerunt Synodo, eiúsque Decretis subscripsêre, nimirum Reuerendissimi Episcopi Baiocensis, Sagiensis, Ebroicensis, (qui tunc fuit Claudius Sainctæus egregius Doctor Theologus Parisiensis) Lexouiensis, Abricensis, & Constantiensis, præter deputatos Abbatum & cæteros. Accessit verò Breue Apostolicum præfati Gregorij de ipsa Synodo indicenda & celebranda, datum Romæ apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris die 15. Aprilis an. 1580. & sui Pontificatus octauo. Tum subditur aliud eiusdem Diploma super ipsius Concilij Rothomagensis confirmatione, datum Romæ die 19. Martij anno 1582. Sed ad propositum redeamus. Sacerdotes Confessarij totius Prouinciæ prudentissimè facient si Hos omnes Casuum Articulos memoriter teneant, ac pœnitentes talium reos remittant ad Superiorem, qui respondeat quicquid in illis opus facto videbitur ex recta

conſcientia. Sunt præterea alij nonnulli Articuli qui augent probationem & fidem præfatorum Caſuum; vel certè iam neceſſariò efficiuntur Prouinciales, quia ipſum prouinciale Concilium eos non obſcurè præcepit. Primùm quidem vult Parochos ipſo facto eſſe ſuſpenſos, qui matrimonia clandeſtina admittunt ac celebrant, iuxta Concil. Tridentinum ſeſſ. 24. de Reformat. matrimonij Cap. 1. quod tamen hanc canonicam ſuſpenſionis pœnam minimè expreſſit aduerſus eiuſmodi Parochos, ſed præcipit duntaxat eos grauiter arbitrio Ordinarij puniendos. Patres igitur Rothomagenſes hoc ſeculo id nouum ius ſuæ prouinciæ indixerunt. Sic enim habent Titulo *De matrimonio.* §. 2. ROTHO.

Presbyteros inſuper qui contra formam illius Decreti clandeſtinè aliquos copularint, ſuſpenſos à diuinis ipſo facto pronunciamus. 37. *Caſus, cum reſeruatione.*

Vbi cùm dicitur ſuſpenſum eſſe ipſo iure & facto, profectò Synodus intendit facere reſeruationem Epiſcopalem. Quia licet ſuſpenſio ſit cenſuræ ſpecies cum excommunicatione ſub eodem genere homonymo conſtituta, & non omnis excommunicatio ſit Epiſcopalis abſolutionis, ex parte 2. generali: tamen omnis ſuſpenſio hoc habet peculiare, quòd ſit Epiſcopalis ad minus abſolutionis, teſte Nauarro [m]. Hícque Articulus efficit hactenus Caſum 37. Rothomagenſem,

m *Ca. 27. nu. 161.*

ROTHO. hîc proprium: quia ſuprà adiecimus Caſum 4. communem. Et propterea iſte 37. fuit ſeorſum deſcribendus.

Secundò, eadem Synodus cenſetur effeciſſe Caſum reſeruatum circa ſimoniam ac fiduciariam penſionis aut iuris patronatus trãſlationem, qualem deſcripſimus in 1. Caſu Lugdunenſi, imò etiam addidit ſimilem retentionem abſolutionis circa eos qui prębent aſſenſum authoribus tanti criminis. Siquidem Tit. *de Epiſcoporum officijs*, §. 23. Patres ita concludunt.

38. *cum reſeruat. de ſimonia.*

Quicunque verò Clerici tam nefandæ fraudis & vſurpationis fabricatores ſeu conſentientes atque alieni ſacrilegij fautores fuerint, eiſdem pœnis per generalia Concilia & Decreta Pontificum ſubiacent, necnon quibuſcunque beneficijs priuantur, & ad quæcunque beneficia inhabiles efficiuntur atque à diuinis ordinibus ſuſpenſi, nec in foro conſcientiæ poſſunt abſolui, aut ſuorum ordinum executioni per ordinarium reſtitui: niſi poſt integram ſatisfactionem & abſolutionem prædictam. Celebrantes verò in eo ſtatu, irregularitatem ſemper incurrunt, &c.

Vnde ſequitur cenſuram ſuſpenſionis ibi poſitam intelligi aduerſus ſimoniacos non quidem latam ab homine, ſed à iure, tum quia verbum, ſubiacent, ſtatuitur abſolutè & in præſenti tempore, tum etiam quia irregularitas illic commemorata non dicitur inflicta ipſo iure, niſi ijs qui in ſtatu cenſuræ

ipſo facto contractæ celebrant diuina, ad formam communis Eccleſiaſticę legis apud Nauarrum cap. 27. num. 241. Præterea, vix tutò diceret quis intelligi ſuſpenſionem in ſolo foro externo quæ non inducat reſeruationem in interno, aut quæ non impediat abſolutionem Parochi poſtquam reus ſatisfecerit vt hîc præcipitur, ad modum contrahentium clandeſtinè & blaſphemantium iure communi reſeruatorum Epiſcopis in ſolo externo, ex priore Appendice huius 3. partis. Non, inquam, valet iſta obiectio à ſimili ducta. Nam hunc ſenſum non indicat præſens textus: ſed potiùs loquitur de foro interno, & inſuper poſſunt Eccleſiæ Principes particularem legem ſuis ſubditis ac Diœceſanis de nouo imponere, quæ in conſcientia liget & reſeruetur. Adeòque etiam, quando à ſimilibus cenſuris abſoluit Pœnitentiarius Epiſcopalis, hoc præſtat in foro interno, imò poſt pœnitentis confeſſionem abſoluit ſimul à cenſura & culpa, ex dictis primæ partis, ° Ad alia pergamus. Iſte Articulus 38. hoc tempore recens, eſt peculiaris iſti prouinciæ, duplici de cauſa. Primò quatenus eiuſmodi ſimoniaci ipſo facto ſunt ſuſpenſi per prouincialem hunc canonem. Quippe ius commune non dicit apertè eos eſſe ſuſpenſos, dum de ea materia tractat, Extrauagans communis de Simonia libro quinto,

ROTHO.

o *Animaduerſ.* 3.

ROTHO. cap. 1. quæ ſolummodo ſuſpendit capitula & communitates ſimoniam, ſimul comittentes per confidentiam, etſi omnes homines tales excommunicet ac rem Papæ reſeruet, quæ eſt diſtincta alia cenſura. Neque rurſus eam ſuſpenſionem antiquam de iure circa ſimoniam recenſet Nauarrus Cap. 23. aut 27. à num. 151. ad 163. vt neque Bulla Pij quinta expreſſa num. 110. Capitis 23. quæ cùm præfata Extrauagante cap. 2. ſpoliat tantùm priuatos ſimoniacè ordinatos ſui ordinis executione, cum multis alijs pœnis inhabilitatis ad antecedentia beneficia retinenda, futuráque obtinenda. Secunda ratio quare præſens Articulus 38. dicitur hîc peculiaris & primò Epiſcopis reſeruatus, eſt quia præter ipſos ſimoniacos comprehendit etiam illos qui aſſenſu, conſilio, præſidio, ſimoniacis adſunt: quod non capit Articulus 1. Lugdunenſis, neque lex communis Eccleſiæ in Bulla Pij 4. aut 5. citata Articulo 28. & 29. 1. partis.

CASVS REVERENDISsimorum DD. Archiepiscopi Turonensis eius, Episcopi Cenomanensis eius Suffraganei, &c.

HOC VETERI AC VSITATO METRO COMPREHENSI.



VI facit incestum 1, deflorans 2, aut homicida 3, transgressor voti 4, periurus 5, sortilegúsque 6, sacrilegus 7, patrum percussor 8, vel sodomita 9, & mentita fides 10, faciens incendia 11, prolis oppressor 12, blasphemus 13, hæreticus 14, omnis adulter 15, Pontificem super his adeant, Clerum feriénsque 16. *Tabula 4. Gallicana.*

Præfatæ sacræ Sedes hos versus, qui sexdecim Casus ambiunt, ex solo vsu assumpserunt pro peculiaribus sibi Casibus reseruatis: & hisce verbis in Breuiario Parisiensi eduntur. Non tamen illic statuuntur pro Casibus Parisiensibus. Quippe Parisienses Casus ibidem subijciuntur soluta oratione, quales habentur infrà. Interea, etsi eo in loco titulus præfati metri dicat esse Casus olim reseruatos Episcopo: non est tamen putandum eos describi tanquam singulis Episcopis communes: sicut visi sunt affirmare nonnulli. Siqui-

TVRON. dem, ex tribus generalissimis Tabulis & tutiore Canonum præscripto, nõ apparet quod percussio patris, sodomia, oppressio prolis, blasphemia, adulterium & transgressio [d] voti, quæ singula istic cõmemorantur, sint communes Casus Episcopales. Sunt ergo particulares duntaxat: reliquis in communium latitudine relictis quotquot habent isti versus. Sic veteres & neoterici Doctores qui admittunt dũtaxat quinque Casus communes sine censuris à fronte tertiæ partis expositos, & duodecim cum censuris in principio secundæ partis. Viderint autem reuerendiss. Antistites an alios casus in posterum sibi reseruare aut mentem paulo clarius aperire velint, perspectis locorum ac temporum circunstantijs. Nam etsi illis versibus contenti esse possint, si ita lubeat: nihilominus versus sunt valde ambigui, nec Sacerdotes satis instruũt: verbi gratiâ rem non manifestant circa ferientes Clerum, nec circa Casum vltimũ vno verbo conscriptum; neque pariter circa cæteros Casus, sicuti longè clarius præstant Superiores Tabulæ Archiepiscopales. Quippe talis percussionis qualitas est cognitu pernecessaria, sæpiúsque reseruata vni Romano Pontifici, vt liquet ex locis citatis in parte 2. art. 1. rémque vniuersam magnopere dilucidant anteriores omnes Tabulæ: quas breuiores fecimus quãtùm licuit in tanta rerum varietate. Ita Rhemẽsis prouincia nouos casuum articulos tan-

d de qua in extrema Admonit. 1. Tabulæ.

dem cōposuit cum olim, pro suis Casibus vsa esset ijsdē versibus, vt manifestum est ex veteri libro Constitutionum Synodalium Sedis Rhemensis anno 1500. Præside *Reuerendiss. D. Guillelmo Briçonnet*, tum Rhemensi Archiepiscopo veluti nobis testantur literæ * D. Pœnitentiarij Rhemensis, Doctoris Theologi. Anno autē 1583. Rhemis sublatus est de medio eorum versuum vsus fallax sub nomine Casuum quasi communium: & eorum loco prudentissimè electi sunt 13. Casus tali prouinciæ peculiares, quales infrà apponuntur suo ordine. Interea quo clarior euadat hæc Tabella, & lector multo onere liberetur: eam paucis interpretamur, ac singulos eius articulos ad superiora loca referimus hoc pacto. In primis Casus 3.6.10. & 11. præfati metri habētur in 1.2.3.& 5. communibus. Deinde Casus 2. 12. & 16. eiusdem metri continētur in 2.7.& 12. Lugdunensibus, seu in 5. & 6. Senonensi cum locorum ibidem citatione. Tertiò Casus 1.5. 7. 8. 9. 13. & 14. eorundem versuum patent in Casibus 1.12.13.14.15.17.& 19. Senonensibus. Quartò & vltimò Casus 4. Latet in 16. Rothomagensi, tum Casus 15. in 11. Parisiensi infrà. Quibus 16. Casibus addēdus est quartus communis de violatoribus libertatis ecclesiasticæ. Ita vt sint in vniuersum septemdecim Casus præter reliquas duodenarij partes cunctis Episcopis communes, & ex dictis initio superioris partis generalis alla-

TVRON.

* *conscriptæ die 12. Martij an. 1599.*

PA-RIS. tas. Cæterũ, Episcopi huius Archipræsulatus Suffraganei habentur *Cenomanensis*, *Andegauensis*, *Redouensis*, *Nannetensis*, *Dolensis*, *Vanetensis*, *Maclouiensis*, *Corisopitensis seu Curiosolitanus*, *Kimper*, *Trecorensis*, *Lantriguer*, *Briocensis*, *S. Brieux*: qui quidem, demptis duodus primis à fronte nominatis, extant in Armorica seu in Britaniæ Ducatu.

Tab. 5.

STATVTVM REVERENDISSIMI Episcopi Parisiensis de Casibus in Diœcesi reseruatis: renouatum in Synodo Anni 1595.

I. *GRauis percußio Religiosi & Clerici sacris initiati: quæ si atrocior fuerit, etiam Papæ reseruatur.*

Iam explicatur in 7. Casu Lugdunensi. Sed discrimen est, quòd iste Casus contrahitur ad solos Religiosos & seculares illos Clericos qui sacris initiantur. Ille autem Lugdunensis absolutè loquitur: hoc est de ijs etiã qui manus violentas conijciunt in easdem personas qui in minoribus quoque ordinibus sunt cõstitutæ, maximè si habitum gestent clericalẽ. Et reuera nomen Clerici in vniuersum nominatur non modò in illo Lugdunensi, verùm etiam in casu communi cunctis Episcopis, ex

parte 2.gen. Art.1. Adeóque Clerici in minoribus recepti illic continentur: ita vt illorum percussio vbiq; reseruatur, & perinde in Parisiensi Diœcesi sic coërceri debet. Sed præterea hoc loco est aduertendum quòd grauis percussio Clericorum non Episcopis sed vni Papæ reseruatur: sola autem leuis asseruatur cuius Episcopo, excitata Tab. gener. nec tamen est quod miremur Synodum Parisiensis grauem reseruare Episcopo. Intelligit enim percussionem minùs grauem quæ accedat ad leuem. Etenim eam comparat cum atroce & illam ab eadem distinguit: etiamsi nonnulli paulo aliter loquantur in præfato generali articulo: quandoquidẽ ipsi atrocem sub eadem percussionis specie cum graui enumerant. Germana verò grauitatis latitudo ac definitio habetur Tabula cit. De mandantibus istic denuo comprehensis lege ibidem, & in artic. 10. Lugdunensi. PARIS.

2. *Exustio domorum.*

Plura de eo Casu, cum distinctione, in 1. art. communi.

3. *Homicidium: & ad hæc facinora consilium aut auxilium quouis modo præstitutum.*

Hic casus æquatur nouo Senonensi. Nam ex vna parte retinet homicidas peculiares casui 2. communi: & ex altera eos insuper qui extrinsecus subsidium præbent homicidijs, etiamsi manum operi non admoueant. De mandantibus hîc insuper reseruatis vide pre-

PARIS. fatum Casum 10. Lugdunensem.

4. *Peccatum falsariorum: quo nomine continentur non solùm qui in alicuius perniciem falsificāt, aut adulterant litteras, syngrapha & sigilla, sed etiam qui in iudicio falsum testimonium dicunt.*

Eandem habet ferè latitudinem quam suprà obtinet art. 3. communis.

5. *Sacrilegium, si quis rem sacram, vel rem prophanam è loco sacro surripuerit.*

Explicatur in 19. Senonensi & 23. Rothomagensi, quibus iste æquatur.

6. *Sortilegium, incantatio, diuinatio.*

Hîc cōmemorantur tres particulæ, quarū prima videlicet sortilegiū, traditur exactiꝰ in Casu 5. communi: tertia in 1. Aquensi propter causas illic expressas, etsi locus ille hunc ordinē sequatur. Superest ergo media nunc exponēda, nimirū incātatio. Ea verò est imprimis quæ homines aut bruta superstitiosis exorcismis sanat, nociuáq; domat: & deinde quę è diametro dementat vel in corpore lædit, & subinde omnium rerum obliuionem inducit per verba prophana seu etiam sacra, quæ adiuncta superstitione expressam aut tacitam dæmonum inuocationem continent. Sic S. Thomas 2. 2. tota quæst. 95. Syluester verb. *Superstitio.* 10. Nauarrus cap. 11. num. 30. & Malleus maleficarum par. 2. quæst. 2. cap. 5. Atque rursus definitur in 1. Aquensi. Excipiuntur ergo illi idiotæ qui vel quæ ad præfatam sanitatem adhibent incantationes à

maioribus acceptas; verè credẽtes se recitare orationes legitimas: & pias quæ est ignorantia vel inuincibilis, vel certe probabilis, quę ad summum facit peccatum veniale, at vero non reseruantur peccata venialia. Incurrunt tamen Casum isti idiotæ, si post debitam monitionem non desistãt. Caietanus & Summa Armilla verb. *Incantatio.* Is verò committit mortale non reseruatum, qui talia didicit in libris magicis, eáque recitat, quamuis illis non vtatur. Articulus autem complectitur solùm eos qui sortilegio, incantatione & diuinatione vtuntur, at non illos qui consilij petendi gratiâ ipsos sortilegos, incantatores & augures adeunt, saltem ex litera: etsi tales reseruet Casus 11. Senonensis, in cuius textu illa conditio disertè exprimitur. Etenim pœnæ sunt restringẽdæ ad literæ captum & ambitum, non vltrà, ex locis cit. parte 2. Præfatione 1. Vide etiam articulum 12. Narbonensem & 27. Ebredunensem, qui isto sunt latiores: Verùm æquatur Casui 5. communi & 12. Tolosano. Alia in 7. & 21. Belgico. Et in omnibus hisce Casibus reseruantur quoque mãdantes fieri sortilegiũ, quia pari pœna plectũtur cum faciẽtibus, ex art. 10. Lugdun. Quod dum dicimus: non tamen arbitretur quis id esse contradictoriũ cum dictis de adeuntibus sortilegos qui hic excipiuntur, vt monuimus. Nam differunt mandans fieri ipsissimum sortilegium aut incantationem, & cõsulens sor-

PARIS.

Mandãtium à consulentibus discrimen.

PARIS. tilegos, qui minimè propterea desiderat vti illo sortilegio. Mandãs enim est author facti seu criminis exteriùs patrati: consulens verò minimè est author & causa. Improbũ autem opus externum reseruatur. Alia discrimina habet Nauarrus cap.27.num.233. Igitur quadrat hæc omnis doctrina. Vide artic. 8. Belgicum.

7. *Impius & prophanus abusus rerum sacrarum, vt sacrosanctæ Eucharistiæ, Chrismatis, olei & similium.*

Ad pleniorem istius articuli & similium intelligentiam, aduertendum est quòd genus quidem logicum complectitur eminẽti modo species & indiuidua sibi addicta, quibus naturam genericã ex æquo & synonymè impertitur. Veruntamen in pœnis tum ecclesiasticis tum ciuilibus imponendis, res secus se habet ex analogia. Quippe lex quæ expressè pœnam imponit propter leuiores errores circa materiam vnius generis, vtpote quæ hos solos errores quasi species commemorat, ea vulgò quoque comprehendit pœnas ex proportione debitas grauioribus circa eandem rem erroribus siue criminibus velut generibus rem multis docent Iureconsulti. At non è contrà sequitur quòd pœna imposita circa grauiorem circunstantiam sub eadem re eiusdem ordinis atque materiæ, intelligatur statuenda circa minorem. Hinc igitur fit vt præsens iste Casus, de impio profanóque abusu

rerum

rerum ſacrarum, quia eſt maior quàm circũ-ſtantia negligentiæ miniſtri aut inordinationis circa Euchariſtiam commiſſæ: de qua vna habet articulus 23. Lugdunenſis cum 11. Rothomagenſi. Idcirco etiam non contineat reſeruationes ipſius articuli Lugdunenſis aut præfati Rothomagenſis quæ ſunt multo minores: continet tamen articulos 24. Lugdunenſem 12. Rothomagenſem & 21. Belgicũ, quia ſunt de circunſtantia altioris ordinis, nimirum de ſortilegio circa quædam ſacramẽta, quod ſanè appellatur multò magis prophanus ſacrorum abuſus: Sed profecto, in latitudine æquatur planè articulis primo Aquenſi, 2. & 19. illis Sacerdotibus Ebredunenſi, tum 20. & 21. Caſui Belgico. Iſte autem abuſus perperam committitur quando quis Hoſtiam conſecratam in pulueres redigit aut minutim proſcindit: & recitatis quibuſdam verbis nefandis partim ſumit, partimque illi à qua amari vult ſumendam in cibo aut potu porrigit: comprehenſis in reſeruatione illis Sacerdotib⁹ qui ſumpta veſte lugubri Miſſas mortuorum pro viuentibus, vt illi pro quibus ſacrificium offerunt, citiùs moriantur: & cætera id genus exempla.

PARIS.

8. *Stupra & raptus virginum ac mulierum honeſtè viuentium.*

Hic Caſus duas ambit partes. Prior pars eſt ſtuprum, quo paſſim à Iureconſultis [e] intelligitur carnalis copula viri cum virgine ſub pa-

e *Modeſtin cap. 101. D. de verb. ſignif. &* *Syluester*

PARIS. rentum cura exiſtente, eáque conſenſum ſiue plenum, ſiue imperfectum & implicitum ad hoc præbente neque vi pertracta. Et tunc idem eſt quòd defloratio virginũ: quam Syluester appellat ſimplex ſtuprum *. Addo (conſenſum aliquem.) Nam ſi prorſus abſit conſenſus in virgine, vtpote quæ totis viribus reluctetur, iam verè erit alia ſpecies luxuriæ, nempe raptus in viro: qui quidem raptus ad poſteriorem partem huius articuli pertinet, & eſt quaſi duplex ſtuprum. Ita vt hæ duæ voces potius accipiantur in textu diſiunctim quàm copulatè, ſicut patet in diſiunctis ſeu diuiſis Caſibus 11. ac 12. Belgij Septẽtrionalis. Déque tali raptu, nimirum ſolius virginis, habet primum membrum articuli 2. Lugdunenſis, eíque ſemper annectitur excommunicatio. Raptus tamen latiùs extenditur in præſenti Caſu, quam in præfato Lugdunenſi: Hic enim comprehendit eas mulieres honeſtè viuentes quæ pari violentia ſeducuntur: quales ſunt viduæ: Lugdunenſis autem textus non loquitur niſi de virginibus & monialibus per raptum abductis. De diſtinctis canonicis & ciuilibus vtriuſque pœnis habet Sylueſter verb. *Luxuria.* num. 5. & 6. Déque ſtupri definitione num. 1. Idem ſentiendum eſt de conſtupratione Sanctimonialium: quibus id duntaxat peculiare eſt, quòd eiuſmodi iniuria eis illata vocatur ſacrilegium. Nec ampliùs ſeorſum ponitur:

* *verb. Luxuria. nu. 9.*

ſicut in anteriori ſtatuto Pariſienſi. PARIS.

9. *Inceſtus ſaltem intra ſecundum gradum.*

Sic Lutetiæ retrahitur Caſus 19. Lugdunenſis & 12. Senonenſis circa affines & conſanguineos carnales illic nullo limite circunſcriptos, & ideò veriùs extendendos ad quatuor gradus ob legitimam copulam contractos, & ad duos ex illegitima ortos: quos poſtremos duos illegitimi tori vix complectitur iſte Caſus.

10. *Peccatum cum alio contra naturam, aut cum beſtiis commiſſum.*

Hîc intelliguntur omnes quatuor ſpecies peccati contra naturam, quas exprimit Articulus 20. Lugdunenſis: neque ideo opus eſt eas hîc repetere. Duntaxat de quarta ſpecie ſermonem hic inſtituimus. Ea ſpecies eſt quoties ſine concubitu procuratur pollutio, delectationis venereæ experiendæ cauſâ: nuncupatúrque mollities. Quæ etiamſi ſit infima ſpecies: * tamen eſt ſynonyma, & proinde hic videtur comprehendi ex vi textus non autem in cit. artic. Lugdunenſi, & 4. Narbonenſi: quia iſte textus eſt illîc explicatior: qui iterum duo articuli latiores ſunt Caſibus 15. Senonenſi, & 9. Rothomagenſi in cathedrali Eccleſia, perindéque præſens articulus multò magis illos excedit. Verum enimuerò, poſito quòd eiuſmodi infima ſpecies ſeu ſpontanea pollutio ſub preſenti reſeruatione contineatur: non tamen omnem

* *Sylueſter verb. Luxuria nu. 9.*

PA- RIS. eiuſmodi pollutionem crediderim eſſe reſeruatam, non enim reſeruatur illa qua quis ſeipſum ſolùm polluit, etiamſi hanc ſpeciem indiuiſim complexus ſit. D. Thomas, & reſeruent Cœnobiarchæ ex artic. 11. vltimæ Tabellæ. Sed concipiuntur duntaxat pollutiones cùm alio procuratæ in eodem ſexu, vel etiam in diuerſo ſexu ſed miſſo ſemine aliò quam in locum à natura deſtinatum. Saltem hanc ſolam mollitiei particulam, & non priorem indicat textus, quia dicit cum alio: vt neque ſupra literam pœnæ ſunt extendendæ. Hanc autem mollitiei ſpeciem capit etiam articulus 25. Rothomagenſis in ruralibus Eccleſiis, licèt vtrobique durum nonnullis videatur. De patiente preter agentem, in hoc toto peccati genere, vide Articulum 15. Ebreduntenſem.

11. *Adulterium publicum & notorium.*

Quando ſcilicèt acceditur ad alienum thorum: ſiue dato mulieris conſenſu, ſiue ſublato. Et nihilominus diſtinguitur tum ab inceſtu, qui exercetur in conſanguineam etiam non nuptam: tum à ſtupro quod eſt in ſolas virgines, quantumuis credatur aſſentiri. Ratio verò notorij habetur in priore Admonit. 1. partis.

12. *Fornicatio cum ea quam de ſacro baptiſmi lauacro ſuſceperis.*

Hic Caſus tũc ſolùm efficit ſpeciem aliam à ſuperioribus tribus (ſcilicet à ſtupro, inceſtu

&adulterio) quãdo mulier præbet assensum & est soluta atque priùs corrupta. Insuper verò spiritualis affinitas quæ per hũc Casum habetur inter vi um seu patrinum in baptismo susceptorem, & postea fornicantem cum ipsa fœmina suscepta, propriè non reddit actum incestuosum: etsi sub æquiuoco nomine incestus numeretur art. 12, Senonensi & 1. Rothomagensi. Nam, etiamsi hæc cognatio seu affinitas tanta esset omnino quanta est carnalis, ratione vinculi: tamen Doctores nõ exprimunt * quod incestus egrediatur limites consanguineorum, & affinitatum carnalium. Et pœnæ sunt coarctandæ. Hoc genus cognationis, vide in præfato Senonensi parte 2. sub specie 2. Simile in 18. articulo Lugdunensi, & alia in 13. Aquensi huic æquali, parte 1.

PARIS.

* Syluester verb. Luxuria 1.

11. *Procuratio abortiui.*

Iste Articulus differt ab alijs huiusce materiæ. Quippe hîc numerantur solùm illi qui reipsa & ex intentione procurant aborsum. At, primùm, in Casu 14. Lugdunensi adduntur & illi, qui procuranti cõsilium auxiliumque præstant. Deinde in 22. Senonensi comprehendũtur ij, quorum negligentiâ nascitur abortiuus, etsi forsan defuerit voluntas siue ratio formalis peccati: quæ sanè ratio negligentiæ ac reseruatio durior est. Tum in 13. Rothomagensi subiungitur conditio malitiæ in ea procuratione. Ita vt conditio negli-

PARIS. gentiæ in Senonensi reseruata, & cui malitia deest, Rothomagi nõ reseruetur. Præsens igitur Casus æquatur Rothomagensi, neque videtur comprehendere consulentes aut neglectores. Attamen complectitur mandantes, ex 10. Lugdunensi, & 6. Articulo istius Parisiensis Tabellæ. Alia huc spectantia in 16. Viennensi.

14. *Luxuriari in Ecclesia consecrata.*

Hic articulus, præter allatos Casus huius Tabellæ qui pertinent ad peccata carnis, vix potest statuere distinctam luxuriæ speciem seorsum ponendam, nisi forte sumatur pro peccato simplicis fornicationis inter duos planè liberos & solutos nec coniunctos aliqua prohibita affinitate; aut nisi inter solos vxoratos ibidem cõmittatur De stupro enim vel fornicatione in spiritali cognatione vel de raptu iã actũ est superius, vide Art. 8. & 12. Illíque duo textus cum isto casu sunt hactenus peculiares Diœcesi Parisiensi. Sed omnino dicendum reseruari solum hic luxuriam respectu & ratione Ecclesiæ consecratæ, ita vt simplex fornicatio in Ecclesia hic reseruetur ratione loci; extra Ecclesiam vero non reseruetur. cæterum varias luxuriæ species luculente scribit D. Thomas 2. 2. tota quæst. 154. vbi, aduertere oportet quòd annis elapsis legimus hunc Articulum sic statui solitum: *Luxuriari in loco sacro.* vt adhuc constat ex vltima editione Breuiarij Parisiensis.

Postea verò res videtur contracta ad Ecclesiam: quæ sanè formula textus præcisè & ad literam sumpta, discrepat à priore. Ne enim quis anceps hic maneat aut ista duo in vnum confundere putet: locus sacer, præter Ecclesiam, est claustrum & alia commemorata in Casu 21. Lugdunensi. Atque hæc quidem omnia exteriora loca, in quibus si hodie committatur luxuria, à quinquennio saltem † Parisijs non reseruantur. PARIS. † *ab an. 1595.*

15. *Ordinari ab alieno Episcopo sine sui Episcopi facultate.*

Accedit prorsus ad Casum 5. Lugdunensem, cum suspensionis & irregularitatis incursione.

16. *Promoueri per saltum.*

Tales sunt ipso iure suspensi: qui si ordinem administrent ante Episcopalem absolutionem à suspensione, irregularitatem ipso facto sibi contrahunt, eámque non nisi à Papa obliterandam si illa sit notoria. Nauar. cap. 27. nu. 241. & 242. Isque Casus est primus peculiaris isti Diœcesi.

17. *Percussio parentum, hoc est patris & matris.*

Hîc articulus absolutè ponitur. At in Casu 17. Senonensi conditio ætatis appositè subijcitur, & in 3. Rothomagensi conditio grauitatis: quasi leuis percussio illic non sufficiat ad reseruationem, quæ hoc textu satis esse censetur. Præterea notandum, quòd istic

PA-RIS. auditur *vox parentum* confestim restricta ad patrem & matrem. At in Rothomagensi eadem vox absolutè effertur. Ideóque forsan Rothomagi comprehendi videntur aui & ab aui ex parte etiam matris, sicuti exprimit textus 19. Aquensis, cùm verè illi in progenitorum seu parentum appellationem veniát: prætermissis auunculis reliquisue consanguineis collateralibus. Sic Festus & alij passim prophani authores. Percussionis qualitates pete ex casu 5. Rhemensi.

18. *Vxori aut viro mortem machinari.*

Id est solo opere externo idque intelligitur etiam de præcipientibus, consulentibus & auxilium præbentibus in illa machinatione: cùm sit maleficium ex Casu 10. Lugdunensi & 7. Belgico: Neque certè ad reseruationem sufficit mentalis procuratio mortis: etsi ad lethale peccatum sufficiat. Attamen vi textus videtur sufficere externa procuratio, etsi mors vxoris minimè sequatur. Isque Articulus est secũdus propitius huius Episcopatus.

19. *Oppreßio paruulorum per incuriam.*

Incuria non apponitur in 13 Casu Lugdunensi, nec ideo eam censetur comprehendere, sed solam scientiam & malitiam euentus in ea oppressione, quia pœnæ sunt restringendæ ad literam. Sícque præsens Casus est asperior Lugdunensi.

20. *Vsura publica & manifesta.*

Fusè explicatur art. 25. Lugdun. ac Senon.

21. *Matrimonium clandestinum, aut contra Ecclesiæ leges contractum.* PARIS.

Est eiusmodi in Casu 16. Senonensi: ibidémque palam fertur.

Adsunt igitur viginti & vnus Casus Parisienses: quiquidem primùm conditi fuêre in Synodo anni 1582, quæ inscribitur *Statutum Reuerendi Episcopi Parisiensis de Casibus reseruatis*, & extant in Breuiario, tunc edito: eóque tempore numerabantur viginti duo articuli. Nam seorsum apponebatur *Constupratio sanctimonialium* pro nouo articulo. Verùm in posterioribus statutis iste Casus deinceps sublatus est, aut veriùs creditur comprehensus sub octauo, veluti, ibidem premonuimus. Illa autem posteriora, sunt in primis *Statuta Synodalia ab illustrißimo & Reuerendiß. D. Petro miseratione diuina tituli sanctiß. Trinitatis in monte Pincio sacrosan. Rom. Ecclesiæ Presbytero Cardinale de Gondy nuncupato, renouata Anno* 1595. In ea verò congregatione retentus est quidem numerus viginti & vnius cum substantia Casuum in Breuiario constitutorum. At plures quasi aduentitiæ conditiones additæ sunt sub Articulis 3. 4. 5. 7. 10. & 14. Deinde eosdem & singulos prorsus Articulos repetunt *Statuta Synodalia à Reuerendo in Chr. Patre D. Henrico Gondio Parisiensi Episcopo, proposita Anno* 1598. Quo sanè tempore absolutis tribus generalissimis Tabulis, iam veneramus ad descriptionem huius & reliqua-

PARIS. rum Franciæ Tabellarum. Hoc verò vtrumque exemplar Parisiense typis mãdauit Ioannes le Blanc in vico Pauonis, & Casus habentur numerò 36. Qua in Synodi parte hæc subnectuntur quæ nos antea apposueramus Prolegomenis Tabulæ 3.

Casuum nomine (inquiunt ea Statuta) *propriè tantùm peccata intelliguntur, non censuræ, irregularitas & votum* & mox. *Sacerdos parochialis absoluere potest ab excommunicatione maioris iuris, quam conditor legis sibi vel alteri non reseruabit: A sententia autem hominis potest solus qui tulit eam, vel Superior vel successor* [a]. *Dispensatio super quauis irregularitate ad Papam tantùm aut Episcopum pertinet* [b]. *Dispensatio etiam seu commutatio votorum, nisi leuiora sint, Papæ aut nobis* [c] *reseruatur. A casibus reseruatis Papæ poterit Pœnitentiarius noster absoluere, si sint occulti, præter quàm ab hæresi, à qua nos ipsi absoluemus.*

Quæ omnia nos fusiùs iam explicuimus in Præfationibus 2. partis generalis. [d]

Cæterùm in posterioribus ipsis editionibus recentissimè adhibentur duæ censuræ numero 16. & 17. quæ etsi non reseruentur: nihilominus videntur meliùs in articulorum formam hìc seorsum redigendæ. Sic ergo sequitur prior textus, qui sit instar Articuli 22. Parisiensis.

Censura sine reseruatione. 22. *Prohibemus insuper ne vllæ confraternitates & congregationes nouæ instituantur absque nostra licentia & authoritate, sub pœna excommu-*

a *nos alibi ex cap. Nuper.*
b *Tab. 2. gen. art. 4. ex Concil. Trid.*
c *Tab. 1. Admonit. 2.*
d *cit. art. 4.*

nicationis. Strictè etiam prohibemus, ne vllæ fiant comessationes in celebratione dictarum confraternitatum sub pari pœna excommunicationis. PARIS.

23. *Inhibentes sub simili pœna omnibus & singulis presbyteris habituatis & beneficiatis in Ecclesijs nostræ Diœcesis ac alijs quibuscunque, ne durante concione sacra & Missa parochiali seu maiori Missa incipiendo à benedictione aquæ vsque ad decantationem Agnus Dei, eiusdem Missæ, priuatas missas celebrent, neque Sacerdotes prædicti qui ex præscripto ordine tenebuntur adesse diuino officio, confeßiones audiant.*

Hi duo Articuli non sunt de maiore excommunicatione ab homine seu iudice, sed à iure quod ipso facto infligitur. Statutum enim Episcopale demonstrat id esse ius scriptum atque perenne, aut saltem perseuerat donec pro Antistitis vel successoris arbitrio propter subortas forsan circunstantias reuocabitur: éstque nouissimum, cùm habeat solùm robur ab anno 1595. Quæ duplex censura, quia in textu non reseruatur, cōcluditur parochos vel eorum delegatos Sacerdotes ab eiusmodi excommunicatione absolutionem conferre posse vt constat ex ista Synodo Parisiensi. Quod si sacerdos sic excommunicatus sacrum denuò alijs diebus feriatis offerat, antequàm per sacramentum pœnitentiæ absoluatur, irregularitatem veriùs incurrit ex Nauarro cap. 27. num. 244. Sed ea ab Episcopo deleri potest, etsi ex manifesto

PARIS. facto proueniat, cùm oriatur ex violata censura quæ est statuti duntaxat Episcopalis & non Papalis. Attamen posteriùs anathema duplicem sensum patitur. Non enim ex æquo prohibentur Missarum celebrationes & confessiones sacramentales tempore diuinorum officiorum. Quippe, in primis celebratio vetatur Sacerdotibus etiam non habituatis in Ecclesia Parœciali (vt loquuntur) scilicet illis qui stationem & residentiam non debent in Choro. Sed illi presbyteri, qui in Ecclesia admittuntur quidem ad sacrum altare & ad confessiones audiendas, sed non sunt habituati, tempore diuini officij possunt ipsas confessiones audire: non tamen Sacerdotes habituati. Hunc duplicem sensum insinuat præfatus textus, quando dicit, ***qui ex præscripto ordine tenebuntur adesse diuino officio.*** Et rem totam sic rursus nobis præsentibus exposuêre nonnulli Superiores insignis Ecclesiæ Parisiensis: qui quidem pro Statuti causa referũt id fuisse Decretum ad vitandam confusionem & varias querimonias & priuata quorundam commoda, quæ antea emergere solebant, etsi lex illa vix accuratè obseruetur Lutetiæ. Prudens verò dispositio videtur Parœchis relinqui: vt nimirum ita negotium temperent vt Chorus non deseratur, neque interim confessiones ab alijs ad hoc munus commissis prætermittantur, maximè festiuis diebus cum solent omnes ferè Parœciani sa-

ſacramentum pœnitentiæ frequentare. ROTHO.

Præter hos 23. articulos hactenus allatos, memoriæ mandandum eſt, quòd inſuper Lutetiæ obſeruandi ſunt primi duodecim Caſus Tabulæ ſecundæ tanquam cunctis Epiſcopis communes. Hôcque pariter loco, quemque obiter monemus, quòd ante annum 1582. plures extabant Caſus Pariſienſes, iique ſimiles penè Lugdunenſibus, vt liquet ex Synodo anni 1515. quales Gallicè exprompſit Frater I. Benedicti * Sed nunc Lutetiæ ſuo robore carent, ob recentioris legis promulgationem. Ex his enim erat primò ſimonia nunc ibidem deleta, cùm ſit Caſus Papalis ſaltem quoties realis & notoria eſt. Sicque Parochi Diœceſis Pariſienſis abſoluere poſſunt à reliquis ſimoniacis conquiſitionibus ab excommunicatione immunibus. Attamen reſeruantur in Archiepiſcopatu Lugdunenſi & quibuſdam alijs citatis in Tabella Lugdunenſi artic. 1. Hæc de caſibus Pariſienſ. Relictis alijs Galliarum Epiſcopatibus; vnum enim Pariſienſem propoſuimus, ob ciuitatis amplitudinem & ſplendorem: eúmque ſub ordine Galliæ Celticæ ſeu Trāſalpinæ, ad quā verè pertinet iſta Diœceſis ſicut & Senonenſis Rothomagenſis & Turonenſis Archiepiſcopatus. Denique vt nonnulla de vniuerſa Gallicanarum Tabularum ordinatione ſubiungamus: hæ Tabulæ lubentiùs ordinantur ſecundum veterem Galliarū diuiſionem, quia

* *loco cit. in extrema Tab. Lugdunenſi.*

PARIS. ſicut hæc partitio commodior ſplendidiórque eſt, ſic magis illuſtrat regiones Aquitaniæ quæ mox ſequuntur, & quarum Patriarcha cenſetur Bituricenſis Archipræſul. Eam verò ob cauſam primò ſtatuitur Gallia Celtica tanquam pars prima Comatæ, quæ ab antiquis vno verbo dicta eſt Gallia Lugdunenſis. Et ratio quare hîc antecedit, eſt quia licèt in antiqua diſtributione præcedat Gallia Togata, nihilominus maior pars eius ad Franciam ſeu Franco Galliam hodie non pertinet: quam tamen Galliam per ſingulos ſuos Archiepiſcopatus hîc potiſſimùm deſcribere profitemur. Præterea, etſi in veteri diuiſione Galliæ Comatæ præcedat Belgica: tamen nec latior eſt, nec etiam tota ad Franciam ſpectat vt in Tabella Rhemenſi docetur. Celtica autem cum Aquitanica eſt tota Franciæ ſeu Chriſtianiſſima ſceptri, eáque dignoſcitur maior ac nobilior cæteris. Adde quòd iſtic ſermo eſt de Galliarum Eccleſijs, quódque Lugdunenſis Eccleſia nuncupatur omnium reliquarum Primatus, præſcripto poſſeſſionis iure clarus: adeóque probationis gratia ſeorſum inſtituitur Lugduni Officialis Primatiæ alius ab Epiſcopali: ad quem quidem litium Eccleſiaſticarum appellationes deuoluuntur ab alijs paſſim * Archiepiſcopatibus, præſertímque à Senonenſi ac Turonenſi, quando eæ appellationes circa petitoria aut ſacramentalia deprehen-

* *Cõſuetudinem probat Caput Duo ſimul lib. 1. Decret. tit. 31.*

duntur, qualia in Gallijs superſunt penes Eccleſiaſticos iudices à tempore Regis Philippi Valeſij [c]. Ex quo tandem factum eſt vt nos meritò ordiamur à Gallia Celtica veteribus dicta Lugdunenſi & ab ipſo Lugdunenſi Archiepiſcopatu.

PARIS.

c ab an. 1330.

CASVS RESERVATI Reuerendiſſimo Patriarchæ & Archiepiſcopo Bituricenſi, Aquitaniæ Primati, ac eius Pœnitentiario:

Tab. 6. Gallicana.

SEQVENTES CASVS videntur facti Prouinciales cum aliqua additione, in Prouinciali Concilio vndecim Diœceſeum huic Sedi addictarum & Biturigibus coarctarum Anno 1584.

1. RAPTORES VIRGINVM.
De cuius cenſura habet Articulus 2. Lugdunenſis.

2. *Violatores Monialium.*

Et ſi iſte Caſus contineatur quoque in pręfato 2. Lugdun. cum excommunicatione: ta-

PARIS. men sensum etiam habet articuli 9. Parisiensis, qui paulò leuior censetur.

3. *Qui, vel quæ, procurauerit aborsum.*

Hic tamen non includuntur dantes consilium articuli 13. Lugdunensis, neque negligentes commemorati in Casu 21. Senonensi. Propterea iste articulus est idem planè cum 13. Rothomagensi, in quo leguntur soli malitiosè procurantes. Pœnæ enim canonicæ ad malitiam in peccato repertam coarctari solent, quoties textus legis Ecclesiasticæ seipsum clarius non explicat.

4. *Matres quæ consentiunt vt filiæ se prostituant: & mariti qui similiter consentiunt respectu vxorum suarum.*

Is Casus est hactenus peculiaris isti Diœcesi, quantum ad matrum consensum. Sed quantum ad realem filiæ prostitutionem, est stuprum, de quo in 2. Lugdunensi.

5. *Ille qui commiserit incestum cum muliere sibi coniuncta in secundo vel proximo gradu consanguinitatis.*

Hic articulus est multò strictior 12. Casu Senonensi. Et quod attinet ad 19. Parisiensem, non superat quidem in gradibus: verùm cùm illic absolutè loquatur de secundo gradu, videtur comprehendere affines, inter quos est etiam incestus, teste Syluestro verb. luxuria 1. At verò istic apertè statuuntur soli consanguinei. Plura Casu 19. Lugdunensi.

6. *Incendiarij,*

6. *Incendiarij & illi qui, vt damnum adferant proximo, scindunt viuras vel arbores.*

Iste Casus merito videtur amplior primo communi, ratione arborum, quæ tamen vniuersalli voce illic sufficienter continentur. Antiquo autem virarum nomine intelliguntur viridaria & horti arbusculis consiti: vel etiam syuiculæ & cuuicularia, quæ apud quosdam authores viuerræ appellantur, & quasi per syncopem Viuræ vel denique concipiuntur pariter viuaria quę sunt loca in quibus aues aut feræ pascuntur & concluduntur præterquàm quòd significant piscinam seu stagnum piscinum.

7. *Illi qui polluunt Ecclesiam.*

Hæc pollutio sex modis contingit 1. quando intra Ecclesiam sanguis humanus iniuriosè & largè satis effunditur, seu quoties causa naturalis datur effusionis vel mortis Cap. *Ecclesiis* 68. Dist. & de consecra Distinc. 1. Cap. 20. Deinde quando in Ecclesia semen humanum voluntariè diffunditur, etiam per copulam coniugalem, Glossa suprà tum 3. & 4. quando in ea excommunicatus vel infidelis sepeliuntur, aut etiam alij comprehensi in Artic. 22. Lugdunensi, propter huius textus latitudinem. 5. quando ipsa Ecclesia ab Episcopo excommunicato consecratur vel benedicitur (benedictionem vocant reconciliationem) & 6. quando omnes parietes renouantur. Nauarrus Cap. 27. à nume. 256. ad 259. Qui

BI- quidem omnes modi comprehenduntur in
TVR. præſenti Articulo: & reſeruatione dempto quarto & ſexto qui non ſunt coniuncti cum peccato, ideóque non reſeruantur. Sub hoc autem nomine Eccleſiæ pollutæ & ſub tali reſeruato peccato, cenſetur quoque pollutum cœmeterium contiguum, ſed non è contra. Verùmtamen ſanè non vlterius extenditur pollutio Eccleſiæ: vnde nec complectitur clauſtra aliauè quæ nomine loci ſacri enumeramus Artic. 21. Lugdunenſi: Sicque locus ſacer vbicunque ſubauditur & legitur, latiùs extenditur quàm nomen Eccleſiæ. Harum pollutionum authores ſeu talium hominum peccata iam cenſentur cunctis Epiſcopis reſeruata, quia directè militant aduerſus Eccleſiaſticam immunitatem, quæ per eiuſmodi pollutiones violatur: adeóque ſtatuuntur in 5. ordine quarti Caſus communis initio huius 3. Tabulæ generalis. Interea ſepelientes excommunicatum vel infidelem in Eccleſia aut cœmeterio, ita polluunt Eccleſiam, vt nihilominus eos implicitè comprehendamus ſub poſtrema ſpecie tertij generis quod deſcribitur in præfato 4. Caſu communi: nempe ſub decedente & ſepulto in crimine notorio, & iſte Articulus hoc pacto exponit cætera propria eiuſdem quarti Caſus communis: cuius partes aliæ etſi violent Eccleſiarum immunitatem,

eas tamen non polluunt: proindéque tunc Ecclesiæ habent solùm opus reconciliatione circa sex istos pollutionis modos. Sic expone simillimum Casum 21. Lugdunensem. At Casus 7. Rothomagensis complectitur duntaxat primum modum, qui est sanguinis effusio.

Violationis Ecclesiasticæ immunitatis discrimen a pollutione Ecclesiæ.

8. *Homicidium voluntarium cum pertinacitate.*

Iam habetur pluribus in 2. communi. Attamen iste Casus videtur esse strictior: quia hîc præsupponitur & additur pertinacia prę ter occidendi voluntatem: cum nihilominus ex Casu communi solùm voluntas exigatur: quæ communis conditio in præsenti Casu sufficit.

9. *Ille qui percusserit patrem vel matrem.*

Eodem absoluto textu statuitur, quo Casus 18. Parisiensis, sine ijs conditionibus quas commemorant alij Archiepiscopatus ibidem citati.

10. *Notarij, Scribæ, Tabelliones, qui celant piè relicta Ecclesiæ vel pauperibus.*

Hactenus hic Articulus est secundus peculiaris isti Archiepiscopatui.

11. *Illi qui non satisfaciunt piè relictis quæ in se susceperunt.*

Est 3. Casus eidem sedi hactenus singularis. Vide tamen articulum 1. Burdigalensem.

BITVR. 12. *Ille qui dixerit falsum testimonium in iudicio.* Id plenissimè describit Casus 3. communis.

13. *Ille qui abutitur sancta Eucharistia vel alia re Deo consecrata: vt in arte magica in superstitionibus & diuinationibus vtatur.*

Iste Casus ratione magiæ est quidem de grauiori culpa, quo sensu sanciuntur articuli 24. Lugdunensis & 12. Rothomagensis: & ideo nihil mirum si cum citatis duobus simillimis reseruetur Sed in extensione videtur minor articulo 23. Lugdunensi, 11. Rothomagensi & 7. Parisiensi: quia hi tres articuli sunt de leuiori culpa minus digna reseruatione. Atque idcirco latius protenduntur ex eo quòd comprehendunt sacramenti profanationem per humanum quemcunque abusum circa ea commissum, etiàmque ab omni alienum sortilegio. Quæ sanè res istic expressa, est dificilioris paulò reseruationis. Talia tamen meritò reseruantur. Nam sunt abusus & humanæ negligentiæ circa rem non vulgarem sed sacratissimam, & circa augustissimum omnium sacramentorũ quod summa semper diligentia, prudentia & veneratione suspiciendũ est. Déque ea re, alia locis citatis.

14. *Qui corrumpunt mensuras, & adulterant monetas.*

Est quartus Casus isti Diœcesi peculiaris, ratione mensurarũ. Et quod ad alteram articuli partẽ attinet scilicet ad nũmos seu monetas: sanè falsitas adulterinæ monetæ accidit varijs

modis. In primis depreheditur quando vnum metallum pro alio substituitur, aut iustũ pondus metallo subtrahitur, nisi fiat authoritate Principis & iusta de causa: deinde quoties inscio Principe cuduntur nummi, quantumuis iusti in substantia & pondere, atque consignati charactere ipsius Principis. Ad quam reseruationem Alchimistæ referuntur, qui adulterino auro vel argento cudunt, licet ex iussu principis. Non incurrunt verò hunc Casum primo nummularij atque Principes qui iustam monetam reprobant, vt eam vili precio emant, aliamque conficiant: cùm absit falsitas circa materiam, pondus & formam. Quod si fiat fraus in prætij mutatione, est lethalis culpa 2. neque qui monetas exuberantis ponderis circumcidunt, aut viuis & acribus aquis extenuant, si iustum pondus supersit. Peccatur tamen mortaliter, dum priuata authoritate vsurpatur officium Principis seu Publici nummularij 3. neque qui vtuntur corruptis seu adulteratis monetis: etsi lethale committant. Textus enim non nisi de ipsismet adulterantibus & corrumpentibus loquitur 4. neque qui scienter offerunt falsam monetam ab alio receptam pro vera, aut mercatores qui legitimam monetam exponunt maiori pretio quàm acceperunt: quia omnes hi nihil immutant de veritate materiæ, formæ & ponderis. BITVR.

BI- At perpetratur rurſus lethiferum peccatum
TVR. furti contra Decalogum: propter eam mutationem factam cum dolo & iactura, & contra proximi charitatem quæ læditur. Hoc tamen peccati genus committitur ſolum ſi retentio ſit notabilis valoris, adhibito viri prudentis iudicio: ſecus ſi in obolo aut circiter, teſte Sylueſtro verb. Falſarius numero 8. in 6. Et cuncti tenentur damnum illatum reſtituere. Commemorat autem idem Syluester extrauagantem Ioannis 22. etſi non citet, qua quidem excommunicantur tales in regno Francorum. Similémque edidit nouiſſimè Pius v. quæ incipit, *Cùm nihil maius*. Summa Conſtitutionum ſummor. Pontif. Attamen iſte Caſus falſariorum monetæ non continetur ſub eadem ſpecie cum falſarijs literarum, vt illi pariter credantur ipſo iure excommunicati: de qua literarum falſitate habet ſeorſum tertius Caſus communis initio iſtius 3. Tabulæ generalis. Efficiunt enim duas ſpecies propter materiæ & formæ diuerſitatem, quamuis Syluester vtrumqne tractatum ſub eodem verbo citato conſcripſerit.

15 *Illi qui ſunt hæretici vel ſuſpecti de hæreſi, qui habent libros hæreticorum in domibus.*

Hîc primò ſit mentio de hæriticis, qui intelliguntur ſoli occulti ex citatis in Articulo 1. Senonenſi. Secundò eſt ſermo de ſuſpectis, vt pote qui ſunt vel fautores & defenſores hæreticorum, quos depingit pars 1. artic. 2. vel ſunt ſuſpecti ex factis & operibus infidelitatis, quantumuis lingua fidem pronunciet: de quibus tanquam de atheis copioſè diſputamus in noſtro volumine de Hæreſibus, idque expenditur tribus primis capitibus. Tertiò, tractatur de legentibus domi aut retinentibus libros hæreticos, quorum lectiones & legentium animum reprehendimus in præfata parte 1. atticulo 3. vt nunc opus non ſit pluribus. BI-TVR.

16. *Ille qui cognouerit carnaliter ſuam ſponſam ante matrimonium ſollenniZatum in Eccleſia Dei: ſic etiam ſponſa quæ conſentit.*

Iſte Caſus eſt quartus ſingularis huic Archiepiſcopatui. Differt enim à 22. Vienneſi.

17. *Qui manducauerit carnem diebus prohibitis ab Eccleſia ſine cauſa legitima, & ſine noſtra vel Vicariorum licentia.*

Conuenientiùs exponitur in 4. Toloſano.

18. *Clerici qui obtinent beneficia etiam minima, & non deferunt habitum & tonſuram clericalem: vel ille qui obtinuit beneficium, deſiderat & requirit promotionem ad ſacros ordines, nec promoueri curat.*

BI- Est quintus proprius huic Sedi.

TVR. 19. *Clerici qui obtinent beneficia, nec dicunt horas Canonicas.*

Est sextus peculiaris.

20. *Clerici qui habent beneficia Curata, vel quæ requirunt personalem residentiam, & non resident sine nostra excusatione.*

Est 7. peculiaris.

21. *Illi qui viuunt ex bonis Ecclesiæ, nec quotidie dicunt horas Beatæ Virginis Mariæ.*

Est octauus singularis Articulus.

22. *Ille qui commiserit offensam publicam, ex qua scandalum venit ad plurimos.*

Numeratur nonus. Casus peculiaris huic Archiepiscopo.

23. *Ille qui ligatus fuerit sententia maioris excommunicationis, vel qui cùm interdictus aut suspensus fuerit à diuinis, nihilominus celebrat Missam, vel administrat sancta sacramenta.*

Præsens articulus non est de ipsamet sententia circa censuras, de qua statuit Casus 8. Lugdunensis, 2. Senonensis & 28. Rothomagensis: sed est de ijs qui ordinem quencunque exercent in statu censuræ nondum sublatæ, saltem in foro exteriori. Tales autem qui ita administrant sacramenta & diuina faciunt, illico incurrunt irregularitatem vnà cum mortali peccato actionis præmaturæ nimiúmque acceleratæ, Nauarrus Cap. 27. numero 244. Igitur lethale istud peccatum quod irregularitatem procreauit, refer-

uatur D. Archiepiſcopo Bituricenſi, etſi communi iure non reſeruetur, ex his quæ dicta ſunt in ſecunda Præfatione ſecundæ partis generalis & vtraque Appendice Caſuum communium huius tertiæ partis. Ipſa verò irregularitas eſt ſeorſum à ſummo Pontifice obliteranda, ſiue poſt deletam culpam, quando pœnitens vult tantum ſuſcipere Euchariſtiam: ſiue antè, quoties volet etiam in ſacris celebrare aut miniſtrare. Sicque quamuis ea irregularitas & id peccatum ſimul oboriantur, tamen ſeparari poſſunt cùm vnum tolli poſſit abſque altero. RO-THO.

24 *Ille qui notoriè eſt concubinarius clericus aut laicus, & qui fouet in domo vel extra turpitudinem ſuam.*

Optimè complectitur vtrunque membrum, ſimul, cum vnum ſolum habeat Caſus 5. Lugdunenſis, & alterum articulus 12. Rhemenſis.

25. *Qui, vel quæ in matrimonij vinculo committit adulterium.*

Similis eſt Caſui 11. Pariſienſi. At illic adhibetur qualitas notorij. Cùm autem nulla hic connotetur, videtur iſte Caſus etiam concipi de occulto adulterio.

26. *Ille qui eſt beneficiatus in Eccleſia Cathedrali vel in Collegiatis, & ſacram communionem non acceperit diebus ſolennibus Paſchæ, Pentecoſtes, ſancti ſacramenti, Aſſumptionis beatæ Mariæ, omnium ſanctorum, Natiuitatis*

BI- *Domini, & die Patroni Ecclesiæ: sicuti ille qui est*
TVR. *sacerdos & non celebrat Missam in illis diebus solennibus, sine excusatione legitima à nobis approbata.*

Vltimus hic articulus est 10. proprius huic Diœcesi.

Hi sunt XXVI. Casus Bituricenses: quibus reliqui communes sunt adijciendi, nimirum primo loco incendiarij reliquarum rerum ex I. communi, quæ quidem non continentur in 6. Casu huiusce Diœcesis. Deinde falsarij literarum præter ea quæ circa Casum 12. dicta sunt ex 3. communi. Tum 4. communis de violatoribus ecclesiasticæ libertatis eiúsque membris. Et postremò cæteræ partes quinti communis non deductæ in 13. Appositis quoque cæteris ex secunda parte in apice. Horum verò Casuum exemplar ad nos miserunt * & suo calculo comprobarunt Domini Generales duo Vicarij atque pœnitentiarius Theologus, Canonici Ecclesiæ metropolitanæ Bituricensis. Qui simul testantur hosce Casus esse reseruatos domino Bituricensi Archiepiscopo, eósque fideliter à se excerptos ex libello Constitutionum Synodalium Reuerendi Archiepiscopi Bituricensis: quem librum typis excudebat apud Biturigas Petrus Boucher anno 1574. Singuli verò eâdem qua accepimus seriè hîc ordinantur, &

* *Die 13. Ianuar. 1599.*

deinceps sequentes tabellæ suo pariter ordine statuuntur. Habentur præterea XXII. Casus huiusce Diœcesis deprompti ex antiquis Missalibus Ecclesiarum sancti Vrsini sanctæ Capellæ Bituricensium, & alibi in eodem Archiepiscopatu quondam impressi vsúque triti: quos similes passim cum Lugdunensibus ad me priùs miserant superiores illi DD. selecti: sed postmodum præfatos XXVI. velut recentiores ac tutiores mitti & à nobis edi peroptarunt. Verùm, plura supersunt dicenda de hisce Casibus Diœcesis Bituricensis. Quippe, videntur esse non Diœcesani solùm, sed etiam prouinciales seu communes toti prouinciæ ac Coepiscopis à præfata Sede Archiepiscopali pendentibus maximè verò ab anno 1584. quo tempore, mense Septembri, coactum est Concilium prouinciale Biturigibus, in quo aderant omnes Reuerendissimi Suffraganei eorúmue procuratores nimirum Episcopus Sancti Flori, Episcopus Baro & Comes Cadurcensis † Episcopus Lemouicensis, Procuratores Capituli Cathedralis seu Episcopatus Claromontensis tunc vacantis, Episcopus Castrensis, Episcopus Tutellensis, Episcopus Albiensis, Episcopus Mimatensis, Episcopus Vabrensis, & Episcopus Auiciensis, qui absens literis pollicitus est se omnia probaturum ac in Diœcesi obseruatũ, quæ

BITVR.

Præfatos Casus Bituriorẽses esse prouinciales.

† Alijs Condomiensis & Casumcensis Cahors. Additur & Episcopus Petragoricẽsis eò spectans, Perigour, vel Perigueux.

BITVR. in Synodo decernerentur. Attamen vt accepimus contendit se esse exemptum, nec alicui Archiepiscopo subiectum.

1. ratio. currunt prouinciales. Causæ autem communitatis horum Casuum, hæ sunt ferè. Primò, multa eaque præclara tractat Concilium, in Metropoli ciuitate Bituricensi; de Pœnitentiariorum munere in quibusque Diœcesibus constitutorum aut instituendorum. Sic enim edisserit Canon VI. cum sequentibus in titulo XXI. *De Pænitentia & eius partibus*. in hæc verba.

4. Decreta prouincialia. *Pro Pænitentia iniungenda* (inquit) *& absolutione à Casibus reseruatis, prouideant Episcopi, vt Pænitentiarij in Cathedralibus Ecclesiis instituantur, à quibus fideles absolutionis munus omni tempore consequi valeant, necnon in vrbibus Diœceseos, vbi numerosior erit populus, potestatem laxandorum eiusmodi Casuum viris eruditis committant, præsertim tempore Aduentus Domini & Quadragesimæ, ne fideles tanto beneficio propter nimiam loci distantiam priuentur.*

Ex quibus confirmatur quod diximus superius parte I. Animaduers. 3. de subdelegatis per vices à Pœnitentiario Parochis aut prudentibus alijs Sacerdotibus in remotioribus locis. Deinde, sic pergit Synodus sancire Canone VII.

Si Pænitentiarij Canonici fuerint dum munere suo funguntur, pro præsentibus in Choro habeantur. Tum Canone IIX.

A grauioribus criminibus, & Episcopo reseruatis, non liceat Sacerdotibus cuiuscunque ordinis, gradus aut congregationis existant, absoluere: sed ad Episcopos Pœnitentes remittant, aut ad eorum Pœnitentiarios, ut pro grauitate criminum aut Pœnitentiam imponant, aut relaxationem concedant. BITVR.

Præterea Canone IX.

Sacerdotes Canones Pœnitentiales discant, ut modũ & rationẽ pœnitentiæ iniungendæ melius intelligãt.

Hi verò Canones, quos Pœnitentiales vocat S. Antoninus, sunt XLVI. numero parte 3. tit. 17. [a] Et quondam imponebantur Pœnitentiæ septennes, aut ad decem annos per interposita & quasi intercalata ieiunia in sacro: per censuras, depositiones, seu inclusiones in monasteria, vel aliter. Exempla illic extant de presbyteris fornicatoribus, de peccatis cõtra naturam, violatoribus voti simplicis, accusantibus iniustè ad mortem; de cognoscentibus consanguineos, vel Monialem & filiam spiritualem: de homicidijs, parricidis, periuris habentibus falsas mensuras, de sacrilegis violando Ecclesiam vel chrisma &c. de parentibus frangentibus sponsalia filiorum, de ducentibus in matrimonium pollutas à se, de blasphemis, de Episcopis dissimulantibus circa correctionem simoniæ, de sortilegis, de sanguine Christi per negligentiã stillãte super terram, de ebrijs euomentibus eucharistiã, de Clericidis, de succẽdentibus domos, de communicantibus cum hæreticis, de patronis di-

[a] Cap. 21. §. 5.

BI- lapidantibus res Ecclesiæ, de iurantibus non
TVR. facere pacem cum proximo, de adulteris, & de rebaptizatis scienter. Istæ autem veteres formulæ pœnitentiæ, quæ sæpe nihilominus secretò applicabantur, quásque hîc adumbrasse sufficit, ampliùs hodie non obseruantur, vt etiam agnoscit S. Antoninus: sed sunt arbitrariæ, & ad iudicis seu Cõfessarij arbitrium eas imponere licet, ex 26. quæst. 7. Tempora & de Pœnit. distinc. 1. Mensuram

b Cauʃ. 33. qu. 3. [b] Quam ideo arbitrariæ pœnitentiæ sententiam approbat generalis consuetudo, tum perpenso charitatis feruore in pœnitente, tum vt Christiani faciliùs retineantur. Veruntamen, idem D. Antoninus & præsens Concilium Prouinciale disertè monent Sacerdotes, atque testantur eos teneri nosse præfatos canones in speciali: vt circa eorum dispensationem cautiùs se gerant, quàm circa alia peccata in confessionibus. At certè addimus nos, quòd in primis scire debent Articulos omnes Casuum reseruatorum tum communium & censuris immixtorum, quales seriatim describimus in hoc opere; tum particularium hoc est suarum Diœceseũ vel his deficientibus suorũ Archiepiscoporum: Quæ notitia adhuc magis vrget, & planè necessaria est. Alioqui, vix in ijs nomẽ Sacerdotis constabit, ex 36. dist. Cap. Quæ ipsis, & vt piè quoq; annottat D. Antoninus quia (ex S. Augustino) *Valde periculosæ sunt euãgelicæ minæ qui-*

bus dicitur, si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt BITVR. Math. 15.

Ad extremum verò Canon xv. præfati Concilij ac tituli Bituricensis. 4. Decretum.

Confeßionibus præpositi, dubitantes de Casuum grauitate aut differentia consulant Episcopos, aut eorum Pœnitentiarios, aut viros ea in re versatos, non expreßis pœnitentium nominibus: absolutionis formam probè teneant, nec in ea articulatè & distinctè proferenda hæsitent. 2. ratio.

Hæc hactenus de illius Synodi Canonibus, Altera ratio, qua hi Casus docentur esse prouinciales (& veriùs quàm Rothomagenses) est quòd cùm Concilium tam disertè loquatur de Pœnitentiariorum officio, nec declaret certos Casus, videtur sanè de Bituricensibus Casibus sermonem instituere, tanquam communibus alijs Episcopis: maximè quia anteriore tantùm decennio fuerant editi [c], vt liquet ex superioribus dictis: adeóque recentissima erat memoria, & eò exactior vsus in vrbe metropoli: dum Rothomagenses integro vno seculo & amplius antecesserunt. Vltima ratio est, quòd Xixtus Papa v. confirmauit Acta Concilij, & eam exactiorem Pœnitentiariorum institutionem, de qua modo egimus. Patet breue Apostolicum illic commemoratum, & datum Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die 5. mensis Octobris an. 1585. & sui Pontificatus anno primo.

c an. 1574.

3. ratio.

ROTHO. Quia tamen illa Casuum communitas expresso textu in ea Synodo non continetur: possunt singuli Episcopi articulos aliquot suæ Diœcesi consentaneos immutare, & maximè plura addere. Veruntamen quod eorum pace dictum sit, optime facere videbuntur, si se ad præfatos articulos accommodent, eosque omnibus suis Sacerdotibus notos faciant & præscribant. Quòd si peculiares habeant Casus, aut assumant in posterum: nihilominus hæc breuis Casuum Bituricensium explicatio, multis etiam extra prouinciam prodesse poterit. At certè alia supersunt quæ aut vim superiorum adaugent, aut saltem necessarium & perutilem statum aliquorum Casuum totius prouinciæ aperiunt ac interpretantur. Siquidem ipsum prouinciale Concilium plures Casus apertè condidit, quos certum est comprouincialibus Episcopis necessario esse communissimos, quia tanquam præsentes Decretis Concilij subscripsêre, eáque in suis Diœcesibus retinere polliciti sunt. Vnus Casus est circa traditiones: de quibus ita loquuntur tres Canones, vt nihilominus vnicum Casum seu Articulum ex rei natura efficiant propter materiæ contentæ similitudinem qui quidem Casus istic erit vicesimus octauus, quia vigesimum septimum suprà adddidimus ex toto 4. excommuni omnibus Christianis; vt pote qui illinc aberat.

aberat. Canones ergo de traditionibus, quibus Casus 28. conficitur, habentur tit. 17. *De traditionibus.* Canone 1. his verbis. PARIS. 28. cum reseruat.

Si quis uniuersam doctrinam Ecclesiasticam ad expressum contextum scripturæ †, nihilque, nisi quod in ea contineatur, pro vero tenendum, & traditiones Ecclesiæ quasi inuenta humana respuendas esse dixerit, anathema sit. Canon. 2. † adstrinxerit.

Quisquis negat traditionem esse duplicem, scriptam scilicet & non scriptam, anathemate feriatur. Canon. 3.

Traditiones omnes Diœcesanæ, laudabili & antiqua consuetudine comprobatæ, seruentur.

Hîc patet excommunicatio ipso iure inflicta tum ijs qui aliunde hæresim profitentur, tum alijs qui in hoc vno articulo aberrãt fortassis à fide, aut saltem à communi consensu in re magni momenti, dum traditiones Ecclesiarum inficiantur. Hæcque excommunicatio est maior: & videtur recentissimus Casus, ex potiori sensu præsentis articuli. Nam etsi quondam Nicenum Concilium [d] simillimum anathema iuris protulerit in negantes traditionem Ecclesiæ valentem consuetudine: tamen isti duo Canones non censentur eodem planè ambitu cingi, & vnico sensu accipiendi. Res innotescet, si paucis traditionum distributionem enumeremus. Traditio vocatur doctrina non scripta à primo eius authore, licèt postea conscribatur. Traditionum verò aliæ sunt diuinæ, vt formæ sacra- d *Actio 7. To. 4.* *Traditio quid.*

BITVR. mentorum: Apoſtolicæ aliæ, vt ieiunium quadrageſimale ex inſtinctu Spiritusſancti manans: aliæ etiam Eccleſiaſticæ, quales habentur veteres conſuetudines à Prælatis inchoatæ, quæ paulatim tacito & communi conſenſu vim legis obtinuerunt. Diuinæ pari modo obligant quo præcepta diuina in ſacris Biblijs conſignata: Apoſtolicæ non ſcriptæ eodem robore muniuntur, quo traditiones ſcriptæ eorumdem Apoſtolorum, teſte in exemplum Decreto eorundem Apoſtolorum, Actorum cap. 15. Et tertiò traditiones Eccleſiaſticæ eandem habent firmitatem quam Decreta & conſtitutiones Eccleſiæ. Quæ prima diuiſio eſt penes traditionum authores. Altera ſectio, quæ penes materiam eſt, complectitur traditiones tum de fide, tum de moribus: eáſque vel temporarias vt legalia Moſis, vel perennes cuiuſmodi ſunt euangelicæ. Quæ præterea ſunt vel vniuerſales & communes toti Eccleſiæ militanti, vel particulares vni duntaxat aut vicinis alijs Eccleſijs ſeu Diœceſibus: & harum aliæ dicuntur neceſſariæ, ſi ſub præcepti forma tradantur; aliæ liberæ ſi ſub forma conſilij. Hinc, Canon Nicenus creditur comprehendere ſolas traditiones diuinas, Apoſtolicas, de fide, vniuerſales & neceſſarias, tanquam potiores nóſque ſemper ex æquo deuincientes: vtpote qui regulam toti Eccleſiæ præſcribũt in generali Con-

Bellarm. Tom. 1. Contro. lib. 4. c. 2. & 6.

cilio quale fuit Nicenum. At verò Canon Biturice̅nsis primo fertur in traditiones Ecclesiasticas particulares, perpetuas & morales necessarias tamen, ne addam fortassis & liberas: quanquam superiores quoque traditiones easque præstantiores includat. Agit enim potissimùm de consuetis Diœceseum moribus antiquis, & pijs, quandoquidem tota intentio Synodi prouincialis ad Cleri Diœcesani & subditorum laïcorum reformationem fertur. Sermonem verò instituit de quibuscunque legitimarum consuetudinum speciebus & exemplis. Lex igitur Bituricẽsis est prima quæ excommunicationem inducit in eos qui ex malitia irrident & negant optimas traditiones particulares ac morales. Huiusce autem anathematis absolutio intelligitur esse Episcopalis, duplici de causa. Prior est quia est lex recens & præsertim posito quòd comprouinciales suffragatores eorúmne successores malint credere omnem excommunicationem iuris esse Episcopalis absolutionis, & nusquam parochialis, iuxta antiquorum Episcoporum atque Doctorum sentẽtiam, quam in priorem præfationem 2. partis coniecimus: vt pote cui opinioni hodie in Gallia assentiuntur quoq; conditores Casuum Senonensium & Rothomagensium ex articulis 2. & 28. Quanquam nos in præfata 2. parte oppositum censuerimus: siquidem nõ particularium Episcoporum, sed vniuersalis Ecclesiæ

BITVR.

De reseruatione Articuli 28. & sequentiũ similiũ.

PARIS. Canones & Casus illic exponimus, nec iugum asperius imponere debuimus sine expresso plurium textu: cum sit satius pœnas adeò communes cum vetustiorum sententijs restringere, & earum dilatationem singulis, si volent, Episcopis relinquere. Quare, præfati vndecim Antistites cum D. Archiepiscopo aut Patriarcha suam mentem Sacerdotibus declarabũt pro temporum, locorum & personarum ratione. Quinimò addimus, quod etsi nolint hanc excommunicationem reseruari: tamen si à Clerico incurratur, qui postea ordines exerceat nulla præuia pastoris absolutione, irregularitatem sibi asciscit, necessariò ab Episcopo summouendam. Posterior ratio est, quia quãdo Concilium Tridentinum * institutionem Pœnitẽtiariorum commendat cum reseruationum Episcopalium restitutione, dicit primùm.

Secundo.

* *Seß 14 cap. 7.*

Meritò Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia vniuersa tradita, causas aliquas criminum grauiores suo potuerunt peculiari iudicio reseruare.

Deinde ad propositum addit.

Quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi, in ædificationem tamen non in destructionem, liceat pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes authoritate, præsertim quoad illa quibus excommunicationis censura annexa est.

Vbi monet reseruationem præcipuè atten-

dendam esse circa excommunicationes aut Casus quibus anathema iuris subnectitur, quando Archiepiscopi vel Episcopi in suis Synodalibus statutis legem de nouo edunt, qua de facto crimen aliquod censuris subijciunt: quo de Statuto iam cum antiquioribus loquitur Articulus 3. partis 2. gener. Sic itaque ea Episcopalia statuta in genere conscripta, quæ circa censuras promulgata sunt post Concilij Tridentini celebrationem, videntur fortè intelligi omnia reseruata, nisi ipsum statutum rem expressè relaxet Parochis: tametsi fatemur hanc quoque rationem non esse necessariam. At verò non videtur idem apposité dicendum de antiquioribus statutis quæ Tridentinum præcesserunt, quæque de censurarum Statutis verba faciunt. Quippe probabilius est quòd remaneat in eo statu quem ei præscribit maior pars veterum Doctorum. Talia autem sunt quadraginta Articuli maioris excommunicationis secundæ partis generalis, quos nulli reseruamus, iuxta communiorem sententiam antiquorum, nimirum S. Thomæ, Syluestri & aliorum in citata Præfatione enumeratorum, etiámque Nauarri qui post sacrosanctum Concilium scripsit. Hæc probationum momenta inseruiunt quoque similibus sequentium prouincialium Tabellarum Articulis, qui huc referentur suis locis. Iam verò alius Casus B I-TVR.

BITVR. cunctis comprouincialibus ſuperadditus, ſtatuitur in præfata Synodo Bituricenſi tit. 27. De matrimonio. Canone 11. hac verborum formula ſeorſum idcirco locanda.

29. cum probabili reſeruat. *Omnes cuiuſcunque ordinis, gradus, dignitatis, & conditionis, qui nupturis vim intulerint, aut matrimoniorum libertatem impedierint, ſe authoritate Eccleſiæ excommunicatos eſſe nouerint.*

Iſte Caſus ſeu Articulus 29. Eſt verò recens & hoc loco peculiaris, tum quoad excommunicationem ipſo iure latam in hac prouincia, tum etiam quoad reſeruationem valde probabilem. Etenim quod ad primum ſeu ad cenſuram attinet, ideo articulus eſt recens, quia non commemoratur inter duodecim Canones recentioris Concilij Tridentini, qui anathemate feriunt huius ſacramenti matrimonij aduerſarios Seſſione 24. Siquidem Tridentini Canones ſolummodò decernunt anathema in proferentes varia hæreſeum capita aduerſus ipſiuſmet matrimonij ſanctitatem & veritatem: quod ſanè magis intrinſecè ad rem & naturam illius ſacramenti pertinet. At verò iſtic fertur lex aduerſus eos qui ab extrinſeco licitos futurorum coniugiorum contractus præpediunt, aut è diametro ſumma vi accelerant. Non tamen proinde ſunt hæretici, qui ipſo facto duntaxat excommunicantur: credunt enim fide Chriſtiana atque Catholica ea omnia quæ

integritatem ſpectant. Quod ad alterum propoſitum caput attinet, nimirum ad eiuſdem Caſus reſeruationem; ſanè idem de illius ſenſu eſt iudicandum, quod in ſuperiori Articulo diximus, tum ratione irregularitatis inflictæ clericis contra nitentibus, & deinde ſacra facientibus, quæ irregularitas ſemper cum illa ſua cenſura reſeruatur, tum etiam ratione laïcorum matrimonia ſic impedientium, de quibus poteſt eſſe aliqua controuerſia circa eandem cenſuram velut, ancipitem, propter duas ibidem allatas doctorum ſententias. Sed ſatis de hac materia. BITVR.

Nunc verò circa duos eiuſmodi Caſus prouinciales hactenus allatos, aliud inſuper addi poſſe videtur, ex quorundam ſententia: ſcilicet quòd hic vtérque Canon ſeu Aquitanicæ Galliæ Articulus obligat non ſolum comprouinciales, verùm etiam reliquos orbis Chriſtianos: ex eo quod ipſa Decreta Romam miſſa ſunt, quibus perlectis & examinatis cum breuiſſima emendatione à deputatis Illuſtriſſimis Cardinalibus, acceſſit Pontificia approbatio, quæ vim vniuerſalem hiſce Decretis cenſetur tribuere, ſi talis præſertim eius mens fuerit, cùm Romanus Pontifex ſit vniuerſale caput Eccleſiæ. *Alia inueſtigatio.*

BITVR. Sic nonnulli Theologi de hac & ſimili re probabili hodie argumento loquuntur. Sed tamen, nos dubiam fidem huius probationis, tanquam litem ſub iudice adhuc pendentem pluribus non inueſtigamus.

De Galliarum diuiſione. Interea vocati fuêre ad hoc prouinciale Concilium *Domini Reuerendiſsimi Archiepiſcopi Burdegalenſis, Narbonenſis, Auxitanus & Toloſanus, tanquam huic Primatiæ ſubditi: qui non adfuerunt.*

Vt habet extremus Index Concilij ad calcem. Qua in re, non eſt noſtrum inquirere de vetuſtis horum Archipræſulum iuribus: ſed tamen licèt Burdigala & Occitani cenſeantur eſſe regiones verè pertinentes ad priſcos Aquitaniæ limites: ſaltem Toloſa præter Narbonam, in antiqua Galliarum diſtributione, videtur tutiùs eſſe pars Galliæ Braccatæ ſeu Narbonenſis, quæ ab omni penè æuo diſtinctam portionem effecit. Et verè maior pars Toloſanæ ciuitatis ad Galliam Narbonenſem & orientem vergit in ſui fluminis & limitum traiectione. Eóque quondam referebantur Vaſcones, Volcæ, & [e] Vocontij, nunc Gaſcones, quorum Metropolis eſt Toloſa: & prouinciæ Narbonenſis incolæ priſcis appellati ſunt Arecomij, [f] atq; etiam Volcæ promiſcuo ferè nomine. Hinc etiam nos in præſenti Caſuũ Frãciæ deſcriptione, lubétiùs veterẽ diuiſionẽ ſequuti ſumus, tum propter eius præſtãtiam &

[e] Plin. lib. 3. ca 4. Pompon. li. 2. Ptolom. lib. 2 & 3. ca. 10.

[f] Strabo lib. 4. Languedoc.

BITVR.

maximè vsu tritam, tum præsertim vt sic facillimè effugeremus multorum dissentiones, vel iurgia quædam dissipari solita inter varios Galliarum Primates, qui de collocandis suarum Sedium ordinibus sine litis exitu disceptant. Concluditur ergo Tolosanos Casus à nobis inferiùs constitui debuisse sub Galliæ Narbonensis nomine. Missa autem facimus priuilegia & plenissima iura ac rationes nobis ignotas, quare Clerus Burdegalensis & Occitanus, omnes Aquitanici, ad præfatum Concilium non conuenerint.

Cæterum, liber Synodi editus est Lutetiæ à Federico Morello Regio Typographo: & inscribitur *Decreta Concilij Patriarchalis Prouinciæ Aquitanicæ Biturigibus celebratæ &c.* In cuius limine & epistolis, dum Reuerédissimus Archipræsul se inscribit Patriarcham & Archiepiscopum Bituricensem, Aquitaniæ Primatem: vnum videtur monitu non indignum quod antiquissimi Canones aduertunt. Capite *Prouinciæ.* Distinc. 99. ait Anacletus Papa; Primates & Patriarchas esse diuersorum nominum, sed eiusdem officij cùm vnam formam teneant: ad eos enim confugiunt Episcopi, & ad ipsos non ad seculares Principes appellant, si necesse sit in causis Ecclesiasticis. Et cap. *Nulli.* ibidem prohibet Anicetus Pontifex Archiepiscopos vocari Patriarchas. Sed cap. *Cleros.* Distinc. 21. decernitur cum B. Isidoro [g] & Glossa, Patriarchas propriè esse

Quid Patriarcha, Primas, & Metropolitanus.

g lib. 7. Etymol. cap. 12.

BITVR. quinque, Romanum, Cōſtantinopolitanum, Alexandrinum, Hieroſolimitanum & Antiochenum. Deinde Archiepiſcopos diſtinguit à Metropolitanis, eóſque iſtis præfert. Quo fit, vt Gloſſa ex mente Aniceti, Archiepiſcopos appellet Primates ſeu alios Patriarchas, ſcilicet vt cenſeat Primates propriè dicendos Archiepiſcopos. Atque in exemplum Primatum ſeu Patriarcharum quaſi minorū, affert Aquilegienſem, Cantuarienſem, Bituricenſem & Venetum (cuius generis eſt Lugdunenſis) adeóque nomen Primatis ſeu Patriarchæ minoris coniunctim non diuiſim illis in locis ſtatuitur. A quibus tamen lites inferiorum clericorum deuoluuntur ad Romanam ſupremámque Sedem, non verò ad præfatos quatuor Patriarchas velut ſuperiores & maiores huius nominis ac dignitatis. Metropolitani autem eo loco videntur propriè nuncupari ſoli & puri Archiepiſcopi qui non ſunt Primates: atque ij maximè qui ſub ſe obtinēt decem vel vndecim ciuitates, hoc eſt (ait Gloſſa) minores poteſtates ſeu Suffraganeos Epiſcopos, ex Pelagio Papa cap. *Scitote*. 6. qu. 3. quo ſanè ciuitatum & Diœceſeum numero hîc potitur Reuerend. Bituricenſis Archipræſul, ſuperioris Aquitaniæ Primas. Ad extremum tamen, pro duobus præfatis titulis & inſignibus eiuſdem Archipræſulis in concordiā reuocādis: dicerem ſcitè vtrunq; titulū ſtatui, dicitur enim Patriarcha Bituricenſis:

Cap. Antiqua de Priui leg. lib. 5. Decret. tit. 38.

Aquitania duplex.

Cōcordia ſuperiorū inſigniū Eccleſiaſticorum.

quia dignitas Patriarchatus vulgò cõnotatur & iungitur cũ metropoli ciuitate, quę est primaria Sedes alicuius ecclesiasticæ potestatis longiùs dispersæ. Sic enim Patriarcha Hierosolymitanus, vocatur talis, & non Iudeæ aut Palestinæ: paritérque Alexãdrinus, non Africæ aut Ægypti. At verò, nomen Primatis appositè cum regione & prouincia coniungitur, quæ vniuersum iurisdictionis ecclesiasticæ ambitum & amplitudinem denotat: vt Primas Galliarum, Aquitaniæ, & similium. BVRDIG.

TABELLA CASVVM Archiepiscopatus Burdigalensis, duplicis ordinis.

Tab. 7. Gallic.

ARTICVLI PROVINciales Suffraganeis R. R. Episcopis communes: pro priore ordine.

I. *QVicunque negligunt ablata restituere, aut legata ad pias causas soluere cum possunt; postquam id coram Parocho in priore sacramentali cũfessione promiserunt.*

Primus iste Casus non habetur quidem hisce planè verbis in prouinciali Concilio Burdigalensi. Verùm directa & immediata

BVR- DIG. conclusione ex ipsissimo eius textu elicitur, qui tit. 12. *De Pœnitentia*[a] §.4. sic habet.

a fa. 36. *Neminem Parochi absoluant eorum, qui cum præcedēte cōfessione se ablata restituturos, aut legata ad pias causas soluturos essent polliciti, cùm facultas adfuisset, neglexerint. Eos excipimus qui in mortis articulo fuerint constituti: qui tamen admonendi erunt, vt id oneris, si obierint, hæredibus imponant, vel si conualuerint quàm primùm poterunt satisfaciant.*

Qui sanè textus quia non induit veram & apertam formulam Casus: ideo clariùs, vt suprà, literam Synodi seiunctim reduximus ad formā genuini Casus aliorum. Quod Reuerendi Patres Burdigalensis prouinciæ nobis condonabunt, imò pergratum habebunt. Nam coacti sumus hunc ordinem sequi vt Articulus ac stylus clarior esset. Neque interim vel tantillum sententiam aut sensum immutamus. pro articuli autē expositione, tria notanda sunt. Imprimis hic Casus non nisi in secunda auriculari confessione reseruatur Episcopali Pœnitentiario, scilicet si ablatum reuera non sit adhuc restitutum: vt liquet ex vi textus. Nota verò reseruationis apud Episcopum eiusue Vicariū apparet in hisce verbis *Neminem Parochi absoluent eorum*, &c. quatenus suprà legimus sancisse ipsum Decretum Burdigalense, quo quidem absoluendi facultas est Curionibus adempta. Deinde, respectu piorum legatorum, differt præsens Casus ab Articulo 10. Bituricensi: quia ille est de

Notarijs conſcripta legata celantibus & recipientibus ex officio: iſte verò eſt de ipſis debitoribus ſeu hæredibus non ſoluentibus, quantumuis Tabelliones debitum reuelent. Sed quadrat in materia cum 11. Caſu, ibidem: diſcrepat ſolum ab eo in circunſtantijs. Nam 11. Bituricenſis abſolutè ſtatuitur, & in prima ſacramentali cõfeſſione reſeruatur, ideoque Parochus debet Biturigibus pœnitentem cõfeſtim ad Superiorem remittere: Hîc autem non è veſtigio, ex dictis. Tertiò, ratione cæterorum ablatorum reſtitutioni obnoxiorum æquatur prorſus Caſui vltimo Senonenſi: attamen hîc nulla ſummæ ſpecies deſtinatur. Cæterùm, promiſſio reſtitutionis faciendæ iſtic nõ includit cautionem quam decet præſtare ex artic. 25. Lugdunenſi, de vſuris: ſed ſolam vocalem atque ſecretam coram Confeſſario faciendam, quod ſatis denotat forma & natura prefati textus. Quaquidem facta reſtitutione tempore ſecundæ confeſſionis, tunc in ea poteſt Parochus eiúſue ſubſtitutus tales à culpa commiſſa tutò abſoluere. BVRDIG.

2. *Medici pœnam maioris excommunicationis expreſſam incurrunt, qui poſt duas viſitationes ad ſummum, tertiò & ampliùs pergunt accedere ad infirmorum curationem, quando ſciunt ægrotum à tẽpore morbi peccata non fuiſſe confeſſum Sacerdoti.* *Veriùs ſinere-ſeruat.*

Hic textus directiſſimè infertur ex præfato tit. 12. Synodi §. 5. hac periodo.

Medici poſt vnam aut alteram viſitationem, ſub

BVR- DIG. *mores prouocauit, suæ emendationis testimonio ad rectam reuocet viam. Episcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus, in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis expedire iudicauerit.*

Illic reseruatio optimè petitur ex illis verbis, Episcopus tamen &c. Vbi crimen notorium in secretam pœnitentiam commutari non potest à Parocho, sed à solo Episcopo: prouidéque nec Parochialialis Confessarius tales absoluere potest in foro conscientiæ, sine Episcopi licentia. Culpam autem huiusce publici peccati, quæ reseruatur, trifariam cõcipere decet. Primò, vel publicum peccatum subijcitur censuræ Romano Pontifici reseruatæ, ex articulis contentis in tota 1. parte generali: & tunc sublata excommunicatione à Papa, remanet adhuc culpa in hoc Archiepiscopatu reseruata Episcopis Suffraganeis, quæ alioqui nec alicui reseruatur iure communi, nec ita solitariè spectata, sicuti monuimus Animaduersione 3. ipsius partis 1. ídque præsertim locum habet, si culpa scandalum inducat, quia citra scandalum non videtur pœna adeo facilè extendenda supra textum & literam. Secundò, generalis textus ita latè patet, vt denuo complectatur publicas culpas annexas quadraginta articulis excommunicationum nulli reseruatarum parte 2. quæ quidem per hanc particularem Episcoporum legem reseruantur etsi hoc ius absoluendi non auferatur à Parochis in alijs passim Diœcesibus.

Hæc culpa triplex.

tesibus. Accedit quod culpa cẽsuris immixta reseruari non potest, quin secũ defer t ipsã m censuram: itaque hîc etiam intelliguntur illæ excommunicationes 40. vnà reseruatæ, præsertim accedente graui scandalo, à quibus tamen censuris absoluunt alibi Parochiales Sacerdotes. Non enim culpa priùs tolli potest quàm censura, sed bene è contra: & absurdũ esset culpam reseruari, non autem coniunctã censurã. Sicque ex vi præfati textus, tertius hic articulus, si præcisè spectetur, implicitè æquatur Casui 2. Senonensi, 29. Rothom. & 1. Ebredunensi. Viderint tamen R.R. Patres cõprouinciales, an istam interpretationẽ, quam ex suscepto officio tradidimus approbarẽ voluerint: quia forsan putaretur difficilior paulò obseruatu: & propterea possent aliqualiter immutare sensum huius prouincialis Decreti, si quandoque opus videatur iuxta singulares rerum circunstantias. Tertiò, præfatus textus isq; latissimus, facile ambit omne peccatum cum scandalo publico, etiam nullius censuræ particeps, neque communis reseruationis. Id verò peccatum est facillimum reseruatu per prouincialem hanc legem. Et ratio est quia iam Summularijs visum est ferè reseruatum iure communi, teste Nauarro cap. 27. nu. 262. & Syluestro verb. *Casus*. ad 3. qui in exẽplum notatu dignum adducit blasphemiam: de qua nos speciatim in alijs passim Tabellis. Idque sanè verum est. At quia hodie

BVRDIG.

Scandalum circa peccata.

BVR-DIG.

consuetudo publicæ pœnitentiæ exoleuit; opinantur DD. illi sub inde Casum non esse in vsu. Verùm certè hæc illatio ex eiusmodi antecedente creditur fallax. Nam, licèt hæc publica pœnitentia versa sit in priuatam, attamē circunstantia scandalosi peccati poterat in cōmuni reseruari, aut superesse reseruata & talis, scilicet quoad priuatam seu secretam culpæ absolutionem in foro interno. Et profectò hæc fuisse videtur mens capitis vlt. caus. 26. quæst. 6. hisce verbis non obscuris.

Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absente Episcopo vltima necessitas cogat pœnitentis verò publicum & vulgatissimum crimen est, quod vniuersam commouerit Ecclesiam.

Sed esto; cessante & sublata publica impositione pœnitentiæ in foro externo & pro publico crimine, tollatur etiā cōmunis reseruatio in secreta impositione seu absolutione, vt neque etiam hunc Casum cōmemoramus inter communes [e]: saltem multò faciliùs est singulis Episcopis iure priuato hoc crimen notorium idque multiplex sibi reseruare in foro secretiori. Cuius rei veritas atque probatio patet ex eo quòd contrahitur irregularitas ex illo notorio & enormi crimine, quasi digno depositione, de quo Nauar. cap. 27. num. 248. quandoquidem ipsius irregularitatis extinctio communi iure reseruatur Episcopis cum illo distinctionum pondere, quod expressimus Articulo 5. partis 2. generalis, &

e suprà initio 3. Tab. generalis.

Artic.30, Rothomagensi. Quid verò præcisè sit discriminis inter delictum publicum, manifestum & famosum (etsi sæpe confundantur) vide Nauarrum cap.21. num.55. & latiùs cit. cap.27. nu.255. tum quid notorium, habes in parte 1. gener. Admonit. priore. Liquet ergo æquitas huiusce Casus: cum quo vix quadrat Articulus 17. Rothomagensis strictior isto: quia veriùs est de sola reseruata pœnitētia quæ reuera publicè iniuncta est, non quæ in secretam vertatur. Itaque tertius hic Articulus est secundus peculiaris isti prouinciæ. Sequitur quartus. BVRDIG. *Delictū famosū.*

4. *Sub excommunicationis pœna inhibetur Sacerdotibus inferioribus Episcopo: ne citra potestatem antea obtinendam, absoluāt à Casibus reseruatis tam Episcopo quàm Papæ extra Bullam Cœnæ Domini, præterquàm à contentis in ipsa Bulla.*

Confirmatur iste articulus quartus ex præfato prouincialis Synodi titulo §.8.& vltimo, Vbi hæc leguntur.

Cùm iudicij natura & ratio postulet, vt in subditos duntaxat feratur sententia: ex eo fit, vt nullius momenti sit absolutio quam Sacerdos profert in eum, in quem nec ordinariam, nec delegatam habet iurisdictionem. &c. Sunt tamen nonnulli Sacerdotes, qui terminis suis non contenti, passim & sine discrimine ab omnibus peccatis, quantumuis atrocibus delinquētes cum maximo sua & illorum salutis periculo, absoluere præsumunt. Nos huic occurrere malo cupientes; sub excommunicationis pœna inhibemus, ne dein-

BVR- DIG. *ceps à peccatis & criminibus atrocioribus, quorum cognitionem & absolutionem sibi summus Pontifex aut Episcopi in suis Synodalibus Constitutionibus reseruarunt, quenquam absoluere audeant, sed huiusmodi criminum reos ad Episcopos suos amandent, vt vel ipsi causa cognita, eos absoluant, vel ad summum Pontificem absoluendos mittant: declarantes absolutionem in prædictis criminibus absque certa sanctissimi D.N. Papæ vel propriorum Episcoporum concessione, prætérque in mortis articulo datam, viribus penitus carere.*

Illic sanè Concilium Sacerdotes ipso facto excommunicatos denunciat, qui vt cunque scienter absoluunt aliquem à quibuscunque Casibus reseruatis tum suo Episcopo, tũ Romano Pontifici. Et quod attinet ad reseruatos eidem vni Pontifici: non tantùm excommunicat illos qui absoluunt à Casibus contentis in Bulla Cœnæ Domini, de quibus iam excommunicatis antiquo iure habet articulus 32. partis 2. gener. nemini reseruatus & vniuersæ Ecclesiæ communissimus; verùm etiam comprehendit reliquos omnes qui extra præfatam Bullam reseruantur ipsi Papæ, & alios quos sibi rètinent Episcopi. Quo fit vt iste Articulus sit tertius peculiaris hisce Diœcesibus Aquitaniæ: propter eáque meritò hîc seorsum reponitur sub allata formula. In qua nihilominus concipi debet maior excommunicatio à iure (non ab homine solùm) quam modo vidimus in Articulo 2.

Ipſa autem excommunicatio iuris cenſetur fortaſſis comprouincialibus Epiſcopis reſeruata, propter cauſas allatas in Tabella Bituricenſi Articulo 28. probabili tamen argumento duntaxat. Quòd ſi quis malit opinari eandem cenſuram non eſſe reſeruatam, ſicuti neque in illo Articulo 32. partis 2. nihilominus debuit à nobis hîc in memoriam reuocari, quemadmodum & cæteræ nouæ prouinciales cenſuræ ſuis quæque locis antea afferri debuerunt: quia nimirum eſt recens lex eccleſiaſtica prouincialis, digna quam feriò Sacerdotes comprouinciales aduertant. Itaque ſic tandem concludit titulus ad totius negotij commendationem. BVRDIG.

Omnibus autem Coëpiſcopis noſtris indicimus, vt Caſus ſibi reſeruatos quàm primùm publicari, & ſcriptos ab omnibus haberi curent.

Hîc omittimus quæ dicuntur de legentibus libros hæretiquos quatenus excommunicantur, ex tit. 7. De magicis artibus [f]. §. 6. Nam hæc vetus lex dudum repoſita eſt in parte 1. Artic. 3. tanquam vniuerſalis in tota Eccleſia. Porro, in tit. 15. De ſacramento matrimonij [g], iubetur quidem obſeruandos eſſe omnes gradus cognationis tum carnalis, tum ſpiritualis: at præuaricantium peccata non reſeruantur, veluti in articulis 19. Lugdunenſi, 12. Senonenſi & 9. Pariſienſi.

f pag. 22.

g pa. 56. & 57.

Cæterùm, in iſta prouinciali Synodo, quæ coarcta eſt vt ex præſcripto œcumenici Con-

BVR-DIG. cilij Tridentini ecclesiastica disciplina reformaretur, interfuêre Suffraganei Episcopi RR. Agenensis, Engolismensis. Pictauiensis, Sanctonensis Sainctes, atque Sarlatensis. Adduntur tamen sub illo Archiepiscopatu Mallacensis Episcopatus Mallezais, atque Lucionensis Luison de nouo creati & ex Pictauiési compositi ac decerpti sub Francisco 1. Rege. Reuerendus autem Archipræsul se inscribit Primatem Aquitaniæ. At ne hæc dignitas cũ D. Archipræsule Bituricensi confundi putetur aut mutua suboriatur controuersia: iste videtur propriè Primas Aquitanię inferioris, vtpote quæ vergit ad descensum Oceani, quæque peculiari nomine Guinea nuncupatur, & in Coepiscoporum latitudine minor breuiorque est, quàm Bituricensis * prouincia quæ sit Aquitania superior. Eidem vero Synodo, è qua eruti sunt hi quatuor Casus prouinciales, titulus est eiusmodi: *Decreta Cõcilij Prouincialis Burdigalæ habiti, sub Reuerendiss. D. Antonio Preuotio Sansaco, Archiepiscopo Burdigalensi, Aquitaniæ Primate.* In Epistola autem legitur ipsam Synodum celebratam esse post diem festum omnium Sanctorũ, anno 1582. & librum Burdigalę excudebat Simo Millangius Typographus Regius, anno 1583. Hæc de Casibus prouincialibus.

* *ibid. ad calcem.*

Aquitania duplex.

Sequuntur pauca dicenda circa Episcopales Casus non obtentos, quos Articuli prouinciales ideo præcesserunt, quia Volumen

cōparauimus, atque materiam descripsimus, antequam ad nos peruenire potuerunt Casus Diœcesis Burdigalensis : imò vniuersum opus ad prælum ferè properabat; & quia etiam hîc ordo cēsetur eximius. Æquum enim visum est vt præirent prouinciales tanquam magis communes & diuturna praxi ac longo vsu certiores: quia adeo frequenti mutationi non sunt obnoxij, cùm non ita sæpe conuocentur Synodi Prouinciales. BVRDIG.

DE ARTICVLIS EPIscopalibus Diœcésis Burdigalensis in specie. Caput. 2.



OTO priore semestri anni 1599. térque quatérque scripsimus ad Dominos Generales Vicarios Archiepiscopatus Burdigalensis, Rogauimúsque vt suos Casus reseruatos quos vel in vsu habent, vel ex aliqua Synodali Constitutione nacti sunt, mitterent ne cœptum opus imperfectum emittere cogeremur, in quo christianæ Reipublicæ vtilitati consulere tantisper est animus. Hac de re etiam monitus est illustrissimus *D. D. Franciscus de Sourdy* S.R.S. Cardinalis ac

BVR- DIG. vigilantissimus Burdigalensis Archipræsul, qui literis dignatus est suam omnem operam huc conferre, donec pleniùs huic negotio prospiceret. Sed aliud auditum non est quàm communes Episcopales Casus Burdigalę vsui esse solitos, nullo vix reperto priscæ ætatis documento in eam rem eius rei confirmationem aut declarationē. Vnde sequitur, quod est obseruatione dignum Diœcesanos omnes ac reliquus pariter totius prouinciæ clerus, qui hactenus proprijs carent reseruationum articulis, habere hodie septemdecim omnino Casuum diuersorum capita iure cōmuni reseruata, quæ interea in quibusque Ecclesijs promulgare & ad praxim redigere debent vniuersa iubente ecclesiastica cōsuetudine Pontificio diplomate comprobata*. Neque enim Antistites ea in re creduntur ad vtrunlibet liberi, sicuti esse solent erga peculiares Casus condendos. Illi autem 17. articuli sunt duodecim primi secundæ partis generalis, & quinque alij tertiæ: videlicet de mediocri Clericorum percussione, de secretis hæreticis & alijs occultis alioqui Papæ reseruatis, de sepelientibus hæreticos seu interdictos, de incendiarijs, de varijs homicidis, violatoribus ecclesiasticæ immunitatis, sortilegis, & cæteris ibidem expressis. Vt opus non sit hîc repetere. Et profecto iste numerus hoc præsertim tempore fortassis sufficiet.

*parte 2. gen. & artic. 7.

VETERES CASVS prouinciæ Auxitanæ ex diuersis Constitutionibus prouincialibus deprompti.

AVXIT. Tabu.8. Gallicana.

VArios horum Casuum articulos serius paulò acceptos desumpsimus * ex vetusto libro manuscripto prouinciç Auxitanæ, quem Lutetiam allatum nobis præbuit Reuerēdissimus *D. D. Leonardus d'Estrappes*, Archiepiscopus Auxitanus: vt quæ ad hoc pium Operis institutum facere viderentur, ex eo decerperemus. Libro titulus est eiusmodi. *Constitutiones prouinciales Auxitanæ prouinciæ, editæ sub anno Domini millesimo* CCC. Et continet centum viginti octo capita aut circiter multis dissecta paragraphis, ex quibus collegimus, ea quæ sequuntur. Notandum verò quòd textus satis perplexi & inuoluti videntur, sicuti multæ controuersiæ antiquitus indistinctæ erant. Itaque æquo feret animo Lector, si coacti fuerimus longiore paulò commentario singula interpretari: quia dum hic omnia vestigamus, maluimus censuram prolixitatis sustinere, quàm obscuritatis. Ordo verò talis est vt prolixiores articuli censurarum rariùs reseruatarum statim antecedant; & breuiores casus reseruati sine censuris se-

* *Mense Iulio an.* 1599.

A V-XIT. quantur ad calcem, quibus tamen primùm nobis eſt opus, vt non immeritò eos hîc pręmittere ſtatim decuerit, Libri ordinem inuertendo. Itaque idem vigilantiſſimus Præſul, cenſuit cum nonnullis Theologis hanc quoque ſeriem retinendam: etſi nos iam omnia cōſcripſeramus iuxta primum exemplar, duplicem igitur ſeorſum ordinem diſtinctóſque numeros in vtroque deſcribimus, & quidem eo fine, vt ſi prouincia nimium grauetur, dum cuncta in Eccleſijs promulgare ac ſeriò obſeruare ſtudet priores duntaxat Caſus amplectatur, ſi ita libuerit, tanquam conformes alijs Præſulum reſeruationibus: relictis poſterioribus quæ ſunt cenſuræ grauiores, attamen notatu digniſſimæ, & quæ in fronte ac limine præfati libri conſtituuntur. In Articulorum verò contextu ipſis Capitum verbis vtimur, quoties ad neceſſariā vtilémque Caſuum formam facilè perueniunt: aliquando etiam verba pauliſper immutamus, ſenſu tamen fideliſſimè retento. Deinde, in ſcholijs ipſum textum ſubiungimus, tum huius fidei faciendæ gratiā, tum lucidioris expoſitionis loco, additis commentariolis: veluti ſuprà præſtitimus in quatuor Articulis prouinciæ Burdigalenſis. Atque hos ſanè vetuſtos Articulos propterea iſtic collocamus, quia Auxitanæ Eccleſiæ nullos cenſentur habere recentiores qui hoc noſtro ſæculo appareant in aliqua Synodo reſeruati: for-

tassis ob perennes ferè bellorum motus, quibus illa regio, Episcopis ideo vix residentibus, diutiùs afflicta est: saltem nihil hactenus responsum est repetitis literis tum Reuerendissimi Archipræsulis tum nostris ea de causa missis. Ne ergo mox vacua abeat & prætereat ista prouincia in Galliarum omnium ordinatione: nos horum loco describimus veteres prouinciæ censuras eidem regioni peculiares, & quæ sunt tanquam notæ eruditæ societatis, doctrinæ, atque prudentiæ priscorum illorum Patrum, qui eas olim subditis promulgarunt. Videbunt, credo, cùm Reuerendissimus Archipręsul tum R.R. Suffraganei & singuli D.D. generales Vicarij reliquíq; Pastores in proximis Synodis, vtrum hodie ista antecessorum Statuta aut eorum nonnulla Parœcis præscribere satiùs sit, an verò malint ea omittere & noua cōdere, nos enim satiùs facturos putauimus, si hîc colligeremus ac interpretaremur Casus antiquos, in quibus tanquam in speculo videre possit prouincia optimum statum suarum Ecclesiarum singulari pietate promouendum. Quod nostrum studium præfatus Reuerendiss. Archipræsul Auxitanus pro publica vtilitate probauit. AVXIT.

AV-
XIT.

PRIORES ARTICVLI: De Casibus reseruatis sine censuris.

1. *Simonia simplex beneficij, ignorante beneficiato commissa.*

Iste Articulus quem primùm vidimus constituendum, breuior à nobis efficitur, tum vt propiùs ad superiorum formam accedat, tum vt faciliùs memoriæ mandetur. Pluribus verò conscribitur in Auxitano libro, fol. 42. & quidem hoc verborum tenore.

In simonia simplici beneficij, ignorante beneficiato commissa, Pænitentiarij possunt absoluere, & dispensare cum eo, vt si euidens vtilitas, vel necessitas exegerit, post liberam resignationem possit idem beneficium recipere &c.

Quod totum vt interpretemur, notandum est imprimis, realem simoniam in beneficio, si exerceatur à beneficiato sciẽter (sicuti nosse debet) absolutionem criminis tunc Papæ reseruari, etiam in facto occulto, ex parte 1. gener. Artic. 28. & 29. Si verò beneficiatus cum iusta & probabili ignorantia non autem crassa rem simoniacè acceptauerit, hoc est adhibita diligentia vt ei hæc animæ pernicies innotesceret: sanè culpa lethalis istius, à censuris immunis est, sed tamen solis Archie-

Simonia realis in beneficio duplex.

piſcopis & Epiſcopis reſeruari videtur, aut ſaltem eorundem Vicarijs at non inferioribus Sacerdotibus, ex textu præſentis Conſtitutionis, quæ dicit, *Pœnitentiarij poſſunt abſoluere*. Sed de eius ſenſu mox diſputationem inſtituemus[a]. Ex hoc genus ſimoniæ, propter defectum notitiæ, propriè & ritè creditur appellari nomine ſimplicis ſimoniæ, ex parte eius qui forſan bona fide ignorat peccati qualitates: licèt vtráque ſimonia ex parte rei, ſit realis in beneficio ob exteriorem actum & executionem ſimoniacam in vtroque peccante: idémque ſentiendum de ſimonia fiduciaria in eodem accepto beneficio, ex parte ignorantiæ alterutrius paciſcentis. Sícque, vt exactiùs loquamur ad maiorem partis 1. explicationem, ſimonia realis in beneficio eſt duplex, etſi hactenus Summularij hanc vix tradiderint. Vna ex mera ſcientia proficiſcitur ſicuti dictum eſt: altera cum præfata excuſabili ignorantia committitur, quæ prædiſto modo dicitur ſimplex. Namdeprehẽdimus aliud genus ſimonię ſimplicis, quod cùm huc non ſpectet, ideo hîc obiter commemoratur. Talis verò ſimonia ſimplex (ſi deſcribenda ſit) vix impropriè referri poteſt ad conuẽtionalem ſolùm ſine vlls executione in vtraque partium, & ad fiduciariam eiuſdem qualitatis, necnon vtránque ſcienter deliberatam: quæ profecto etſi vi huius textus non cenſetur reſeruata in toto

AVXIT.

a Simile fere art. 2. poſter. ordinis.

Duplex ſimonia ſimplex.

AVXIT. isto Archiepiscopatu, nec est realis: reseruatur tamen in Diœcesi Archiepiscopatus Lugdunēsis, & alijs citatis in primo Casu Lugdunensi, vnà cùm reali simonia circa pensionis translationem vel emptionem iuris patronatus contracta. Hæc de altera simonia simplici. Sed interea, pro disputatione quam sumus polliciti: de priori simonia simplici, quæ est huius Casus propria, vno sensu videtur illa reseruata Papæ, vel eius Pœnitentiarijs propter rationes ibidem allatas. Siquidem ita habetur proxime ante ipsum articulum.

Controuersia 1. circa hūc Casum, & priorem simoniam simplicem.

Anno Domini 1220. *Pontificatus Domini Nicolai Papæ quarti, Anno tertio.* (*qui fuit* 91. *&* *non* 20. *ex Chronographis*) *Pœnitentiarij Domini Papæ tam absolutionibus quàm dispensationibus à summis sibi concessis Pontificibus vtuntur. Et quia recurrentibus ad sanctam matrem Romanam Ecclesiam, & ipsam requirentibus, certum & salubre ab eisdem Pœnitentiarijs est consilium impendendum, subscribuntur speciales Casus, in quibus absoluere & dispensare valeant Pœnitentiarij: Et in quibus Dominus Cardinalis pœnitentiariæ officij curam gerit.*

Deinde ita exprimitur titulus: *Casus pertinentes ad Pœnitentiarios.* Martinus 4.[k] Tum ponitur præfatus articulus: In simonia simplici &c. cum alijs 35. Articulis vsque ad folium 45. sub nomine partim ipsius Martini, partim Nicolai 4. Et quòd vim argumenti nonnullis adauget à fol. 46. ad 50.

k sedit ab an. 1581. ad 85.

ſubiunguntur triginta octo Articuli, quorum inſcriptio eſt eiuſmodi: *Caſus pertinentes ad maiorem Pœnitentiarium. Honorius* 4. Nimirum Martini ſucceſſor.[l] Horúmque artic. primus ſic denuo habet: *Poteſt Dominus Cardinalis in forma debita eos abſoluere, & cum eis diſpenſare qui religionē ſimoniacè ſunt ingreſſi, &c.* AVRUM XII.

[l] ad an. 88.

Eſt enim, vt creditur, ſemper idem Cardinalis qui antea, tanquam ſummus ſeu maior Pœnitentiarius Papalis, & materia eſt eadem, videlicet ſimoniaca. Neque fortè obſtat circunſtantia allatæ ignorantiæ, cùm ſit ignorantia ſub eodem genere nempe ſub reali ſimonia in beneficio vel ordine ſacro. Hæc pro vna quæſtionis parte: pro oppoſita verò & contraria: præfatus Caſus de ſimonia atque alij ſimiles prioris ordinis, videntur probabiliùs Epiſcopis tantùm in communi reſeruati. Prima ratio eſt, quia in priori illa ſerie titulus habetur ad Pœnitentiarios, quaſi Epiſcopales, cùm ſint plures eo ipſo conſtituti aut neceſſariò per orbem Chriſtianum conſtituendi, nec ſatis diſertè deſignet Nicolaus P.P. eos quos vocat Romanos Pœnitētiarios tāquā in ſola vrbe Romana retinēdos. In poſteriori verò ſerie, ſcribit expreſsè & peculiariter *ad maiorē Pœnitētiariū* velut ſingularē, eúmq; meritò Papalē propter epitheton maioris, vt id veri diſcriminis gratia factū putetur ex ꝓfeſſo. Secūda ratio eſt, quia hęc ſimonia ingrediētis religionē, eſt ſimonia realis

A V- XIT. ſcienter commiſſa, & ſemper Papalis: circun- ſtantia autem ignorantiæ cùm verſetur circa totum non phyſicum ſed morale, infirmum ac mutabile, idcirco imminuit pœnam ſeu re- ſeruationẽ in ignota ſimoniæ aſtutia, quám- uis illa ſit ex ſe realis. Tertia eſt quia in priori ordine reliqui numeri deprehenduutur anti- quiori iure & apud Sanctum Thomam eſſe Epiſcopales, vt liquet de percuſſoribus incẽ- diarijs, fractione Eccleſiarum, falſificis inſtru- mentorum &c. numeris 9. 13. &c. de qua ma- teria nos parte 2. gener. art. 19. & 10. tum par- te 3. gen. artic. 2. Caſus autem poſterioris or- dinis iam paſſim leguntur apud Canoniſtas eſſe abſolutionis ac diſpenſationis Papalis: [m] ſinguláque opus non eſt hîc demõſtrare, tum quia iam longiùs forſan excurrimus, tũ etiam quia penè omnia tractant de cõmixta diſpen- ſationum reſeruatione, quæ quidem diſpen- ſatio ſæpius in ſolo externo foro conceditur, & de ipſa partim agit noſtrum primum para- digma, ſi eſt ſpes euidentis vtilitatis, de quo tamen foro nos hîc minimè tractamus: quîn- imo de irregularitate & votorum diſpẽſatio- ne in eodem libro, diximus parte 1.[n] generali, tanquam de re Pontificibus reſeruata. Quar- ta ratio eſt quia recentior Bulla (*Intolerabilis*) aduerſus ſimoniacos & cõfidẽtiarios reales e- dita, quæque, eſt Pij 4. adeò latè ſcribit de hu- iuſmodi corruptela, déq; acceſſu & regreſſu in collationibus ſeu fructibus beneficiorũ, vt non

m *patet in prolixiorib. articulis ſub poſteriori ordine huius Tabellæ infrà.*

n *Admonit. 1. & Ta. 2. ar. 4.*

non nisi conscios improbos & prohibitioni contranitẽtes insinuet: neque ignaros inuoluit Nauarrus commentator. At tacente pœnali decreto, silent pariter maiores pœnæ seu altiores reseruationes non commemoratæ, cum pœnæ sint restringendæ. [p] Quinta & vltima est quia in Auxitano Volumine supra affixus est rubro titulus sub hac verborum formula. *Sequuntur Casus reseruati Papæ, Pœnitentiariis suis, Archiepiscopis, Episcopis, Officialibus & Archidiaconis.* Adeóque veteres hi scriptores & Patres Auxitani, qui circa id tempus floruêre, eiusmodi Casus communes faciunt ex æquo Papalibus Pœnitentiarijs, Archipræsulibus, Episcopalibus officialibus, seu Vicarijs & Archidiaconis: quasi tunc didicerint hanc extitisse Martini Papæ mentem. Et ea ratione absolutio simplicis istius simoniæ ex ignorantia profectæ, veriùs reseruatur omnibus Episcopis totius orbis. Quod certe lector habet diligenter notandum circa id negotiũ hactenus non editum, etsi commune, sed in Archiuis Auxitanis & Capitularibus libris reconditum ad hanc penè vsque diem. Illícque, per vniuersum opus, alia non pauca latere videntur cõmunissima, quæ seorsum & maiore cum otio in lucem mittenda sunt. Nos interim præcipuam istam epitomen ex iis deprõpsimus & clero cæterísque Christianis studiosè offerimus.

AVXIT.

p *Tab. 2. Præf. 1.*

Hic articulus cõmunis vniuersali Ecclesiæ.

2. *Impositio solemnis Pœnitentiæ.*

AVXIT. Exponitur suprà Art. 3. Burdigalensi, dicitúrque eam hodie nõ esse in vsu, sed in priuatam pœnitentiam verti per sacramentalem confessionem: adeóque non reseruatur nisi recens ipsum peccatum ab Episcopis reseruetur propter quod imponi quondam solebat eadem solennis pœnitẽtia, siue id publicum peccatum sit aliquod infame periurium siue incestus, aut aliud iuxta vetustatis exempla allata ad numerum 46. Canonum pœnitentialium in commentarijs post Articulum 26. & 27. Bituricensem. Igitur viderint prouinciales Præfecti, ex dictis in argumento huius Tabellæ, an posthac hunc Articulum clariùs reuocabunt ad speciem aliquam peccati tacitè confitendi, an omnino omittent. Nihilominus hoc adhuc tempore possunt hanc solennem pœnitentiam obseruare in criminibus quæ publicum & graue scandalum gignunt. At profecto crimen sæpiùs deprehenderetur aliunde iam reseruatũ seu cõprehẽsum in Tabulis generalibus. Interea, necessariò proponendus est hîc continuus locus, è quo pręsens Articulus & omnes consequentes Auxitani eruũtur, fol. 35. vbi superscriptio primùm talis est. *Isti Casus pertinent ad Episcopum.* Deinde sic sequitur ipse textus.

Textus Articulorum huius Tabellæ. *Impositio solennis pœnitentiæ, absolutio excõmunicatorũ à canone, dispensatio super irregularitate quæ ad Episcopum pertinet super incẽdijs, blasphemijs deliberatis, nothis & super omnibus quæ consuetudo Diœce-*

ſeum ſeruat eis, ſuper his quæ ſpecialiter ſibi retinent, ſicut de filios opprimentibus, de homicidio, ſacrilegijs, falſarijs, violatoribus Eccleſiarum, ſortilegijs, de vitio cõtra naturã, inceſtibus, corruptionibus Monialiũ, reſtitutionibus, periurijs, clandeſtinè cõtrahẽtibus: ſicut ante ſacerdos ad Epiſcopũ ita Epiſcopus ad Papam mittere debet tales propter atrocitatem criminum. Singula hæc vocabula expoſitum imus ſuis locis. AVXIT.

3. *Abſolutio excommunicatorum à Canone.*

Eiuſmodi abſolutio intelligitur, modò tales excõmmunicati per canonẽ non ſint Sedi Apoſtolicæ reſeruati, vt diſertè exprimit textus 29. Rothomagẽſis, & illi articuli extãt in par. 1 ge. Iſte verò Caſus vniuerſalior paulò & ęqualis Rothomagẽſi, retinet iterũ 40. cẽſuras par. 1. generalis nemini reſeruatas. Quæ pœna quia aſperior eſſe creditur quàm hæc tẽpora ferãt, cenſerẽ cũ Synodo Pariſiẽſi poſt art. 21. hoc mẽbrũ relinquẽdũ Parochis iuríque cõmmuni niſi quandoque in ſpecialibus quibuſdam actibus Epiſcopi circa aliquem horum articulorum videant oportunum reſeruationem adijcere.

4. *Incendia.* Articulus nequit concipi de incendijs Eccleſiarum poſt denunciationẽ, quia id Papæ reſeruatur, ſed de alijs iam in cõmuni reſeruatis: necnon expoſitis par. 2. gen. Art. 9. & pa. 3. art. 1. Locus autem iſtius Caſus prouincialis qui habetur art 2. adiungit atque cõmemorat diſpenſationem ſuper irregularitate quæ ad Epiſcopum pertinet ſuper incen-

AVXIT. dijs, blaſphemijs &c. Quam ſanè diſpenſationem ſeorſum nō ordinamus nec numeramus inter Caſus iſtius prouinciæ, quia ſæpiùs ad forum exterius pertinet, de quo non tractant iſtæ Tabulæ, adeóque poſt culpæ ſolutionem plerumque confertur ſcriptis. Attamen hæc Auxitana adhortatio eſt valde notanda. Videtur enim tutius dicere quòd Epiſcopi poſſunt diſpenſare circa eas irregularitates quæ oriuntur ex peccatis connexis cenſuræ à qua ipſi per ſe vel per ſuos vicarios abſoluere poſſunt in foro conſcientiæ: multóque magis circa eas quæ forſan emergerent ex notorijs illis culpis quæ omni eccleſiaſtica cenſura carent, quales ſunt pene omnes Caſus ſequentes. Præterea poſſunt tum eam irregularitatem tollere quæ manat à delicto occulto coniuncto cenſuræ Pontifici reſeruatæ ex parte 2. gener artic. 4. tum eam quæ fluit ex duobus manifeſtis allatis art. 35. Rothomagenſi.

Irregularitas hinc pendens, & Epiſcopalis diſpenſatio.

5. *Blaſphemia deliberata.*

Etiam occultæ inter paucos teſtes notæ, ſicuti in Caſu 13. Senonenſi. Et vterque Caſus ſibi inuicem æqualis, lubentiùs occurrit enucleandus locis ibidem citatis. Hinc igitur excluduntur veræ blaſphemiæ vocales ſi proferantur ex improuiſo vel ſubito furore minimè præmeditato, vel prima adhuc vice. Alia artic. Senonenſi & 26. Ebredunenſi. Cœterùm hîc notanda eſt animaduerſio tanquam communis huic Caſui, ſuperiori & ſuppoſitis alijs iſtius primi ordinis. Arguto &

ingenioſo lectori prima frõte videretur minimè hîc reſeruari incendia, blaſphemias, itemque opprimentes, falſarios & ceteros per textum Auxitanum allatum Artic. 2. ſed duntaxat intelligi reſeruatam irregularitatem hinc enatam: ſcilicet quia ipſe textus dicit, *diſpenſatio ſuper irregularitate quæ ad Epiſcopum pertinet ſuper incendijs, blaſphemijs, &c.* Quippe aduerſarius dicere poſſet hîc eſſe ſermonem de ſola irregularitate tanquam reſeruata non verò de ipſis incendijs reſeruandis ac ſimilibus. Imò, vt addam in eius gratiam poſſe arguere quòd quædam culpæ iure communi non reſeruantur, è quibus tamen vbique naſcitur irregularitas, vt pote multæ cenſuræ partis 2. generalis ab Artic. 13. iterum culpæ eorum qui bis baptizant, quæque reſeruantur ſolùm in Artic vlt. Lugdunenſi, & culpę notoriæ, enormes ſeu dignæ depoſitione, quæ quidem non ſubinde reſeruantur, donec talis voluntas Diœceſani Antiſtitis aut Synodi prouincialis acceſſerit: Et tamen omnes eiuſmodi peccatores irregularitatem è veſtigio incurrunt, ex Nauarro Cap. 27. numero 244. § At his non obſtantibus, pro ſolutione dicendum cenſeo, quòd Auxitani Patres ſub ea loquendi formula intendunt nihilominus hæc incendia, blaſphemias & cætera reſeruari. Ratio eſt triplex: primò quia alioqui nihil noui dicerent: cum iam omnis irregularitas reſeruetur ad minimùm Epiſco-

AVXIT. *obiectio & Admonitio.*

Doctrina vniuerſalis circa irregularitatem.

§ 246. 248. *ſolutio.*

AV- XIT. pis 2. quia ſequeretur prouinciã nihil ſibi reſeruaſſe, alios enim Caſus quondã nõ edidit, qui in eius Cõcilijs legi poſſint 3. quia ad calcem textus ſic ſtatuitur: *Sacerdos ad Epiſcopum mittere debet tales propter atrocitatem criminum.* Etenim nomine criminis hîc reſeruari ſẽper intelligitur culpa, ſeu læſio, & macula deformis in anima latens ob deperditam diuinam gratiam nunquam autem concipitur eo nomine irregularitas, quæ natura ſua non eſt peccatum, ſed duntaxat dicitur eſſe impedimentum exterius in eccleſia viſibili conſequens ex culpa velut accidens & impediens ſolas legitimas actiones eccleſiaſticas. Quæ quidem tres rationes cùm ita de nutu & voluntate prouincialium fuerint, infirmari nequeunt per oppoſitam à nobis rationem quæ adhuc nititur communi illo iure quod pendet ex futura Antiſtitum reſeruatione, quoties per ſingula exempla volent.

6. *Opprimentes Filios.*

Æquatur Caſui 13. Lugdunenſi: & vterque appoſitè exponitur in 21. Ebredunenſi.

7. *Homicidium.*

Scilicet voluntarium ex part. 3. gener. 2. excluſo caſuali Articuli 20. Rothomagenſis, ſed incluſis conſentientibus, etſi non interimant, ex 10. Lugdunenſi & 7. Belgico Déque aſſaſſino multo peiore habet pars 2. generalis art. 6.

8. *Sacrilegi.*

Iam latè exponitur pro ſolo furto rei

sacræ, primario quidem sensu, ex Artic. 5. Parisiensi. Estque species sacrilegij realis. AVXIT.

9. *Falsarij*,

Non quidem literarum Apostolicarum; sed aliarum omnium, & etiam laïcarum præterquàm Episcopalium, ex Artic. 3. partis 3. generalis. Alia in 31. Lugdunensi & 17. Belgij septentrionalis.

10. *Violatores Ecclesiarum.*

Non sumuntur seorsum pro furto rei sacræ, quia id speciatim debetur præfato Artic. 8. huius Tabellæ: sed pro violatione ecclesiasticæ immunitatis, seu pro pollutione Ecclesiarum, veluti multifariam exponit pars 3. generalis Artic. 4. itémque pro templorum effractoribus anathemate percussis ipso facto, ex par. 2. gener. Art. 10. Et id omne vocatur sacrilegium locale. Superest monendum *admonitio.* quòd in hoc Articulo non adiungimus violatores libertatum Ecclesiarum, quamuis textus Auxitanus eos nominet. Quippe in facto notorio vni Papæ reseruantur, & iure communissimo Episcopis in occulto valde raro, ex parte 2. gener Art. 4. communi. Huc autem referri quoque possunt censuræ posterioris ordinis Articulo I. II. XV. XVI. XIX. XXII. & XXV. Auxitano.

11. *Sortilegi.*

Singula aperit Casus 5. communis. Habent autem annexam censuram in hac prouincia, ex articulo XXIII. secundi præfati ordinis, vbi materia occurret explicanda.

AVXIT. 12. *Vitium contra naturam.*

Vis verborum vniuersim sumptorum demonstrat quidem quatuor species peccati contra naturam, ex quibus tres primæ reseruantur in Casu 20. Lugdunensi & 15. Senonensi Sed tamen quia tot reseruationum species sub eodem genere maximam in confessionibus audiendis pariunt difficultatem: factum est vt Theologi qui suas sententiàs de Tabella Aquensi tulerunt, hîc pariter cum R. Auxitano Archiepiscopo censeant concipiendas esse duas tantùm primas ac potiores species, easque fusè susceptas Artic. 9. Rothomagensi, cui iste æquatur iuxta præfatam interpretationem.

13. *Incestus.*

Cùm in textu Auxitano suprà allato* hoc nomen sit plurale, concipit non solùm incestum primi aut secundi gradus consanguinitatis ac affinitatis, verùm etiam omnes gradus ex legitima carnali copula, & à lege matrimonij alienos, quatenus explicantur Artic. 19. Lugdunensi. præfati tamen Theologi censent hic reseruari solum tres gradus priores, ad formam Articuli 12. Aquensis. Igitur hinc excipitur incestus perpetratus tũ cum affinibus ex illicita carnali copula prodeuntibus, idque intra secundum gradum duntaxat vetitum * & cum spiritualibus affinibus, quantumuis ex parte reseruentur in Casu 13. Aquensi; nisi Comprouinciales

* *art. 1. cum alijs Casib.*

* *Conc. Trid. Sess. 24. Ca. 4.*

hoc latiùs in posterùm censeant exprimendum. AVXIT.

14. *Corruptio Monialium.*

Primò hîc concipitur corruptio per initam ex prætenso matrimonio facta quæ habet anathema iuris annexum ex 2. Lugdunensi. Secundò, hîc reseruatur corruptio extra matrimonium, siue sit violatio Moniali prorsus contranitente, siue stuprum ea consentiente: quod totum comprehendit vnum genus improprij incestus: de quo plura Casu 8. Parisiensi.

15. *Restitutiones.*

Breuioris istius Capitis sensus est duplex, suffragantibus præfatis Theologis. Prior si debitori pœnitenti, ac ritè pollicenti quàm primùm reddere, innotescat distinctè summa seu quantitas rei restituendæ, tum etiam noscatur creditor seu dominus vnus vel plures quibus debet, & quales sint: sanè Parochus hunc potest absoluere, neque vllibi gentium hæc restitutio in tali Casu reseruari potest, nimirum si istæ omnes simul occurrunt conditiones: quamuis ingens sit summa pecuniarum aut furti quantitas. Et hîc comprehenditur vsura. Posterior verò, si ipse pœnitens anceps sit, de qualitate aut de creditorum personis: tunc disceptatio ac determinatio de modò, tempore & quantitate restitutionis faciendæ pertinet ad E- *Doctrina vniuersalis.*

A V- X I T. piſcopum, cuius poſtea actio ac temperamentum erit fori exterioris vt plurimùm, ex 25. Senonenſi: niſi certè Pœnitentiarius aliúſue Commiſſus in confeſſione decidant eiuſmodi controuerſiam habita ratione perſonarum & fortunarum quibus detinens ad tempus vtcũque victitet, ſi modò creditor interea nãciſcatur vnde viuat, adiectis alijs circunſtantijs ex Nauarro Cap. 27. nu. 60. & 61. Siquidem in illo Caſu, Parœchi non poſſunt reos abſoluere à culpis, donec à Superiore reſtitutionis deciſio facta ſit.

16. *Periuri.*

Abſoluta hæc loquendi formula docet intelligi periurium non modò ſolemne peculiare Caſui 29. Lugdunenſi, & 14. Senonenſi: ſed etiam priuatum accuratè expoſitum Articulo 16. Arelatenſi infrà, quem iſte adęquat. Exceptiones habentur magis appoſitè in 18. Belgico ad calcem Operis. Hoc pacto quandoque ad inferiora Sholia, Lectorem remittimus, & præſertim hiſce locis: etenim Auxitanas Synodos ſero & tarde admodum recipimus alijs cunctis iam in ſuum ordinem diſpoſitis, atque ad prælum fere abeuntibus. Sícque in re leui & nullo perinde diſcrimine, non fuêre omnia immutãda. De quadam ſpecie periurij cum anathemate in Auxitana prouincia, habet infrà poſterior Articulus x. *Admonitio.*

7. *Contrahentes clandestinè.* AVXIT.

Rectè: quia etsi olim ratum erat eiusmodi matrimonium, quando hi Casus conditi sunt: nihilominus tales contrahentes graui peccato lethali se obstringebant eóque digno retentione. Nunc verò multo grauior est similis reseruatio à tempore Concilij Trident. * Et quamuis Concilium in Gallijs non promulgetur, quæ promulgatio in foro externo primùm obligat: tamen ea lex Tridentina hîc facilè locum habet, quia confessiones sacramentales ac reseruationes ad forum interius tantum pertinent, cuius obseruatio quæ non immiscetur rebus externis, minimè earum administrationem impedit, aut statum ciuilem conturbat. Vbi tamen est valde obseruādum clādestina matrimonia esse adhuc valida in omnibus locis & prouincijs in quibus Tridentinum decretum, de reform. non fuit promulgatum. De prouinciali verò horum contrahentium censura, loquitur posterior articulus XXVIII. alia in 16. Senonensi. Aduerte quòd in textu Auxitano apponuntur Nothi Artic. 2. Id tamen non est Casus quia esse nothum non est culpa, vt res hæc possit reseruationi esse obnoxia. Quippe illegitimus nat⁹ nō est causa fornicationis patris, aut particeps talis cōsensus. Verùm ille defectus natalium præ se fert indecentiam quæ obstat quominus talis ad sacros ordines admittatur,

** ab an. 1564. Seß. 24. de Refor. matrim. Cap. I.*

Animaduersio de nothis.

AVXIT. citra dispensationé obtinendá circa illud impedimentum quod canones appellant irregularitatem. duntaxat nothi ad irregularitatem remouendam non ob culpam aliquam quam nothus in ipsis natalibus commiserit. Peccat tamen lethaliter si ante Papalem dispensationem ab illa irregularitate, beneficium curatum acceperit; aut si simplex, ante Episcopalem: nulláque erit obtentio, donec cum eo dispensetur Cap. 25. numero 117. Quod sanè peccatum vtrum Patres Occitani velint reseruari, viderint: saltem hac vice non censui collocandum inter reseruatos articulos: proptereáque apposui solum septemdecim Casus.

Additio. Iam ad extremum supersunt hîc adijciendi quinque Casus, suntque Articuli 1.5.7.8. & 1. partis 2. gener. scilicet de percussoribus Clericorum, de hæreticis occultis, vnà cum alijs occultis Papę reseruatis in actu* notorio, de sepelientibus hæreticos manifestos & quosdam alios, necnon de participantibus cum quibusdam excommunicatis adiectis articulis 2.3. & 12. Nam sextus, 9. & 10. iam supra memorantur Artic. 4. & 7. præterquàm 5. communes partis 3. gener. in alijs art. hîc inserti. Igitur Auxitani Casus ex hoc communi quinario adaucti partis 2. gener. precise sunt duo & viginti.

* *ex art. 4. Ibid.*

22. Casus pro Auxitana prouincia.

Hi ſeptemdecim Caſus Auxitani in Volumine Synodalium Conſtitutionum fol. 55. habent certum ſuæ inſtitutionis tempus cum ſtatutis circa Curatos editis, quale profecto tempus deſcribitur fol. 58. hac verborum ſerie. AVXIT.

Incipiunt Conſtitutiones Synodales, editæ per Reuerendum Patrem Dominum G. Dei gratiâ Archiepiſcopum Auxitanum, in prima ſua ſancta Synodo, in Ciuitate Auxitana celebrata die martis ante feſtum natiuitatis Beati Ioannis Baptiſtæ, ſub anno Domini M.CCC. vigeſimo quarto.

Pergunt autem eadem Statuta vſque ad folium 58. An verò ipſa ſint prouincialia ſeu veriſſimè Synodalia, hoc eſt Diœceſana ſolùm, locus non aperit. Attamen ſequentes ſeorſum Conſtitutiones quæ ſunt cenſurarum, perque eundem librum diffunduntur, omnes prędicantur verè prouinciales ac R.R. Suffraganeis communes. quæ ſanè res, argumento eſt iſtas quoque XVII. Conſtitutiones eſſe prouinciales: vt nomen Synodalis Conuentus prouincialem Synodum etiam concipiat. Saltem æquum eſt, vt ſi Suffraganei alijs Caſibus carere deprehendantur, ſuo capiti ſeu Archipræſuli hac in re adunentur: quemadmodum de Rothomagenſi & Bituricenſi Sedibus dictum eſt. Ipſi autem Suffraganei ſunt R. Epiſcopus Conuenenſis, Baionenſis, & cæteri, veluti poſt hac ſæ-

AV- pissimè atque distinctè ex celato Volumine
XIT. in lucem proferimus.

Interea, hoc loco obiter monemus, quòd ex relatione præfati R. Archipræsulis sedentis in Auxitana prouincia grassatur ingens aliud peccatum reseruatu dignissimum: nimirum quòd illic satis multi deprehenduntur adulti nondum baptizati, & nihilominus miscentur cum alijs Christianis atque conciuibus in diuinis mysterijs ac reliquis sacramentis, siue id præstent ex rustica & stolida morum corruptione, vix scientes an baptismus sit necessarius, siue ex mera malitia. Quam barbariem & inauditam negligentiam, atque contemptum forsan introduxit bellorum perturbatio. Huic spero facinori & scandalo medebuntur posthac D. D. Comprouinciales, vt tales à sacramentali confessione ante baptismum penitus arceantur.

Mox igitur ad posteriorem Articulorum ordinem proficiscamur qui cōplectitur censuras veriùs quidem prouinciales quàm diœcesanas: sed rariùs reseruatas ac separatim ab allatis Casibus Auxitanis reseruatis seiungendas: etsi ea in voluminis ordine antecedant, vt superius iam diximus.

POSTERIORES ARTICVLI Auxitani, de Censuris, vt plurimùm non reseruatis.

I. *QVicunque electionem, postulationem, prouisionem ,canonicam beneficiorum, dignitatum, administrationum, ecclesiasticarum impediuerint patenter vel clam, & cuncti qui per se vel alios grauare præsumpserint electores in personis, beneficiis vel aliis bonis suis ecclesiasticis, cæteráque loca pia consanguineorum, vel bona prædictorum, pro eo quòd rogati seu aliàs inducti pro quo rogabantur seu inducebantur eligere noluerint, sint ipso facto excommunicationis vinculo innodati.*

Primus hic articulus ac textus habetur Capite 1. præfatarum Constitutionum Auxitanarum fol. 1. Sic enim reuertimur nunc ad libri initium ex prælibatis* Locus autem complectitur statutum prouinciale Episcopale; quod propterea inducit anathema non hominis sed iuris,* tum vi operis malè patrati ab impedientibus electores, sicuti colligitur ex parte 2, generali Artic. 3. tum maximè quia iam eiusmodi præpedientes ex communi lege vniuersalis Ecclesiæ excommunicati sunt ipso facto quę censura liquet ex cap. *Sciant cuncti.* authore Gregorio x. in Concil. Lugdunensi[f] celebrato ad an. CIↃ CC.73. & f 14. gen.

**in prefatione.*

**obnoxium irregularitati si violetur.*

AVXIT. præſens lex prouincialis eodem æuo condita eſt, ſucceſſitque Gregorianæ Sanctioni annis tantùm XXVII. Quippe ſuprà [g] patuit eandem Auxitanam legem fuiſſe promulgatam ad annũ M. CCC. Quæ certè lex Auxitana eſt aſperior Gregoriana vniuerſali. Etenim Gregorius PP. excommunicationem ſimpliciter & abſolutè expreſſit, neque pœnam vlli reſeruauit [h] Ideóque nos eiuſmodi culpam atque cenſuram inter non reſeruatas ſtatuimus articulo 35. cit. parte 2. vnà cum Nauarro & alijs Summularijs. Iſta verò pœna tunc confirmata apud Auxitanos Gallos, in ipſa Auxitana prouincia veriùs reſeruata cenſetur cum aliarum pœnarum acceſſione proptereáque is Caſus eſt primus peculiaris iſti Archiepiſcopatui. Reſeruationis autem argumenta inſinuat ipſe textus ſub ea periodo quæ ſequitur: *Vltra hoc Clerici, vel regulares* (nimirum qui ſic impediuntur à quibuſdam vt per metum citra æquitatem eligant) *ſint priuati omnibus Eccleſiæ beneficiis, dignitatibus, adminiſtrationibus, ſeu partibus quas obtinent, & indigni ac inhabiles ad quæuis beneficia, adminiſtrationes vel honores eccleſiaſticas vlteriùs aſſequendas.* Hæc in primis eſt pœna exterior atque aſperior quæ verſatur circa bonorum externorum priuationem, quæque æquiualet condemnatis ſeu excommunicatis nominatim, adeóque abſolutio fori interni debet facilè reſeruari. Deinde ibi additur

Se laici

g *in præfatione*

h *confirmat Gloſſa ex Cap. Nuper. & nos Tab. 2. gener. Præfat. 1. cum dubia reſeruatione.*

Si laici fuerint, præter dictam excommunicationis sententiam ipsorum familiæ interdicto Ecclesiastico sint subiectæ: nulláque eorum posteritas, vsque ad quartam inclusiuè progeniem, quodcunque beneficium Ecclesiasticum valeant obtinere. Quæ sententiæ relaxari non possunt, præter quàm in articulo mortis, nisi authoritate Sedis Apostolicæ speciali. A V- XIT.

Hîc adest præcipua reseruationis nota contenta sub prohibitione absoluendi hos impedientes per medium vitæ cursum, dum debeant tantùm absolui instante morte: quo certè tempore ex Canonibus [i] cessant omnes reseruationes etiam Papales. Alioqui enim, frustrà apponeretur conditio mortis, si Constitutionis authores non intendissenr reseruationem locum habere: præter alias reseruationis notas citatas Artic. 4. huius secundi ordinis. Cùm igitur legitima & probè cõstituta sit reseruatio: ideo successores Archiepiscopi & Episcopi eam tãquam æquissimam faciliùs hodie possunt comprobare, & in pio isto vsu ac praxi fœliciter pergere. Nisi fortè reseruationem nunc auferant: relicta censura, vt oblato tempori aliquantum cedant. Interea, quando hæc Constitutio optat specialem Sedis Apostolicæ authoritatem ad tales pendente sanitate & vita absoluendos, veriùs est comminatio quàm præceptum. Non enim leguntur Canones in tota prima parte, qui materiam præcisè referant atque reseruent. Eáque de causa, absolutè loquendo

i in parte 2. gen. art. 12.

AVXIT. Archipræsul Auxitanus potest ab hisce censuris absoluere, tanquam sibi vni reseruatis post solam prædecessorum & non Pontificum constitutionem. Pauca de simili materia in Casu 19. Arelatensi: vbi docetur verè hoc dici violationem Ecclesiasticæ libertatis.

II. *Statuimus vt nullus patronus aliquem præsentet ad regimen animarum aliquo dato promisso, remisso vel retento: vel nullus restituens eumdem sic præsentatum scienter admittat, nisi fuerit sufficiens scientia, moribus & ætate, & de legitimo matrimonio procreatus, vel secum super his fuerit legitimè dispensatum. Alioqui præsentans cuiuscunque gradus seu conditionis existat, ipso facto illa vice sit iure præsentandi priuatus, & nihilominus si laicus fuerit, excommunicationis vinculo irretitus. Clerici verò & religiosi patroni præter hoc quòd illa vice sint potestate præsentandi priuati, sibi nouerint ingressum Ecclesiæ interdictum. A quibus sententijs absolui & liberari nequeunt præterquam in mortis articulo, nisi à nostra licentia speciali vel suffraganeorum. Præsentati verò sic scientes & consentientes, sint inhabiles ipso facto ad quodlibet beneficium Ecclesiasticum oblinendum, nisi cum eisdem per superiorem suum fuerit misericorditer dispensatum.*

Hic articulus conscribitur fol. citato capit 3. de patronis. Et causa istius pœnæ inflictæ antecedit ibidem ac designatur his verbis: *Quia horribile nimis est & ad nostrum*

peruenit auditum, quòd in quibusdam Ecclesiis nostræ prouinciæ, in quibus quàm plures laici, qui in iure patronatus per Ecclesiam tollerantur &c. Extorqueant aliquam pecuniæ quantitatem vel emolumentum aliquod consequuntur: Nos volentes (ait R. Archiepiscopus) simoniacam pestem & vitium huiusmodi à nostra extirpare prouincia, &, vt tenemur, animarum prouidere saluti: statuimus &c. Vt suprà vbi consistit ratio & formula præsentis Casus. Reseruatur autem: tum ob rationem superiùs allatam* & petitam ex prohibitione absolutionis ante mortis articulum: tum quia Archipræsul reseruationis notam clariùs indicat, quando subdit, nisi à nostra licentia speciali vel Suffraganeorum nostrorum. Quo insuper loco, obiter aduertendum est minimè dubium videri an vniuersa hæc constitutio Auxitana sit verè prouincialis, perindéq; hi Casus sint prouinciales. An verò dũtaxat Episcopalis fuerit, & Casuum obseruandorum latitudo contrahatur. Probatur esse prouinciales, tum ex nomine prouinciæ in titulo & pręsenti Casu seu textu ac alibi passim reuocata in memoriam: tum etiam quia R. Archipręsul mox meminit Suffraganeorum, qui propriè sunt soli Coëpiscopi ex cap. Quod sedem. & ca. Pastoralis. De officio iudic. ordin. lib. I. Decr. Qua de re dictũ sufficiat: quia idem postmodũ distinctissimè suis locis demonstratur. Iam verò superest breuis narratio. Egregia & elegans ista

A V-XII.

* *Art. I. cum tutiore reseruatione.*

An Casus sint prouinciales.

A V-XIT. constitutio clarissimè denunciat excommunicatos ac interdictos esse ipso facto patronos in ea prouincia, qui inter nominandum aut in alio iuris sui vsu eò spectante simoniam committunt siue realem, siue conuentionalem, siue fiduciariam [k] éstque firmum statutum iuris, non sola excommunicatio ab homine: etiamsi iure communi hactenus simoniaci huius generis non sunt excommunicati ex artic. 1. Lugdunensi & Nauarro alibi.[l] Sícque durior hic articulus addit duplicem in prouincia censuram (non vbique) præter reseruationem quæ sola commemoratur in Lugdunensi & alijs prouincijs ibidem citatis in quibus: adhuc vox simoniæ cuiuscunque generatim tantùm recensetur, quamuis sufficienter: istic verò species disertè exprimitur, ea saltem quæ de patronis est. Imò subdit textus huius loci, *quòd si ignoranter simoniacè præsentati extiterint, confestim tamen sciuerint, beneficio obtento renuncient, cùm aliter nequeant agere pœnitentiam salutarem &c.*

k *ex Tab.* 1. *art.* 28. *&* 29.

l *locis qui suprà.*

Extant plura hîc priore ordine artic. 1. & alia de ipso iure patronatus in artic. 19. Arelatensi, eo quidem spectantia, sed à præsenti consideratione discrepantia alienáque. Ea propter præsens Casus, ratione censuræ iuris appositæ, est primus peculiaris huic prouinciæ: & eius præuaricatores violant Ecclesiasticam libertatem, vt ex Arelatensi colligitur.

Similis censura infligitur ijs qui de nouo ipsum ius occupant ex parte 2. artic. 41. de interdicti verò ratione atque natura magis appositè habet articulus 6. huiusce ordinis. AVXIT.

Statuimus quod quicunque procurat impedimentum super possessione pacifica beneficij obtinendi, curati siue collati, vel impedimentum appositum repellere desinit negligenter, vltra pœnas à iure scriptas excommunicationis sententia sit ligatus.

Hic 3. articulus legitur in appendice præfati Capitis 3. folio 2. Et est censura apertè nulli reseruata, attamen ita Episcopalis vt nullibi vnquam iure communi deprehendatur in vsu posita. Ob idque dicitur secundus Casus isti Sedi proprius: qui quidem non capit eos qui impediunt tituli & petitorij prouisionem, vel manuum appositionem ad ius actuale possessionis Ecclesiasticæ, scilicet factam cum vocatis testibus ac ceremonijs osculi ad sacrum altare, aut sessionis, & cæteris. Ratio vero est quia tales impugnatores iam pertinent ad reseruationem articuli 1. Sed iste illos ambit qui iniustè impedimentum afferunt circa pacificam fruitionem Sacerdotij antea ritè suscepti, & pacificè adepti. Tum sequitur in ipso libro præfatorum articulorum confirmatio. Hoc pacto. *Sine vlla reseruatione.*

Hæ sunt Constitutiones prouinciales Concilij Auxitani, celebrati apud Marchiacum Auxitanæ Diœcesis sub anno Domini 1326. *die Lunæ* 8. *Decembris.*

A V- XIT. Sed pergamus ad cætera.

Sic re-seruatio-ne. 4. *Statuimus quòd nullus in Ecclesia sua recipiat Clericum peregrinum ad officiandum sine literis commendatariys Ordinarij sui & licentia sui Episcopi. Alioqui Clericus peregrinus sententiam excommunicationis incurrat.*

Exprimitur iste textus cap. 9. *De Cler.peregrinis*. §.2. fol.3. vbi concipitur maior excommunicatio iuris, dum simpliciter fertur ex cap. 49. Si quem. de sentent. excommunic. lib. 5. Decret. Vtrum autem hæc censura re-

* Art.3. seruetur (vt etiam similis præcedens*) sanè locus non aperit, etsi similis reseruatio in superioribus Articulis appareat. Ideóque negotium ad prouincialium Superiorum iudicium remittimus, propter incertam Doctorum sententiam commemoratam in Præfat. 1. parte 2. gener. Certè, verius non reseruatur ex communiori aliorum opinione : quam partem ibidem, & Synodus Parisiensis re-

m in Tab.Paris. post art.21. cèns amplexa est[m]. Verùm Patres Auxitani in quodam prouinciali Concilio alteram partem non obscurè sibi assumunt, vt hanc & alias omnes suas absolutè positas censuras malint concipere tanquam reseruatas, sicuti

* ad art. 28. patet infrà*. Nihilominus quanuis non reseruarentur : attamen violatores huiusce legis qui ignoti & peregrini secunda vice diuina faciunt in aliena Diœcesi, antequam admittantur in præfata prouincia, incidunt in irregularitatem, tunc Episcopo ad minus

reſeruatam (ne dicam etiam Papæ) ſcilicet ſi AVXIT. poſt primam celebrationem non fuerint à probato Sacerdote abſoluti circa contractam cenſuram. Igitur præſens Articulus, ratione cenſuræ iuris, eſt tertius Caſus prouinciæ Auxitanæ peculiaris. Nam communi iure prohibetur quidem extraneis iſta celebratio ſine venia ex Cap. *Scriptum*. 6. quæſt. 3. & Cap. *Epiſcopi vel presbyteri*. 7. qu. 1. verùm nulli Eccleſiaſticæ pœnæ addicuntur. Sícque vſus generali ſanctioni conformis exactè obſeruatur Lutetiæ ſine vlla tamen quæ ipſo iure infligatur pœna, & alibi paſſim.

5. *Irrefragabili conſtitutione ſancimus, quòd Rectores Eccleſiarum & ſubcapellani eorum, recipiẽtes peregrinos ignotos Presbyteros abſque ſuorum Diœceſanorum literis recommendatis, ad efficiendum Eccleſiaſtica ſacramenta, ipſo facto ſint excommunicationis ſententia innodati.*

Hic Caſus eſt de ſimili cenſura in Curiones, *Sine reſeruatione.* qui tales peregrinos in ſuis Eccleſijs recipiunt, qualis extat ſuperior Articulus aduerſus ipſos alienigenas Clericos & Sacerdotes receptos ſine literis dimiſſorijs. Nimirum paſtor vel eius Vicarij Sacerdotes qui eiuſmodi peregrinos Clericos recipiunt, anathemate iuris feriuntur. Ex quo fit, vt in illa ſaltem regione ſint irregulares, ſi celebrarint poſt temerariam eam receptionem niſi prius confeſſi & abſoluti fuerint ex Articul. XXVI. infrà. atque ex Nauarro

AVXIT. cap. 27. numer. 244. Et hæc noua pœna anathematis in Curiones totius prouinciæ lata, cùm eam non proponat Ecclesia vniuersalis, dicitur quartus articulus hic proprius sub secundo ordine, isque minimè reseruatus.

cum dubia reseruatione. 6. *Vt Prælatorum iudicium, inquisitorum & visitatorum officium eò fructuosiùs quo liberiùs valeat exerceri: præsenti statuto vniuersis & singulis tam Religiosis, Clericis ac laicis duximus inhibendum ne ipsos impedire vel turbare præsumant, quominùs in ipsis locis Religiosis, regularibus, vel alijs eisdem subiectis liberum officij sui debitum exequantur. Alioqui si laici fuerint, excommunicationis, si Religiosi & Clerici, interdicti ipso facto incurrant sententias.*

Sextus iste Casus legitur in præfato libro tit. seu Capit. 12. De officio ordinarij §. 1. fol. 4. Quo loco notandum quòd iam ista anathematis censura communis est vniuersali orbi ex parte, etiámque Clericis, scilicet respectu visitationis saltem Monialium aut eam impedientium, ex Clemente 5. in Concilio Viennensi [n], quod tamen celebratum est annis vndecim post legem hanc prouincialem conditam. Cuius censura nemini reseruata habetur part. 2. gener. Art. 30. Ergo lex Auxitana est latior: quia fertur in eos etiã qui visitationes impediunt virorum regularium & Clericorum secularium vel aliorum, quos tum excommunicatos si sint laici, tum

n 15. generali an. 13. 11.

interdictos quoque si sint clerici ipso facto decernit. Et hac in parte est quintus Casus huic loco peculiaris: qui quidem veriùs creditur reseruatus. Nam, vt priùs de excommunicatione illic contenta loquamur, etsi forsan prouinciales hæ excommunicationes, vel saltem plures aliæ tutò satis non reseruentur, veluti ex multorum sententia dictum est [o]: tamen sub hoc eodem Canone ei commiscetur interdictum, cuius sanè interdicti propriè & strictè sumpti absolutio reseruatur, sicut & omnis suspensio de qua Concil. Tridentinũ [p] & Nauarrus [q]. Nihilominus quod ad interdictum attinet, idem Nauarrus in genere dicit [r] quòd nostra ætate non reseruatur nisi denunciatur: idque probat per Extrauagantem Concilij Constantiensis [s] seu Basiliensis & Florentini vltimi. Verùm duo respõdemus: quibus comperietur relaxationem interdicti esse in propria specie reseruatam, atque etiam istius, licèt sit potius iuris quàm hominis seu denuntiationis. Vna ratio, eáque vniformis, est quòd ipsa Extrauagans præterquàm quòd dicat, *si prohibitio, suspensio aut censura ecclesiastica non fuerit promulgata aut denunciata specialiter*, subijcit & addit: *aut si manifesto constet incurrisse sententiam excommunicationis, quod nullo modo possit occultari &c. Per hoc tamen non intendimus releuare* (aiunt Concilij Patres) *neque iuuare sic excommunicatos, suspensos, interdictos aut prohibitos.* Adeo vt lex Constantiensis notorios quoque

AVXIT.

o *Tab. 2. Præfat. 1. & hic artic. 4.*

p *de Reform. sess. 24. ca. 6. Liceat.*

q *ca. 27. nu. 162.*

r *n 187.*

s *nu. 35.*

Quodnã interdictum iuris atque suspensio vim habent, & perinde reseruantur.

AVXIT. non denunciatos comprehēdat, si modò nulla possint tergiuersatione celari; & mandat eos pariter in communicatione vitādos esse. Itaque ratio seu dictum Nauarri procedere videtur in solis occultis non denunciatis. Nā paulò ante dicit * interdictum generale ipso facto & à iure poni in his Casibus: nimirum contra vniuersitatem quæ Clericis * solui facit portoria illicita, suum Episcopum capi, percuti, vel in exilium mitti, quæque impedit ingressum aut negotia Apostolici Legati *. *Imò* (addit) *& in omnibus Casibus in quibus iure fertur interdictum locale generale, ob delictum populi, in eisdem, fertur etiam generale personale contra suum populum* (hoc inseruit rei propositæ) *quanuis non, quando fertur ob delictum Domini, si non exprimitur &c.* Hæc ille.

*n. 169.

*Ex cap. Quāquā de cēsib. in 6.

*Extrau. Super gētes de cōsuetud.

Addo verò, quod interdictum est propriè vna ex censuris verè in Archiepiscoporum Sanctionibus constituta, tanquam lex firma. Nihilominus Auxitanæ Constitutionis vetustas efficit vt vix talia interdicta hodie locum habeant erga legis ignaros, nisi iterū renouetur[t] & in Ecclesijs promulgetur. Quæ quidē publica atque generalis declaratio, erit instar sufficientis denunciationis à Nauarro desideratæ. Neque profectò est opus denunciatione particulari, quæ priuatis & singulis hominibus fiat, teste Syluestro [u] ex locis & rationibus ab eo allatis: ad cuius mentem credendum est Nauarrum subobscure accessisse.

t Tab. 1. gen. Animaduers. 6.

u verb. Interdictum. 2. nu. 1.

Qui etiam Nauarrus non loquitur de reſeruatione abſolutionis interdicti, ſed duntaxat de ipſius veritate : ſcilicet quomodo locum habeat, an à iure, an ſolùm ab homine, veluti primo aſpectu cenſetur voluiſſe. Nos autem hîc probare enitimur interdictum etiam à iure robur ſuum retinere, & eſſe reſeruatũ: quale eſt interdictum huiuſce Auxitani Articuli, quod eſt interdictum perſonale à Syluestro deſcriptum, ſuprà 1. nu. 8. Et ſanè in hoc quaſi problemate Gloſſa iſtam noſtram partem defendit, reſpectu facti minimè occulti, Clemen. *Grauis*. verb. *Suppoſitis*. lib. 5. tit. 10. quanquam demum ſuadeat non teneri nos ad obſeruãda interdicta lata à iure, niſi priùs fiat eorum declaratio. Altera ratio eáq; multiformis, petitur ex eodem Syluestro [x], qui ſic in gratiam interdicti à iure loquitur:

AVXIT.

x *ſup. 2. nu. 1.*

Sufficit etiam cùm quis ſcit vicinos ſuos maximè Eccleſiam Metropolitanam (qualis Auxitana) *recepiſſe & ſeruare ſententiam* (latam per Constitutionem) *inſuper omnes Religioſi tam exempti quàm non, qui ſciuerint Eccleſiam maiorẽ loci ſeruare quodcunque interdictum poſitum authoritate Sedis Apoſtolicæ vel Ordinariorum, debent & ipſi ſeruare: alioquin ſunt excommunicati : & idem de interdictis inductis per ſtatuta prouincialium Conciliorum, vel Epiſcoporum authoritate &c.*

Interdictum iuris eſſe veram censurã reſeruatã.

Hæc ille, quo nihil clariùs dici poteſt, vbi de Archiepiſcopalibus & Diœceſanis Statututis verba facit. Et vox (*quodcunque*) com-

AVXIT. plectitur interdictum iuris; cuius retentionem declarat alibi idem Author [y] ex cap. *Nuper*. De sent. excom. vbi dicit quòd si interdictum sit à iure, & conditor Canonis sibi nō reseruarit, *tunc poterit hoc Episcopus Ordinarius*: hoc est, Auxitana hæc censura approbata à Pontificibus veriùs reseruatur Archiepiscopo conditori ceu Comprouincialibus, quasi eam ipsimet condidissent, vt constabit ad calcem huius Tabellæ ex Diplomate Martini Papæ 5. Sensus autem seu ratio istius reseruationis intelligitur de culpa commissa per impedimenta quæ ponuntur & dantur inquisitoribus Episcopalibus, interdicto generatim promulgato: ídque censuræ genus si quis violauerit, nimirum si ante eius relaxationem diuina peregerit, irregularitatem de more incurret: Atque hinc excommunicatio præfatorum Religiosorum generale interdictum violantium, quanuis non reseruetur iure cōmuni, ex lege Clementis 5. tempore huiusce Constitutionis instituta, & conscripta parte 2. generali Artic. 19. tamen in hac prouincia videtur reseruata. Huius ergo explicationis præsidio, non ægrè exactior vsus præsentis articuli ac reliquorum erit hodie continuus: si vt par est, mox renouetur promulgatio: quod equidem Antistitum Cura ac pietate futurū speramus. Paritérque ratiocinandū circa interdictum quod habet artic. 11. secundi huius ordinis; etsi illic cum conditione statuatur;

y *sub* 2. *nu*. 16.

hîc verò absolutè eóque fortiùs, præsertim vt sit perpetuum. Interdictum autem definitur censura ecclesiastica, qua directè prohibētur diuina officia, sacramenta ac sepulturæ a-ctiuè & passiuè: non quatenus ista sunt communio humana Christianorum, quia hoc ad excommunicationem pertinet: neque etiam vt sunt facultas, vsus seu exercitium, quia sic ad suspensionem spectat: sed quatenus [a] sunt diuina seu ecclesiastica & sacra.

A V-XIT. *Quid triplex censura.*

[a] *Nau. ca. 27. ex nu. 164.*

7. *Si quis nuncios nostros, suffraganeorum nostrorum seu iudicum nostrorum suorúmque, missos per nos vel eos pro conuocandis Conciliis, Synodis, citationibus, vel executionibus faciendis per se, alium vel alios, clam vel palam impediuerit, arrestauerit, literas eisdem abstulerit, fregerit, deleuerit vel occultauerit, percusserit, vel in præmissis, vel aliquod præmissorum dederit consilium, auxilium vel fauorem, eo ipso sit excommunicationis vinculo irretitus.*

Textus exprimitur cit. loco §. 2. Estque dissimilis superiori articulo. Nam aliud est visitare, & aliud conuocare Synodum aut citare. Proptereáque iste erit sextus articulus peculiaris huic Sedi. Neque ritè potest contineri inter excommunicatos nemini reseruatos de quibus parte 2. articulis 28. vel sequentibus quatuor, cùm valde dissimilem complectantur materiam. Hîc tamen non reseruabitur, nisi hodie [b] ex dictis & proprio nutu Antistites prouinciæ id opportunum declarent, antecessorum Statutum sic interpretando.

[b] *art. 4.*

AV-XIT. Appẽdix. Hîc missum facimus, quod ibidem §.4.& 5. inhibetur reuocatio excommunicationis aut interdicti per metum exortæ sub præfata excõmunicationis eiusmodi cogentibus ipso facto inflicta. Quippe iam id totum est iuris communis, ex parte 2. gener. Artic. 29. & 33. nemini reseruato, nisi Præsules malint hoc anathema simili modo sibi ipsis reseruari.

8. *De excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiis, scilicet an iustè latæ fuerint, vel iniustè, vel de aliis causis specialibus, vel ecclesiasticis, seu aliàs ad forum Ecclesiæ de iure, vel de antiqua cõsuetudine spectantibus, se nullatenus intromittant Domini vel iudices temporales: nec iudices ecclesiasticos nec super ipsis recurrentes ad ipsos in huiusmodi quomodolibet impediant vel perturbent, nec super prædictis dent consilium, auxilium vel fauorem: aliter prædicta excommunicationis sententia sint ligati, quæ nisi satisfactio facta priùs fuerit minimè relaxetur.*

Cum reseruatione conditionali. Iste textus insinuatur præfato libro, capite 13. De immunitate Ecclesiæ. §.4. Et veriùs dicitur septimus Casus hîc specialis: quem credibiliùs est reseruari, præsertim ob satisfactionem requisitam antequam detur absolutio. Forma enim temporalis restitutionis ablatorum est præscribenda ab Episcopo, saltem in quatuor Casibus expositis articulo 25. Senonensi: qui modus licèt sit fori externi iure communi: tamen facilè Episcopi istius prouinciæ hinc reseruationem interni dedu-

cent. Cuius ſanè rei argumentum ex eo confirmatur quòd præueniendæ ſatisfactionis conditio non ita efflagitatur in vtroque ſuperiore Caſu. Quod ſi priùs fiat ſatisfactio, culpa nemini reſeruatur. AVXIT.

9. *Quicunque fugientes ad Eccleſiarum tutelam ibidem vulnerauerit, mutilauerit, interfecerit, victualia ſubtraxerit, vel ne habere aut dare eis valeant impediuerit per ſe vel per alium ſeu alios, aut custodes ne exinde exire poßint quoquomodo poſuerit, incenderit, inde extraxerit violẽter, aut aliquod prædictorum fieri præceperit vel procurauerit, ſeu conſilium vel opem adhibuerit, excommunicationis ſententiæ ſubijcitur ipſo facto, præterquam in Caſibus à canonibus permiſsis.*

Ineſt textus ille cap.14. *De confugientibus ad Eccleſiam* §.1.& 2. Qui iam creditur reſeruatus ex 4. membro articuli 4. partis 3. generalis: quatenus eiuſmodi peccatores violant eccleſiaſticam immunitatem. Sed hîc adiungitur anathema iuris per totam prouinciam: quæ tamen ſi ſeorſum & præcisè ex vi præfati textus cõſideretur, nemini reſeruatur, cùm abſolutè enuncietur. Caſus autẽ quibus nõ licet tales è tẽplo extrahere niſi ſub præfata pœna, ſunt hi, ſcilicet quãdo quis eò confugit ob debita & ſæuitiam domini perſequẽtis, extra quam reus, domino reddi debet ſub cautione de nõ ſæuiẽdo: ſunt inſuper illi qui violato carcere aut à iuſtitiæ miniſtris dilapſi, ad eam Eccleſiam confugiunt: ſunt iterum percuſſores *Non trahendi ex Eccleſiis.*

AVXIT. Clericorum vel homicidæ qui extra Ecclesiam crimen perpetrant, omnes sacrilegi extra ipsam, exul, obligatus ad reddendas rationes, & mercator decoctor. è contrario, Casus seu crimina in quibus decet imò oportet vi quẽpiam ab Ecclesia subtrahere citra metum præfatæ pœnæ, sunt hæretici, pagani, nisi quando fideles fieri volunt, sunt blasphemi propriè sumpti [c], viarum grassatores, nocturni segetum & fructuum vastatores, occisor aut qui mutilat in loco sacro, mediocris percussor qui ad eundem locum sacrum animo occidendi aduentarit, quíque ex Ecclesia aliũ extra Ecclesiam existentem percutit, idue iubet: sunt præterea illi qui existentes extra ipsam Ecclesiam percutiunt hominem existentem in ea, & ij qui ex ea sponte egrediuntur, vel qui ex ipsa Ecclesia se iniustè defendentes pugnant: sunt denique illi qui prope eam delinquunt animo ad ipsam confugiendi, qui eandem comburunt aut deijciunt, & Clerici in minoribus cõstituti qui carent beneficio ecclesiastico, seu clericalem habitum vel tonsuram non deferunt [d], si quid præstent horum malorũ quæ præmisimus. Tales enim tum minimè gaudent clericali priuilegio. Nauarrus cap. 25. à nu. 17. ad 22. Aduertendum verò quod latiùs patet locus sacer quàm Ecclesia adeóque ex vi textus prohibetur duntaxat extractio ab Ecclesia sub pœna anathematis iuris: nõ autem ex alijs sacris locis propositis

Extrahendi.

c art. 13. Senonen.

d Conc. Trid. sess. 23. De Reform. c. 6. Emanuel ver. clericus.

positis in Casu 21. Lugdunensi, nisi sub pœna solius culpæ mortalis fortassis in communi reseruãdæ, ex ijs, quę diximus parte 3. gen. art. 4. de violatione ecclesiasticæ immunitatis per pollutionẽ Ecclesiæ seu perinde cuiuscunq; loci sacri. Paucis tandẽ cõmemoramus quòd §. 3. 4. & 5. addit textus & præcipit vt *quicunq; facientibus talia cõsiliũ aut opem impendũt, beneficia & feuda, si quæ ab Ecclesiis taliter violatis obtinẽt, ipso facto amittant & ad ecclesiã reuertantur. Tum, quousq; plenè satisfecerint christiana careãt sepultura, etiamsi in articulo mortis ab excõmunicationis sententia super prædictis à quoquam forsan fuerint absoluti. Denique, filij eorundem non possint de prædictis aliqua obtinere & ad beneficia ecclesiastica ex tunc assequenda eo ipso efficiantur inhabiles.* AVXIT.

En pœnæ multùm adauctæ circa res externas citra forum conscientiæ. Quæ quidem primùm à Domino Symone[f] quondam Legato Regni Franciæ sapienter emanarunt. Et postea Præsules Auxitanæ prouinciæ eas expresso statuto fecerunt peculiares.

[f] *c.11. de officio Legati, & hîc.*

Hîc non nisi obiter adumbramus caput 15. fol. 5. De obseruatione iuramenti §. 3. vbi excommunicati pronunciantur (sine reseruationis commemoratione) *illi omnes qui noua pedagia constituunt, & qui antiqua ad clericos & res ipsorum extenderint.* Nam in facto notorio hęc pœna deinceps facta est reseruationis Papalis in Bulla Cœnæ Domini ex artic. 37. partis 1. gener. ad quam accedunt veteres Con- *Appẽdix.*

V

AVXIT. ſtitutiones etiam prouinciales de ſimili quoque materia. Quippe recentior lex antiquiorem circa idem obiectum irritat. Hinc eiuſmodi imponentes gabellas cum vectigalibus ſeu portorijs in facto occulto à ſolis Epiſcopis aut generalibus Vicarijs vbique poſſunt abſolui, iuxta Articulum 4. partis 2. gener. Præterimus quoque conditionatam quandam cenſuram capitis 17. circa alienationes dotium mulierum; cùm videatur parui momenti, & ſatiùs relinqui debeat arbitrio aut renouationi R.R. Præſulum.

De periuris.

10. *Statuimus vt quicunque in tranſgreßione iuramenti manifeſtè fuerint deprehenſi, ad mandatum noſtrum, Suffraganeorum vel Officialium noſtrorum &c. in Eccleſia eorundem publicè denuncientur periuri: qui ſi admoniti ſatisfacere noluerint, ex tunc excommunicentur candelis extinctis, &c. & denuncientur inteſtabiles ac infames. Nec ad teſtimonium vel ad actus legitimos admittantur: nec in foro pœnitentiæ præterquàm in mortis articulo abſolui valeant &c. Et hoc frequenter in Eccleſiis Cathedralibus & Paræcialibus præcipimus publicari. Officiarij autem qui in obſeruatione prædicti Statuti negligentes ſcienter extiterint, ipſo facto ingreſſum Eccleſiæ vſque ad menſem ſibi nouerint interdictum.*

Cum reſeruatione.

Definitur Caſus ex cap. 18. *De periuris*. fol. 5. Circa quem tria dicere competit. Primùm, excommunicatio nõ eſt iuris, ſed hominis & comminatoria, proindéque ſoli ſuperiori qui proferet reſeruabitur. Secũdò, citatum inter-

dictum personale est quidẽ iuris, sed vix creditur eius violationis absolutionẽ esse reseruatam seorsum sumptam, hoc est absque illo mortali delicto. Ratio est quia id interdictum nõ absolutè indicitur vt sit perenne, sed temporale ac infirmum: quę conditio non deprehenditur in interdicto articuli 6. Neque videtur obesse dictum Nauarri, vbi monet interdictum tẽporale relaxari per Papam: quasi ei reseruetur. Nam facilè ex eius textu & verbis concipitur id intelligi de interdicto non à iure sed ab homine tanquam fortiori, eóque veriùs à Põtifice promulgato, cùm eidem reseruetur. Itaq; neque præfatum leuius interdictum, quod non censetur reseruatũ neque cessatio à diuinis seu horum violatio (cùm in hoc paria videantur) inducunt irregularitatẽ, veluti negatiuè colligitur ex alijs Authoris locis[g] & ex suspẽsione partiali seu pariter cõditionata. Tertiò quod attinet ad culpã præcisè cõsideratam: sanè reseruatio culpæ periuri non satisfacientis haud obscurè patet, ex eo quòd vetatur eius absolutio vsque ad mortis articulum. Quippe reseruationum natura est vt durẽt vsque ad id tẽpus: tunc enim omnes reseruationes etiam Papales cessant. Adeóq; discrepare non videntur istæ duæ loquendi formulæ: nimirum aliquid in foro interno reseruari, & quẽpiam à culpa absolui nõ posse, nisi in mortis articulo. Porro præsentẽ reseruationẽ confirmant tũ textus allatus ad ar. 35.

A V-XIT.

g n. 163. in 2. 3. 4. 5. & nu. 188.

AVXIT. tum adiūctæ pœnę ciuiles præsentis loci, quæ sunt infamia & cæteræ exteriores in textu recensitæ præter interdictum, tanquam eius effectus. Ob quas pœnas hic prouincialis locus excedit pœnas toti Ecclesiæ communes circa periuros, de quibus habet caput 3. *De iureiurando*. lib. 2. in sexto, authore Nicolao 3. annis 27. ante præsentem Sanctionem. Exteriores autem aliæ pœnæ quæ scandalum ingenerant & infamiam inurunt peccanti, satis denotant consentaneum esse rationi vt culpa reseruetur. Vnà autem cum culpa in interiori foro deleri assolet interdicti censura. Ad extremū, iste articulus nunc clarissimè docet hos omnes inferioris Aquitaniæ Casus esse verè prouinciales: scilicet quia R. Archipresul hāc statutorum obseruationem disertè præcipit Ecclesijs Cathedralibus, hoc est Coepiscopis seu Suffraganeis, quorum meminit ipse articulus & septimus. Sicque nullus superest ampliùs ambigendi locus. Latior periurij definitio habetur Casu 29. Lugdunensi & 18. Belgico: hactenus absque vllis censuris iure communi.

Appēdix de exceptionibus Subest caput 19. *De exceptionibus*. in re per Ecclesiam iudicata cum quodam interdicto iudici seculari imposito, quandiu exceptionem admittere recusauerit, ex folio 6. Sed iam id genus litis ecclesiasticæ est iuris communis ex tit. *De exceptionib*. lib. 2. Decret. cap. 2. in 6. vbi adest comminatio anathematis & debitæ castigationis. Quod idem pene est, vel

ſaltem diſcrimen in pœna eſt leuis momenti. A V-
Habebitur etiam ratio modi quo hodie lites X I T.
tractari ſolent. Vide in 1. parte general. articulo 19. & 20. Ad quem pariter locum remittendus eſt titulus ſequens de Appellationibus. Nam quadraginta annis poſt iſtius Caſus conſtitutionem, ſub Philippo Valeſio Rege, Parlamentum regium factum eſt ſtationarium: ab eóque tempore poſſeſſoriæ lites eccleſiaſticæ in Gallijs deuolutæ ſunt ab eccleſiaſticis Iudicibus ad regios: adeo vt ab illis Epiſcopalibus Iudicibus ad hos regios nullæ hodie moueri ſoleant circa poſſeſſorium appellationes. Propterea ceſſat vis interdicti prouincialis: cùm Sedes Apoſtolica non improbet hunc litigandi modum in Francia, Hiſpania & alijs ferè locis.

De Appellationibus.

11. *Corpora laicorum non ſepeliantur intra Eccleſias ſine licentia Prælati & Rectoris, quamuis ab antiquo haberēt ſepulturas: alioqui eoſdem (ſepelientes) excōmunicationis ſententiæ volumus ſubiacere.*

Sine reſeruatione.

Hic textus ſupponitur capiti 25. *De non ſepeliendis in Eccleſ.* §. 1. fol. 7. an vero abſolutio huiuſce excōmunicationis ſit reſeruata & quomodo contrahitur irregularitas, ſi cēſura violetur, dictum eſt articulis 3. 4. & 5. huius poſterioris ordinis. Eſt autē iſte Caſus octauus prouinciæ Auxitanæ peculiaris, nec aſpernandus.

12. *Quicunque extra ſuam parochialem Eccleſiam, in qua deceſſit, elegerit ſepulturam, matrici Ec-*

AV- XIT. *clesiæ solenniter præsentetur, & eidem reddatur de funeralibus debitum, prout de iure vel in Parochia fieri consuetum est: & contrarium facientes ipso facto subiacent ecclesiastico interdicto &c.*

Sinetuta deseruat. Absolutum hoc interdictum in lege solenniter promulgata vim habet reseruatã, si iterum renouetur, non aliter: quatenus est præcisè vna ex tribus ecclesiasticis cẽsuris, ex dictis in art. 6. Estq; Casus nonus hîc proprius, *Cit. fol. 7.* qui eruitur ex cap. 26. cui titulus adscribitur, vt ius Ecclesiæ Parochialis seruetur. §. 1. paucissimis verbis immutatis vt breuitati studeremus. Tum §. 2. & 3. subijcitur anathema iuris aduersus exenterantes corpus alicuius defuncti in frusta, vt ossa seiũcta à carne alibi tumulentur impio pietatis affectu. Sed illud *Appẽdix.* iam ante docuimus Papæ reseruatum 1. parte art. 16. quod etiã fatetur præsens locus. Vltimò, sequenti cap. 27. sub pœna excõmunicationis ab homine, per Parochum indicẽda de præsenti mandato Antistitis seu positi iuris ac statuti, prohibentur parœciani per duos Dominicos dies cõtinuos abesse ab integra Missa parœciali. Minorem verò pœnã habet Synodus Parisiensis nu. 7. vbi talium negligẽtia, præcedente monitione, præcipitur tantùm à Parocho deferenda Episcopali promotori ad debitam pœnam reo intimandam.

13. *Tam detentores decimarum ante ipsarum restitutionem, quàm eorum filij, vxores & familiæ sepultura careant christiana: nec ipsi nec eorũ filij vsq;*

ad quartam generationem inclusiuè ad tonsuram clericalem, cæteros ordines, vel ecclesiastica beneficia aliqua admittantur &c. sed eorum benficia aliis liberè conferantur: Si nostri Ordinarij prædictis hæc contulerint, ab illorum collatione eo ipso se nouerint suspensos, & loca vbi sepulti fuerint, per annum ecclesiastico subiaceant interdicto. A V-XIT.

Hîc disertè culpa detentorũ eiusmodi non reseruatur, sicut in art. 18. Arelatensi: tamen quia grauiores pœnæ fori exterioris hîc quã illic adhibẽtur, quæ implicitè reseruationem supponunt, ideo eiusmodi culpa credi possèt reseruata ex supradictis. Quippe tales cũ tota progenie priuãtur iure suscipiendi ordines ac Sacerdotia, quæquidem pœnæ forẽses seu externæ non nisi excõmunicatis æquiualentibus nominato solent attribui ex repetitione facta art. 1. Præterea, vetatur omnimoda absolutio etiam morte instãte, nisi reipsa restituerint, perindéque tanquã impœnitentes & decedentes carent sepultura. Eã ob causam RR. Præsules hodie viderint an seriò volent, has detẽtorum culpas reseruari. Temporalis autem suspensio quæ collatoribus ideo infligitur, nõ nisi fori exterioris est, neq; sacra exercitia impedit. Vnum duntaxat interdictũ locale temporale vim suam retinet: adeóque peccatum lethale committunt illi qui ante annum elapsum in illis Ecclesijs diuina faciunt, præterquàm festis diebus, ianuis clausis, non pulsatis campanis &c. ex Summu- *Sine reseruat.* *Interdicti obseruandi ceremoniæ.*

AVXIT. ſarijs apud Nauarrum caput 27. numer. 173. ſine alia pœna iuris. Non reſeruatur tamen, opinor, quia cùm ſit conditionatum ſeu annuum & temporale tantùm, non eſt abſolutum. Hunc textum complectitur caput 29. *De decimis*. §. 3. 4. & 5. vbi hæc ſubduntur: *Quã conſtitutionem in Synodis frequenter præcipimus publicari, vt nemo ſuper iſtis ſe valeat per ignorantiam excuſare.*

Adhortatio ſanè digniſſima quæ ad praxim reuocetur: vt quiſque legem norit, & Caſus ſtudioſè obſeruentur. Idémque repetunt capita 32. 33. & 34. Imò plura addunt hoc verborum tenore: *Denunciamus omnes laicos vtriuſque ſexus ſeu conditionis qui vel quæ decimas Eccleſiarum detinent occupatas in noſtra prouincia Auxitana, excommunicatos, & eorum ſententias aggrauando, vxores eorum, filios, filias & familias interdictos.*

Vides anathema iuris cum periculo expoſitæ irregularitatis [h] & interdicto [i] abſoluto. Subiungitur verò circa hæc ſtatuta & nomine R. Archipræſulis, textus qui ſequitur, pro noua Caſuum prouincialium demonſtratione: *Per nos* (ait) *& per prædeceſſores noſtros in prouincialibus Concilijs hactenus celebratis quò detentores decimarum* &c. ſed Pergamus.

h *ex ar.* 11.
i *ex art.* 6.

14. *Archidiaconus viſitare volens, in principio ſuæ viſitationis omnes quos ſecum ducere voluerit ſic informet, quòd nec ipſe nec quiſquam ſuorum aliquid muneris qualitercunque offeratur recipiat. Alioqui percipientes vſque ad reſtitutionem dupli illius quod*

receperint, Ecclesiæ vel Rectori à quo receperint faciendam teneantur, & excommunicationis sententiæ ipso facto se nouerint subiacere. Archidiaconus autem contra præsentem constitutionem in aliquo veniens, tandiu ab officio eo ipso nouerit se suspensum, quousque de duplo huius si receperit & vltra per ipsum fuerit plenariè satisfactum: nulla eis in hoc remissione, libertate, seu gratia valitura. AVXIT.

Exprimitur Casus capite 37. *De censib. &* §. 5. & 6. fol. 11. Estque nouus articulus huic prouinciæ peculiaris. De cuius anathemate non reseruato & irregularitate inde postmodum suborta, sæpe dictum est suprà. Suspensio autem cùm sit absoluta, aut saltem indefinita, intelligitur reseruata Episcopis vel Archipræsuli de iure communi, siue statuatur à summo Pontifici & in œcumenico Concilio, siue in Synodis Episcopalibus, veluti fusè tradit Nauarrus cap. 27. nu. 162. Idémque sentiendum de præfato interdicto tanquam absoluto. Nomine verò munerum quæ sub præfatis pœnis ab Archidiacono & socijs recipi prohibentur, non concipiuntur iura præcisè accipi solita. Nam idem caput §. 2. ne Archidiaconi multo onere grauentur, statuit quòd vel prandium tribuatur, vel *pecunia à nolēte dare, quam pecuniam pro vna procuratione integra 30. solidos Turonenses recipiat visitata Ecclesia &c. prout suppetierint facultates &c.* Vetantur ergo soli excessus, fraudes vel occulta munera. Et pariter prohibetur ne visitando *vltra quinque*

A V-XIT. *equitaturas, incedat cum pluribus quàm cum quinque peditibus, non cum canibus & auibus venatoriis.*

15. *Ecclesia nondum consecrata, attamen diuino cultui dedicata, si polluatur seminis aut sanguinis effusione hominis violenta, vel sepultura excommunicatorum, interdictorum* *, *hæreticorum, schismat. pagan. seu Iudæorum, nec ossa discerni & exhumari poßint* (comprehenso cœmeterio) *per Episcopum tantùm aspersione aquæ benedicatur: si vero inferior ipso Ecclesiam aut cœmeterium huiusmodi, vel etiam consecratam reconciliare præsumpserit, eo ipso Ecclesiastico supponatur interdicto.*

** nominatim.*

Hoc interdictum personale & absolutum est noua pœna verè prouincialis atque Episcopis reseruata: adeóque legitimè promulgatum vim iuris sortitur, * necnon est decimus Articulus hîc proprius. Nulla enim Ecclesiastica pœna communi iure hactenus legitur ijs imponi qui templum nondum consecratum polluunt violenta sanguinis effusione aut data mortis causa, testibus 10. Capitibus tit. De consecrat. Eccles. * vbi certè tantùm abest quòd personalis interdicti pœna infligatur Parochis aut alijs inferioribus Episcopo, qui Ecclesiam nondum consecratam atque sic pollutam reconciliant: quin potiùs ita loquitur Nauarrus cap. 27. num. 256. dum admittit Ecclesiam etiam non

** art. 6. Cum reseruat.*

** lib. 3. Decret. tit. 40.*

consecratam pollui: *Reconciliatio consecratæ* (inquit) *debet fieri ab Episcopo & cum aqua benedicta ab ipso.* Cap *Aqua* loco cit. *non consecratæ verò potest fieri à solo presbytero & cum aqua ab ipso benedicta.* AVXIT.

Quod equidem infert idem Nauarrus ex cap. vlt. si Ecclesia. ibidem. Propterea, cùm hic textus Auxitanus nolit inferiorem presbyterum posse Ecclesiam siue consecratam (siue præsertim non consecratam) reconciliare sub pœna interdicti, sanè est ius particulare seu prouinciale. Ad quod pœnæ genus, minimè spectat gratia immunitatis quã Gregorius 9. in genere tribuit Ecclesiæ non consecratæ, Cap. Ecclesiæ. De immunit. Eccles, lib. 3. Nihilominus eò pertinet Ecclesia destructa & renouata, proindéque consecranda, quia habetur pro noua, ex Glossa cap. Proposuisti. ibidem. * Cauendum est tamen ne post pollutionem benedicatur ab Episcopo notoriè excommunicato: quia eo ipso iterum polluta est, Nauarr. num. 258. Cæterùm peccatum eorum qui templa polluunt hoc solo nomine, & præcisè non reseruatur, quo pacto retinetur articulis 14. Parisiensi, clariùs 7. Bituricensi, & 5. Narbonensi. Narratur textus Auxitanus cap. 39.* de consecrat. Ecclesiæ. Et simile latiùs habet Caput 72. fol. 23. Vide Articulum 24. & 25. Viennensem.

Et Emanuel verbo. Ecclesia.

** De consecr. Ecclesiar.*

** fol. 11.*

16. *Iudices seculares cuiuscunque conditionis, si*

AVXIT. *ſuas cauſas maximè de ſanguinis effuſione & corporali pœna in Eccleſijs vel cœmeterijs audeant agitare, ſtatuta, aut parlamenta facere, niſi ad pietatem ſuadeant, per publicationem præſentis edicti, excommunicationis ſententiæ ipſo facto volumus ſubiacere: proceſſus eorũ nihilominus careãt roboris firmitate.*

Hic Caſus, quia pugnat aduerſus Eccleſiaſticam immunitatem, cenſetur in communi reſeruatus, ſiue cenſuris ex parte 3. generali Articul. 4.[k] quia ſcilicet nullas cenſuras proferunt Lucius Papa 3. & Gregorius 10. qui antea eiuſmodi Parlamenta inhibuerũt cum ſola proceſſus nullitate. Attamen ſi vetus iſte textus præcisè ſpectetur, peccatum eorum qui ſolum parlamenta faciunt, non reſeruatur. Conſtitutiones etiam Auxitanæ adiungunt anathema iuris pariter nemini reſeruatum, ſed irregularitati obnoxium. Textum autem Vide cap. 45. fol. 23.

k *in* 1. & 2. *ſpecie.*

Appendix. Præterimus caput 46. de ijs excommunicatis qui vetãt ne obſequia Clero exhibeantur: quia iam ſine reſeruatione habetur parte 2. gener. Artic. 34. ex Bonifacio 8. eodem fere anno precisè quo facta eſt hæc conſtitutio. Sedit enim ab anno 1294. Et eius etiam meminit iſte locus: qui ab illo diſcrepat, niſi Prouinciæ Antiſtites cenſuram hodie reſeruatam quoque eſſe velint.

Sine reſeruatione. 17. *Excommunicamus & mandamus denũciari excommunicatos publicè omnes concubinarios, vſurarios, adulteros manifeſtos,*

Casus apertè non reseruatur. Sed tamen censura iuris infligitur in hisce Episcopatibus: quia textus legem & statutum notat, maximè quia concludit hoc pacto: *Excommunicationis sententiam incurrant ipso facto*. Et quo ad hanc censuram superat articulos 3. Lugdunensem 24. Bituricensem, 8. Ebredunensem, & 12. Rhemensem ratione cōcubinariorum: deinde articulos 25. Lugdunensem, 12. Tolosanum & 30. Ebredun. ratione vsurariorum: ac denique articulos 11. Parisiensem, 3. Narbonensem & 10. Tolos. ratione adulterorum: quia omnes hæ Diœceses atque Prouinciæ reseruant duntaxat absque vllo anathemate. Hîc autem prima species adeò vniuersim describitur, vt laïcos ac mulieres etiā concubinas sub communi genere complecti videatur, modò sint notorij, etsi locus Ebredunēsis occultos describat. Habetur præsens Casus in manuscripto volumine cap. 47. De sent. excomm. *§. 1. Vbi adhibentur anathemata in Religiosos sine habitu & venia exeūtes iam citra reseruationem excōmunicatos ex part. 2. gen. art. 21. 22. & 23. Tum §. 2. eiusdem Voluminis includūtur ij qui statuta Ecclesiasticę libertati aduersantia cōponunt dudum excommunicati, & ad Papam remittēdi ex par. 1. gen. art. 42. Nisi discrimen fortassis dicatur in eo consistere quòd reseruatio Papalis sit de solis statutis quæ vniuersalem Ecclesiam respiciunt, aut saltem nationum vel

A V. XII.

* *Alia cap. 77. fol. 24. & 37. extremo. Appendix.*

AVXIT. Regnum, vt verum est ex Sũmularijs loco citato. Hæc verò censura Auxitana seu etiam Episcopalis reseruatio credatur esse de statutis contra libertatem solius Diœcesis eiusue membrorum, vtpote Decanatus, Capituli, parœciæ, quæ priuata loca plerunque habent peculiares immunitatis suæ leges non vtique violandas.

Digna admonitio.

Cæterùm optimè hîc diximus præfatas excommunicationes in concubinarios, vsurarios & adulteros esse à iure & statuto, non autem ab homine seu iudice. Id est istæ excommunicationes Auxitanæ non sunt comminatoriæ solùm seu monitoriæ Curionum erga plebem præuentiones, quales vulgò solent à Parœcis Sacerdotibus proclamari in suis concionibus dominicalibus aut Proanis (sicuti loquuntur legendæ & Synodi Rhemenses in eiusmodi vsurarios &c.) de quibus sermo est parte 2. gener. artic. 4. Illæ enim aliæ sunt veriùs meræ obiurgationes & comminationes, vel etiam excommunicationes ab homine, iuxta potestatem ordinariam, quam fortè in quibusdam locis nacti sunt inferiores Ordinarij seu Parœci acceptã à suis Episcopis siue expresse siue ex tacito veterique illorum consensu. Nequaquam autem sunt excommunicationes à iure in alijs locis editæ (etsi contrarium opinetur vulgus) quàm in hac Auxitana prouincia, vbi etiam editæ sunt lingua Latina tanquam cunctis nationibus

De censoris parœcialiũ Proanorum.

communissima. Quippe id minimè legimus firmo statuto ab alia quapiam prouinciali congregatione aut Episcopali Synodo per distinctum Articulum fuisse constitutum. In libris quidem parœcialium Manualium Diœcesis Parisiensis, totius Archiepiscopatus Rhemensis, Viennensis & alijs passim legimus sanè, & Lutetiæ præsertim in vsu positum videmus, quòd Parœci Sacerdotes contextum libri teneantur legere populo vulgari idiomate, aut saltem de veteri more habent legendum, in quibus denunciantur excommunicati vsurarij, adduntur & fures seu latrones, sortilegi ac falsifici in pondere mensuráque & alij. Verùm nos cum prudentioribus aduertimus esse duntaxat monitiones, non iura seu statuta. Ratio est, quia quod statutum est distinctè, ex Synodo & Concilio Episcopali, id inter Casus debet conscribi ac posteris hoc nomine promulgari.

AVXIT.

Cap. de Proanis.

At verò inter Casus Synodi Parisiensis, Rhemensis, Viennensis aut aliarum Diœceseum, quos studiosè conquisitos nacti sumus, & hîc congessimus, profectò simile nequaquam dictum conspicimus in concubinarios vel cæteros, sed solummodo in Auxitana prouincia: quem propterea Articulum nostro seculo apud hodiernos Prouinciæ istius pastores meritò in

AVXIT. vsu haberi debere arbitramur, memores sapientissimi suorum antecessorum Statuti nec forsan abrogādi. Quamuis autem in præfatis aliarum Ecclesiarum Proanis seu libellis adiungātur ij qui manu violenta Clericos percutiunt, qui quidem verè sunt excōmunicati à iure ac reseruati[k]: non tamen sequitur cōcubinarios & socios peccantes ibidémque locatos, pariter ipso iure percuti eodem quoq; anathemate. Quippe de Clericis habētur vetera statuta, at de istis reliquijs minimè gentium. Tota verò forma & ratio petenda est ex Statuti robore, non ex sola proclamationum consuetudine.

k ex Tab.1. gen. art. 1.

18. *Excommunicamus & excommunicatos prouinciæ denunciari præcipimus creditores, qui instrumentum soluti debiti detinent, nisi infra quindecim dies, si commodè fieri poterit, restituerint requisiti ipsum instrumentum debitori, vel alij legitimo pro eodem vel saltem ipsum cancellauerint ac fregerint instrumentum infra dictum terminum.*

Cum reseruatione.

Vtilis Casus, insitus citato cap. 47. §. 4. fol. 14. vbi tandem subditur: *Et hanc constitutionem frequenter in Parœcialibus Ecclesiis prouinciæ Auxitanæ præcipimus publicari*. Estque vndecimus hîc totus peculiaris. Eius censura iuris non reseruatur, nisi forsan ad nutum & legitimam interpretationem R.R. Antistitum, aut Generalium Vicariorum ex locis repetitis, Artic. 11.

19. *Supponimus*

19. *Supponimus ecclesiastico interdicto omnem locum prouinciæ Auxitanæ, vbi manifesta rapina Ecclesiarum Religiosorum, Clericorum, vel personarum Ecclesiasticarum reponitur, quandiu dicta rapina ibi fuerit, vel Clericus aut persona Ecclesiastica contra voluntatem sui Prælati inibi capta à quocunque detinetur: & si de loco in locum mutata fuerit, primus locus & alia vnde & vbi mutatur vsque ad dignam satisfactionem eo ipso Ecclesiastico remaneant interdicto. Etsi de prædictis quispiam consenserit scienter, ipso facto pœna consimili sit ligatus.* AVXIT. *Cum reseruatione.*

Hîc priùs statuitur interdictum locale & in prouincia generale, idque valde solene. Quatenus verò tale interdictum non includit personas loci incolas quæ non sunt causa positi interdicti siue à iure siue ab homine: propterea fit vt ipsæ possint audire diuina officia & dare ac recipere sacramenta in alio loco non interdicto, quia in isto interdicto (vt supponitur) prohibentur sacra fieri, ex Nauarro [m]. Posterius hîc connectitur interdictum personale in consentientes, quo iterum sensu fit vt interdicto solo populo vrbis alicuius, non tamen prohibeantur sacra fieri in Ecclesia eiusdem vrbis, in qua reposita non est rapina rerum clericalium. Cæterum, præterquam quòd isto prouinciali iure interdicuntur tales personæ in Clerùm sæuientes, etiam ipso facto ex vniuersali Ecclesiæ præscripto sunt excommunicatę tanquam reę personalis ac rea-

m *Cap. 27. nu. 167.*

AVXIT. lis sacrilegij aduersus Ecclesiasticam libertatem, & partim Papæ reseruantur ex par. 1. general artic. 10. 11. 15. 17. 40. 41. 44. Notandum tamen quòd illi iure communi non ligantur anathemate qui solitarium furtum committunt rei sacræ sine fractione Ecclesiæ: hîc autem sic, vi præsentis legis prouincialis de quibus par. 2. artic. 10. Et cuncta hæc interdicta pro absolutionis beneficio facilè Episcopis reseruantur, tum ob connexum anathema, tum ob rationes articuli 6. Auxitani. Non videtur autem hoc interdictum complecti eos qui rapiunt exteriora ecclesiæ seu Clericorum bona. Verùm leuissima est hæc exemptio. Etenim tales iam sunt vbique excomunicati, & partim Papæ reseruati, partim nulli, ex articulis duarum generalium Tabullarum citatis ad calcem articuli 4. partis 3. generalis. contextus habetur Cap. 48. *De interdictis* §. 1. fol. 14.

Sine reseruatione.

20. *Excommunicamus & excommunicatos prouinciæ denunciari præciuimus Barones, Consules, Baiulos, & alios quoscunque qui reclusos leprosos ratione personarum vel patrimonij ipsorũ ausi fuerint talliare, vel aliquid pro tallia exigere ab eisdem, nisi sic exacta infrà 15. dies plenè restituerint requisiti.*

Adest citato Cap. 48. §. 2. fol. 14. vbi plura connotantur, scilicet collectæ & annui nummi à Clericis & religiosis accepti, eademque repetuntur Cap. 61. fol. 18. Verumtamen Clerum in hoc textu non commemoramus: quia eorum anathema qui illos ad hæc laïca & an-

nua onera cogunt, iam Papæ reseruatur, ex Bulla cœnæ Domini, ad quam anteriores de simili materia canones ac pœnas necessariò referre oportet: de quibus parte 1. gener. artic. 35. & 37. Illícque citatur Decretalis Non minus[n] in qua nihilominus subiungitur quòd potest Episcopus cum Clero in necessitate præbere subsidia, *ad releuandas communes vtilitates* (ait) vbi *laicorum non suppetunt facultates.* A V-XII.

n de Immunit. Eccles.

Et in eo Casu vix hodie cēsentur Dynastæ vel collectores excommunicati, qui ab ecclesia aut à leprosis modestè nec magna vi nummos petunt ex consuetudine perspecto præsenti ordinis ciuilis & rerum statu. Sed habebuntur excommunicati illi qui nouissimè onera adaugent vel imponunt ex loco cit. Bulla autem, & reliquæ Sanctiones, itemque commentarius Nauarri, minimè complectuntur leprosariorum possessiones ac fundationes, quarum leprosi eorúmue administri sunt dispensatores, neque ipsos leprosos aut eorum patrimonia, cùm sint laica. Quapropter, hac in parte, iste Casus est prouinciæ Auxitanę, peculiaris in qua leprosorū patrimonia isto exēptionis donantur priuilegio, intuitu certè pietatis. Excommunicatio tamen nemini reseruatur.

21. *Personæ ecclesiasticæ vel earum bona pro alijs nō pignorētur. Contrarium facientes nisi de præmissis satisfecerint, infra mensem ipso facto sint excommunicationis vinculo innodati. Vniuersitates locorum ecclesiastico subiaceant interdicto.* *Sine reseruatione.*

licentur, & faciāt à subditis inuiolabiliter obseruari. AVXIT.

Persimile autem repetunt Capita 55. 56. 58. & 59. aduersus occupantes bona Ecclesiæ fol. 17. deinde sequitur egregia superiorum confirmatio ab arti. 4. ad verbum ex præfato codice deprompta fol. 14.

Publicatæ fuerunt prædictæ constitutiones apud Xugariolum die lunæ post festum B. Andreæ Apostoli in Concilio prouinciali celebrato per Reuerendum in Christo Patrem D. Amaneum diuina miseratione Archiepiscopum Auxitanum: Præsentibus & aßistentibus sibi venerabilibus Tarniensi Tarbes, Conuenensi (aliis Conuenarum)* Condon, *Lactorensi, Vasatensi, Basas,* Aquensi, Aix, *Olorensi, Oleron, Lascurensi, Adurensi, aire, Conseranensi, Conserans, Baionensi Baione,° & quàm pluribus Abbatibus, Prioribus & aliis subditis Prouinciæ Auxitanæ Sub anno Domini milleßimo* CCC. III.

* *ab art. 4. Coepiscopibus prouinciæ.*

Aliud Conciliū prouinciale.

° *Alii adducunt ledroensem.*

Tum ibidem immediatè apponitur hæc inscriptio atque præfatio de tempore Constitutionis subsequentium.

STATVTA PROVINCIAlia sub anno MCC.XC.

NOtum sit omnibus quòd anno Domini millesimo cc. xc. die Sabathi post festum Assumptionis B. Mariæ Virginis Vener. A Dei gratiâ Archiepiscopus Auxitanus, assistentibus apud Nugariolum in Concilio pro-

Aliud Conciliū Prouinciale.

AVXIT. uinciali cum venerabilibus Fratribus nostris Conserranẽsi, Olorensi, Tarniensi, Lascurensi, Adurensi, &c. Necnon cum procuratoribus omnium Capitulorum, Ecclesiarum Cathedralium, Collegiatarum ipsius prouinciæ, & Abbatibus Pessani & Reule Syluestren. & Prioribus, præceptoribus, Archipresbyteris, & alijs Ecclesiarũ Prȩlatis, Diœcesis & Prouĩciȩ prȩdictarũ fuit cõcorditer ordinatum &c.

Sed iam ad propositum reuertamur.

Sine reseruatione censuræ.

23 *Quoniam sortilegia idololatriæ comparantur, per quam animæ damnabiliter decipiuntur: omnes qui sortilegi fuerunt & in dando consilio, excommunicationis sententia innodati declarantur.*

Iste Articulus habetur in præfato manuscripto codice Cap. 51. De sortilegijs fol. 15. Comprehendit autem vtentes incantatione & magia seorsum commemoratis. Articulis 24. Lugdunensi, 6. Parisiensi & 21. Galliæ Belgicæ. Estque communissimo iure Episcopis reseruatus, quo ad eos qui vtuntur magicis artibus & veriùs sine censuris ex 5. Casu. partis 3. generalis. Verùm hic locus Auxitanus addit excommunicationem ipso facto inflictam, cùm laicis tum etiam Clericis atque mulieribus. Quippe, licèt textus adeo generatim describatur, vt sexum non discernat discreuit tamen Caput 70. vel circiter. fol. 22. Vide vndecimum Casum Senonensem Propterea, Clericus huius criminis reus in

illa regione, si citra Episcopalem aut Vicarij generalis absolutionem sacra faciat, in irregularitatem subinde incidit, ex dictis suprà [p]. Nota tamen quòd hæc excommunicatio nemini ex textu reseruatur.

AVXIT.

p *Tab. 2. gen. Præfat. 2. & Tab. 3. in Appendice.*

Superiori Capite 50. sermo quidem est tum de raptoribus tum ijs qui literis abutuntur, iisque vtrinque excommunicatis: & locus ingerit solos abusus literarum Apostolicarum, alijs literis tacitus prætermissis. Sed de raptoribus iam patet parte 2. gener. Artic. 59. vbi iure communi nemini reseruantur, nisi prouincia id retinere intendat ad formam secundi Casus Lugdunensis. posteriores verò, nimirum falsifici literarum, parte 1. gener. Art. 5. vni Papæ reseruantur. In probationis exemplum, quo tota prouincia circa horum Casuum obseruationem astringitur & obligatur (nisi hodie aliud Prouinciale Concilium conuocaretur & aliqua forsan temperaret) exordium infertur hac verborum textura. *Quia per abusum literarum multi vexantur & affliguntur laboribus ac expensis: in prædicto Concilio extitit constitutum, quòd tam Clerici cuiuscunque status existant, qui literis Apostolicis abutuntur vel literis Legatorum sedis Apostolicæ &c.*

Appendix.

AVXIT. Cæterùm, falsifici cuiuscunque alterius literæ à Pontificia retinetur parte gener. artic. 3. communi sine censura.

Sene reseruat. 24. *Indicto Concilio institutum est quòd Clericus aut Religiosus cuiuscunque conditionis existat, qui Clericum aut religiosum super actu personali vel super crimine in iudiciũ vocari seu citari fecerit coram iudice seculari, excommunicationis sentẽtiæ subiaceat ipso facto, & citato de expensis satisfacere teneatur.*

Habetur censura Cap, 52. de sent. excom. sine vlla reseruatione. Estque totus duodecimus peculiaris istis sacris Sedibus. Differt enim ab Artic. 19. & 20. par. 1. gener. Quippe illic excommunicantur soli iudices seculares in lite criminis Clerici sæpiúsque vocati à laïco: istic vero excommunicatus à iure declaratur Clericus ipse aduersarius qui alium Clericum vocat ad ipsum seculare forum nulla mentione facta de iudicibus, etsi remittantur ad citatam pœnam cõmunem Papalis absolutionis. Verùm cum ista prouincia sit in Gallijs, in quibus personales seu criminales Clericorũ lites (præter possessorias) solent deferri ad Regiũ forũ ab anno 1340. aut circiter: hic dicendũ est, quòd hodie regij fori consuetudo quæ tunc tẽporis nondũ ita frequens erat [q] minimè est eiusmodi, vt Curia has lites persequatur ad mortis vsque sententiam inscio vel inuito Episcopo eiusue officiali. Sed instruit dũtaxat circa oblatũ litis processũ. Deinde Consiliarij iudices Episcopalem Officialem cum reo adeunt, criménque exponunt.

q *ad an. 1490.*

Tunc, officialis reum sentiat apud se morte dignum; hunc tanquam depositum cum rescripto ad regiũ Senatũ cum Cõsiliarijs remittit, loco antiquę degradationis ecclesiasticæ: qui sanè modus aut similis alius satis † legitimus, & forsan immunis a censuris. Vide alia in locum cit. Interea præfatus textus non absimile quid præscribit circa leprosos, ne *Super actionibus personalibus conueniant coram iudicibus secularibus, & qui nihilominus compellantur per censuram Ecclesiasticam.*

AVXIT.

† censetur.

Qua in lege peculiari prouincię, notandum est quòd hæc censura est comminatoria & ab homine solùm, non à canone, de qua vna hîc instituitur disputatio. Præterea, cùm vtrinque describantur solùm personales: sanè lites Clericorum & leprosorum circa possessoria & res temporales leprosariorũ aut patrimonij leprosorum liberè in Auxitana prouincia spectabunt ad forum seculare: sicuti pergunt ex citata consuetudine in reliqua Gallia.

Capitibus 53. & 54. fol. 16. agitur de pœnis in Episcoporum inuasores, necnon in talium fautores, receptatores & defensores, non absoluendos a censura nisi in mortis articulo à R. Archipræsule vel Summo Pontifice, eósque etiam tunc priuandos ecclesiastica sepultura, donec satisfecerint: filijs ipsorum orbatis omni beneficio, cum sola excommunicatione lata aduersus inuasores Abbatum,

Appendix.

AVXIT. Priorum, Archidiaconorum, Canonicorum Ecclesiarum cathedralium & Rectorum. Verùm de sola anathematis horum reseruatione ad præsens institutum spectant, iam sat habet 1. gener. Art. 10. 11. 15. & par. 2. Art. 1. Nam pœnæ in filios rependendæ, cùm sint exterioris Ecclesiæ fori, huc non pertinent. Tum dè 5. Capitibus ibidem sequentibus, dictum est in scholijs Superiorum Articulorum; [r] dempto Capite 57. quod est contra infringentes libertatem Ecclesiæ vni iam Pontifici pariter reseruatam ex locis partis 1. gener. citatis Articulo 4. par. 3. generalis sub reali & personali sacrilegio: nisi forsan violatio illa libertatis in aliquo casu pertineat ad priuata Ecclesiarum Diœcesium statuta quibus duntaxat aduersetur, non autem vniuersali Ecclesiæ: vt tunc Episcopi hos aduersarios absoluere possint; sicuti de simili materia renunciatum est Art. 17. ad finem commentarioli.

[r] *art. 21. & 22.*

25. *Prohibemus ne Domini temporales aut quicunque alij seculares vacantes Ecclesias occupent, vel occupari faciant. Quorum si contrarium præsumpserint attentare, excommunicationis sententiam incurrant ipso facto: & illa vice eorum filij ac quicunque alij ad eorum instantiam, ad obtinendum dictas Ecclesias, sint inhabiles penitus.*

Sine reseruatione.

Legitur Cap. 60. fol. 17. Cuius quidem Articuli constitutio differt tempore ab alijs, sicuti ex textu ibidem immediatè præce-

denti liquet his verbis. *Notum sit cunctis quòd anno Domini millesimo 315. Reuerendus in Christo Pater à diuina miseratione Archiepiscopus Auxitanus, Nugariolum in Armaniaco suæ Diœcesis, diuina inspirante gratiâ Concilium suum prouinciale vnà cum venerab. in Christo Patrib. F. Aquensi, I. Vasatensi, A Lascurensi, 6. Lectorensi, 6. A Olorensi Episcopis &c.* Casus verò non obscurè concurrit cum artic. 43. nemini reseruato par. 2. gen. 26. *Duximus vtiliter ordinandum, vt si quis commiserit iniuriam contra familiares & domesticos Episcoporum, negotia ipsorum Episcoporum facientes vel honestatem, aut incedentes in locum vbi erunt ipsi Episcopi seu delinquentes, excommunicati sunt, & locus vbi factum fuit delictum sit suppositus Ecclesiastico interdicto, donec cōdigna satisfactio præcesserit impēdenda Episcopo, cui in persona sui familiaris fuerit iniuria irrogata.*

AVXIT.

Alia prouincialis congregatio.

par. 2. gen. præfat. 2. artic. 2. & 5.

Sincere seruat.

Articulus est 13. hîc proprius, ex Cap. 63. fol. 18. Quo loco verbum imperandi (sint) non impedit quominus excommunicatio sit iuris seu pœnæ presentis index, & nō comminatoria quę solúm præsagiat futurum malum omen à iudice denunciandū. Ratióque est ob coniunctū interdictū quod ex facto induci creditur, quod probabiliùs vergit ad absolutum actum posito quòd reus non satisfaciat) quam ad conditionatum: accedit quia pœnales canones iuris (præsertim antiqui) verbis imperatorijs

Nota, pro dignoscenda excōmunicatione iuris.

AVXIT. vtuntur;. vt pote, *subiaceant, excommunicationis sententia sint innodati, &c.* teste Cap. *Hoc consultissimo* §. *Laici* de reb. Eccl. non alien. lib. 3. in 6. & ex innumeris locis alijs. Hæcq; censura nemini reseruatur.

Notandum. Hic verò Casus vigesimus sextus habet iterum distinctam Concilij prouincialis notam cum perpaucis alijs Constitutionibus, & potissimùm cum Cap. 61. ad simillima superiora reducendo † Textus autem ipsius notæ sub duplici ordine, est eiusmodi, fol. 19. *Nos Guillelmus permissione diuina Archiepiscopus Auxitanus & nos G. Tarniensis, Æ Olorensis. P. Baionensis, &c. G. Adurensis Episcopi &c.* Deinde seorsum: *Hæ sunt Constitutiones prouinciales editæ* * *in Concilio generali Auxitano apud Marchianum &c. sub anno Domini* M.CCC. *die sancti Nicolai hyemalis celebrato.*

† artic. 20.

Alius prouincialis Conuentus.

* ab Artic.

Cui exordio succedunt aliæ denuo simul colligatæ Constitutiones sub continuo textuum fluxu. At ista omittimus, cùm ad censuras aut reseruationes minimè pertineant. Rursus subijciuntur multa documenta quæ inscribuntur, *Modus absoluendi excommunicatos: Punitio excommunicatorum: Excommunicati non permittantur in Ecclesia* Cap. 66. & cæteri [u] tituli apud S. Antoninum Syluestrum, Nauarrũ & alios Summularios. Duntaxat cõmemoramus additã recentiorẽ pœnã & textum capitis 66. fol. 20. tanquam proposito fini subseruientis, decernente R. Archipræsule, hac periodo.

u fol. 20. & 21.

Obseruari præcipimus, ne Clerici seculares vel religiosi quicunque aut quantumcunque exempti in locis interdictis ab homine vel à iure celebrent vel faciant celebrari diuina vel excommunicatos & interdictos prouinciæ admittant ad diuina vel ad ecclesiasticam sepulturam. Qui vero contra prædicta præsumpserint: præter alias pœnas à iure statutas (vt pote excommunicationis reseruatæ de qua nos par. 2. gener. artic. 7. & 8) *ingressum Ecclesiæ sibi nouerint interdictum, donec de prædictis satisfecerint competenter. Si autem interdicto durante se diuinis immiscuerint, sicut priùs, irregulares efficiuntur: sic nec interdicto durante si decesserint, debent in cœmeterio vel Ecclesia nisi pœnituerint sepeliri. Vt autem huiusmodi periculum euitetur, excommunicatorum nomina scribi præcipimus cum statuto huiusmodi in singulis Parochialibus Ecclesiis diebus Dominicis publicari.*

AVXIT.

Nota, pro violatis hisce prouincialibus censuris.

Qui locus iubet expresse obseruari localia interdicta non solùm ab homine (de quibus nemini dubium) sed etiam à iure, qualia sunt interdicta superioribus articulis contenta,* & nonnulla subsequentia eiusdem ordinis. Ideoque etiam, qui talia interdicta violent, se immiscendo diuinis scienter, ipso interdicto iuris durante (sicut & præuaricatores suspensionis cuius absolutio reseruatur [y]) incurrunt irregularitaté, priuãtúrq; sepultura: quæ quidem pœna priuatiua hîc potissimum peculiaris est, cùm non contineatur Cap. *Quicunque.* & Cle. Eos qui locis citatis. [z] Itaque præsens textus confirmat ea quæ suprà diximus de in-

* *art. 11. 6. 25. & c.*

y *Nau. Ca. 27. nu. 162.*

z *Tab. 2. gen. ar. 7. & 8.*

A V- XIT. a nu. 244. *Irregularitas.* interdicti iuris firmitate. Et verè Authores apud Nauarrum indifferenter docent quòd Clericus triplici censura innodatus, hoc est excommunicatus, suspensus vel interdictus, fit irregularis, si diuina officia scienter faciat eo in statu, neque distingunt de excommunicatione aut interdicto à iure satis promulgato, vel à iudice tantùm, vt neque de Papali seu Episcopali. Tandem verò nomina excommunicatorum quæ memoriæ mandari præcipiuntur non solùm intelliguntur nominatim condemnatorum, sed veriùs etiam notoriorũ æquiualentium ad nominatim, quos quatuor in species secerni arbitramur, scilicet in Clericidas, obstinatos hæreticos assassinos & duelli authores, relictis pluribus alijs, veluti colligitur ex par. 2. gen. Præfat. 2. Vbi docuimus eos inter cæteros esse studiose vitandos, & saltem meritò præfatis diebus publicandos.

eum probabili reseruatione. 27. *Domini temporales & consules qui statuta & prohibitiones faciunt, ne blada, vina, redditus, cæteraque bona Clericorum aut personarum ecclesiasticarum ponantur in locis suis, vel à suis locis, iurisdictionibus & territoriis ad loca alia transferãtur, sint excommunicationis sententia ipso facto innodati. Et loca vbi talia statuta fuerint, sint eo ipso supposita ecclesiastico interdicto, donec prædicta reuocauerint.*

Hic Casus educitur ex Cap. 67. §. 8, & 9. fol. 21. estque species infima in gratiam libertatis ecclesiasticę prouincialis, quæ quidem nõ obscurè fluit ex generali & simili pene regula ad Ecclesiam vniuẽrsalem pertinente sicuti ha-

betur par. 1. gener. artic. 42. & ſub generali edicto non abſimili renouatur in iſta prouincia, ex dictis in appendicem ſeu articulum 17. quo generali ſenſu reſeruatur Papæ, tũ ſimile fere in extrema appendice articuli 24. ſufficitur. Tùm igitur præfatũ exemplũ eccleſiã prouincialem in ſingulari caſu & non vniuerſalem, reſpiciat: ſanè differt ab illo 42. articulo, neque ideo abſurdum fuit eum ſeorſum locaſſe, perindéque veriſimilis eſt hanc ſpeciem anathematis cum adiuncto interdicto Epiſcopis reſeruari, vt pote cuius genus reſeruatur Pontificiæ abſolutioni. AVXIT.

28. *Nulli ſponſalia* (etiam ſine matrimonio) *contrahere audeant in gradu prohibito, vel procurant ea cõtrahi, alioqui eo ipſo ſunt excommunicationis vinculo innodati. Item nullus alia ſacramẽta accipiat ſine ſuorum presbyterorum licentia vel aſſenſu: nec presbyter aliquis ea alibi quàm in propria parochia eiſdẽ niſi in neceßitate audeat miniſtrare. Cõtrarium facientes Rectores Eccleſiarum, vel eorum loca tenentes & perſonæ Religioſæ cuiuſcunque conditionis exiſtant, ab ingreſſu Eccleſiæ per vnum mẽſem ipſo facto nouerint ſe ſuſpẽſos: parochiani verò arbitrio Ordinarij puniãtur. Neque parochialis ſacerdos clandeſtinis interſit, imò cùm ſciuerit ea incontinenti prohibeat ſub pæna ſuſpenſionis per triennium.* *Cum reſeruatione anathematis*

Totus iſte Caſus eſt decim⁹ quartus hîc proprius: funditúrque per Ca. 68, fo. 21. & accuratius fol. 29. Circa quem locum tria paucis notamus. In primis, noſter textus omittit contrahentes matrimonium in libro dicto

AVXIT. commemoratos, quia iam communi iure excommunicantur in quatuor primis gradibus Consanguinitatis & affinitatis [b] ex parte 2. gener. artic. 53. Vtrobique autem sine reseruatione. Verùm istic exprimuntur celebrantes ac procurantes sponsalia in simili gradu, quorum censura Auxitanis habetur peculiaris, cùm minimè legatur in Clementina *Eos qui*. Secundò, iterum peculiaris est Sacerdotum suspensio hîc recitata sempérque reseruata si ritè lex denuncietur. Tertiò, censura soliùs suspensionis vel etiam anathematis, quàm incurrit Sacerdos clandestini matrimonij susceptor, hîc denuo noua est (quanquam non reseruetur vi textus.) Quippe vltima sanctio de hac materia, quæ est Tridentina, eius pœnæ non meminit sess. 24. de Reform, Cap. 1.

b *in Casu* 19. *Lugdunensi.*

Nunc verò ea quę in Volumine sequuntur conscripta Capite 70. & 72, iam sunt apposita Articulis 15. & 23. Sed super hæc omnia aduerte tandem, lector, Caput 72. quod inscribitur *De substitutis Pœnitentiarijs*. fol. 23. Ibidem enim inseritur superiorum confirmatio quæ directè demonstrat mentem horum prouincialium Conciliorum esse vt præfati Casus excõmunicationum & interdictorũ censeantur Episcopis reseruati cũ peccatis: quanquã suprà [c] liber id perspicuè non manifestet: vt, nimirum, Concilij sententia in problemate dudum cõmemorata [d] magis ad eam reseruationem accedat quàm hîc passim insinuamus.

c *ab art.* 4. *&c.*
d *Tab.* 2. *ge. Præfat.* 2.

Adsunt

Adſunt Capitis verba fol. 23. cit. *Cùm natura humana propter ſui fragilitatem prona ſit ad grauia terribiliáque committenda, quorum etiam remiſſio eſt ſolis Epiſcopis reſeruata, & ipſi Epiſcopi ſuper præmiſſis quotidie adiri non poſſunt, nec etiam ſic delinquentes poſſunt frequẽter audire: Statuimus quòd quilibet Epiſcopus prouinciæ Auxitanæ in Canonibus ſibi reſeruatis* (nota) *tot Confeſſores diſcretos ſibi inſtituat, quot ſecundum ſtatutum ſuæ ciuitatis & Diœceſis neceſſarios nouerit, quibus ſuper ipſis communicet plenariam poteſtatem.* A V. XIT. *Expreſſa reſeruationum nota.*

Facilè iudicatu eſt quòd hæc reſeruationum commemoratio ac inſtitutio diſcretorum Confeſſariorum non minùs intelligatur verſari circa Caſus in præſens Volumen congeſtos & à nobis collectos (cùm locus dicat *Superpræmiſſis*) quàm circa alios quos Epiſcopi expetiuerint aut recèns cupiant reſeruare. Eadémque Sacerdotum conſtitutio aliud nihil eſt quàm Pœnitentiariorum ſeu generalium Vicariorum Epiſcopalium, vt præ ſe fert titulus: qui quidem vulgò prædití ſunt plena vel æqua poteſtate, quam habet Epiſcopus in rebus fori interioris & ſecretioris iuriſdictionis. Atque inſuper ipſe Epiſcopus alios præterea Pœnitentiarios in diſſitis quoque vrbibus erigere poteſt ſi opus eſſe aduerterit, præſertim qui ſint partialis facultatis participes. Et horum omnium ſic ſequitur publicatio.

AVXIT. cáb art. 27. *Publicatæ fuerunt hæ Constitutiones* [e] *in prouinciali Concilio Auxitano, celebrato die Martis ante festum Cathedræ sancti Petri, Anno Domini* 1304. *Et ibidem in eodem Concilio recitando idem Dominus Archiepiscopus confirmauit, ratificauit & approbauit omnes Constitutiones per se & per suos prædecessores editas* [f] *in quibuscunque Concilijs prouinciæ Auxitanæ: præsentibus & circunstantibus ibi Conuenensi, Lectoren. Baion. & Conseranensi Episcopis, & Procuratoribus aliorum suffraganeorum prouinciæ Auxitanæ, necnon & procuratoribus Ecclesiarum Cathedral. & Collegiat. &c.*

Alia prouincialis Synodus. *f ab Art. 1. hactenus.*

Pergamus.

Sine reseruatione.

29. Præcipimus sub pœna excõmunicationis Ecclesiarum Rectoribus, vt diebus Dominicis & festiuis denuncient excommunicatos à Canone & sedis Apostolicæ authoritate omnes illos qui per vim vel metum personis excommunicantium, rerum eorum vel amicorum illatum, extorserint absolutionis beneficium à sententia excommunicationis vel interdicti.

Iste Articulus est 15. proprius huic prouinciæ, ïsque nemini reseruatus. Legitur autem fol. 34. eiúsque statutum fluxit ex illo prouinciali Concilio Auxitano quod celebratum est per Reuerendum in Christo Patrem Amaneum Archiepisc. Auxitanum 6. Kalend. Decembris anno 1308. veluti proximè confertur sub citata publicatione. Et ambit id Concilium cuncta Decreta quæ per paginas 28. colliguntur, à folio 24. Inter quæ illud

vnicum quod hîc ordine vigesimumnonum atque postremum reponimus, nouissimum deprehenditur; reliquis partim repetitis & conformibus cum superioribus eiusdem prouinciæ, & ex parte cõmunissimis in duplici nostra parte, vel apud citatos ibidem Summularios. Interea, is ipse Casus est planè alius ab Articulis 29. & 33. nemini reseruatis parte 2. general. Indicant enim duntaxat excommunicatos esse eos qui vi extorquent reuocationem seu absolutionem latæ sententiæ, vel qui vexant cognatos aut facultates eorum qui censuram aliquam in quempiam proferunt. Præsens verò anathema fertur in Pastores Ecclesiæ & Curiones, qui congregato in sacris populo, contra Archipræsulis mandatum obmutescunt circa eiusmodi violatores iudicum Ecclesiasticorum raptores vel rerum ad eos pertinentium, dum suo funguntur officio: adeòque censura hunc discretum locum merebatur, quia pastorum non meminerunt Caput *Sciant cuncti* [g] & cap. *Absolutionis* [h] in 6. in quibus sermo est de prædictis extorquentibus.

A V-XIT.

g *Tab.* 1. *gen. art.* 15.

h *lib.* 1. *tit.* 1. & 20.

Vides igitur nouem & viginti Casus Auxitani posterioris ordinis: hoc est de anathemate iuris aut alijs censuris sæpiùs non reseruatis. Ad quorum fidem maiorem, superest duntaxat vt postremam & authenticam horum omnium authoritatem subnectamus. Dom. Iohannes Flandrinus

A V- XIT. Archiepiſcopus Auxitanus, in ſuis Conſtitutionibus quas paſſim ſuperioribus atque communibus pœnis ſimiles eſſe legimus, Decreto 8. fol. 3. in gratiam confirmationis ſuperiorum vtriúſque ordinis ſic ediſſerit. *Nos Archiepiſcopus prædictus obſeruare præcipimus & mandamus Conſtitutiones hactenus editas Synodales & Prouinciales in Eccleſia Auxitana, necnon & infrà ſcriptas) vt in ipſis continentur, & iuxta continentiam & tenorem earundem, ſub pœna excommunicationis.*

Ipſe autem hæc ſanciuit poſt dominicam in Albis anno 1383.[y]. Et rexit Auxitanicam ſedem ferè poſt Amanenum de Armaniaco ſuprà citatum (quatuor interpoſitis) qui ex fol. 85. in Archiepiſcoporum catalogo extitit ſeptuageſimus: horúmque primus fuit Beatus Ceracius [z] veluti Apoſtolus ipſius prouinciæ & fundator Eccleſiæ tempore martyris ſancti Saturnini [a] Toloſæ Epiſcopi. Idque Volumen Synodalium omnium & prouincialium Conſtitutionum verificatum eſt (vt ſcribitur fol. 42.) & appoſito magno ſigillo authentico Curiæ Metropolitanæ, repoſitum in theſauro, de mandato venerabilis & circunſpecti &c. Ad extremum huic tanquam adhuc priuatæ forſan authoritati (quantumuis ſufficienti) ſucceſſit potior firmiórque authoritas Concilij generalis * Baſilienſis, cuius titulus eſt eiuſmodi: Confirmatio Conſtitutionum prouincialium. Tum

y *ex fol.* 110.

z *per an.* 43.

a *Euſeb. lib.6. ca.* 21. *an.* 251. & *Chrono. Geneb. ſub an.* 60.

* *eſt* 17. *gener.*

ſequitur textus ſub hac formula fol. 231. AVXIT.

Sacroſancta Synodus generalis Baſilienſis in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad futuram rei memoriam Prouiſionis noſtræ debet prouenire ſubſidio, vt ius ſuum cuilibet conſeruetur. Hinc eſt quòd nos tenorem quarundam literarum felicis recordationis Vrbani Papæ 5. [b] (*vel 6.* [c]) *pro eo quòd ſicut exhibita nobis* b ad an. 1364. *pro parte venerabilis Philippi Archiepiſcopi Auxitani petitio continebat, præfatæ literæ incipiebant vetuſtate conſumi: ad ipſius Archiepiſcopi inſtantiam præſentibus annotari fecimus, qui talis eſt.* c vel ad an. 1379. *Vrbanus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, vniuerſis Chriſti fidelibus in Ciuitate & Diœceſi ac Prouincia Auxitana conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Noueritis nos quaſdam literas venerabilis fratris Arnaldi Archiepiſcopi Auxitani Camerarij noſtri, vidiſſe, legiſſe, & eas fratri mandaſſe, ac omnia & ſingula in eis contenta commiſiſſe, quarum tenor ſequitur ſub his verbis. Vniuerſis Chriſti fidelibus vtriuſque ſexus, cuiuſcunque gradus, conditionis aut ſtatus exiſtat, in Ciuitate, Diœceſi & prouincia veſtris Auxitana conſtitutis.*

Et poſt pauca ſic pergit Concilium ac refert verba præfati Vrbani: *Per nos vel alium ſeu alios faceremus vbicunque & quomodocunque vobis viſum fuerit publicari quaſdam Conſtitutiones veſtras prouinciales, quarum forma ſequitur, &c.*

Vbi vides nomen Vrbani Papæ. Illi textui ſubijciuntur aliquot articuli, ſcilicet.

Quod quicunque Caſtra, villas vel alia loca aut

A V- XIT. *bona, iura, vel res Ecclesiarum, Monasteriorum, vel personarum Ecclesiasticarum violenter occupauerit, &c. vel consilium, auxilium, vel fauorem ad hoc dederit, vel retinuerit occupata, eo ipso sententiam excommunicationis incurrat, & loca vbi facta fuerit talis violentia subiaceant Ecclesiastico interdicto.*

Quæ profecto pœnæ iam promulgatæ leguntur art. 1. 11. 21. 22. 25. &c. Atque alia id genus sequuntur, quatenus passim antecesserunt, etiam in communibus Tabulis. Adeóque hæc Papalis confirmatio communem suam authoritatem impertitur his & superioribus in eadem materia articulis. Sic verò concludit Synodus generalis ex verbis præfati Vrbani P. P. *Si quis autem attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Aueniони 8. Kal. Maij Pontificatus nostri Anno 11.*

Deinde idem Concilium vniuersale totam rem comprobauit, & conclusit hoc pacto.

Cæterum, vt earumdem literarum tenor sic insertus omnimodam rei seu facti certitudinem faciat: authoritate vniuersalis Ecclesiæ decernimus vt idem robur eámque vim dictus tenor per omnia habeat, qualem haberent originales literæ supradictæ, quomodocunque & vbicunque in iudicio vel alibi exhibitus fuerit, &c.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Constitutionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire, &c. Datum Basileæ 10. Kal. Aprilis Anno 1435.

Qua in re nõ est quòd quis obijciat id Concilium minimè esse orthodoxum. Nam in primis ea Acta quæ ad censuras (quales hæ sunt) & causas beneficiales attinent, confirmata sunt à Nicolao 5. teste eius Bulla ad calcem Concilij, cùm talia gesta sint ante ipsius dissolutionem & schisma, nimirum sub Martino 5. Pontifice legitimo ac pacifico, qui ipsi congregationi præfuit, & præfatum Philippum de Leuis transtulit ad regimen Ecclesiæ Auxitanæ an. 1425. die 14. Februarij ex folio 87. Interea, monemus quod Arnaldus Archiepiscopus tempore Vrbani Papæ successit præfato Amaneno vnico interposito. Hîc missos facimus quosdam Casus circa generales monitiones, retentionem decimarum ac primitiarum, abnegationes atq; blasphemias in Deum, Beatam Virginem & sanctos, circa percussores Clericorum & perturbationes iurisdictionis Ecclesiasticæ; quos retinuit atq; recensuit D. Franciscus de Claromonte S.R.S. Cardinalis Episcopus Tusculanus, Legatus Auenionensis ac Archiepiscopus Auxitanus: quos quidem ipse stabiliuit in Ecclesia Auxitana sub festum resurrectionis Domini, ab anno suę electionis id est an. 1507. vt liquet à frõte libri & fol. 88. Iam enim ista extant singula in superiore Auxitana Tabella, quasi hoc nostro oriente seculo ipse Archiepiscopus denuo superiores Casus tacitè his textibus ratos habuerit.

AV-XIT.

Tomo 5. Concil.

AVXIT. Tandem, nos ex eodem prouincialium Cōſtitutionum volumine commemoramus, quòd à pagina 51. habentur Caſus 32. qui inducunt irregularitatem in promotione ad ordines & executione miniſterij altaris. Deinde omittimus hoc loco. Caſus 16. in quibus quis ſuſpenditur ipſo iure, & ſi celebret non eſt irregularis. Tum colliguntur Caſus 36. de diſpenſatione Epiſcoporum, ſeu in quibus ipſi diſpenſant à fol. 56. Confirmantur Canonibus, & Gloſſis illuſtrantur: ſuntque alij prorſus ab ijs quos narrat Syluester verb. Caſus. num. 4. Iterum, miſſos facimus Caſus 6. de diſpenſationibus Abbatum fol. 57. Quintò, & notas 31. de priuilegijs Epiſcoporum fol. 58. quorum potiorem partem tractant paſſim Summularij. Omittuntur quoque Caſus 54. in quibus ſolus Papa diſpenſat fol. 59. & 60. iique deprehenduntur eſſe alij planè ab his 50. quos tamen accuratiùs fortè, quàm cæteri enumerat idem Syluester ſuprà nu. 2. adeóque ſingula viderentur prælo digniſſima, ſi temporum opportunitas id pateretur. Sunt enim communiſſima. Cur verò Auxitanam ſeu occitanam prouinciam deſcripſimus ſub Gallia Aquitanica eáque inferiore ad occidentem & meridiem vergente, nos diximus ad calcem Tabellæ Bituricenſis §. *Interea.* Et Gallicè dicitur *Auchx*, alijs *Aux.* Nunc ad Galliæ Narbonenſis tractum deſcribendum procedamus.

NARBON.

TABELLA CASVVM Narbonensis Archiepiscopatus: Ex veteribus Synodis Diœcesanis, & vsu renouato Anno 1590.

Tab. 9. Gallic.

PROLOQVIVM.



OS textus formulam adeò perplexam accepimus, vt generali quadam egeat interpretatione, antequam proponantur Articuli & supponatur peculiare singulorũ examen, quo postea de quaque re breuiùs feratur iudicium. Siquidem aduertendum est quòd Casus ad nos peruenerũt typis quidem mandati, sed mendosi & sub obscurè remissi ad inferiorem quempiam Sacerdotem supplicantem, vel potius ad omnes perinde Cõfessarios Diœcesanos: ad hoc vt Parochi reliquíque conscientiarum arbitri absoluant in illa Diœcesi à multis Casuum Archiepiscopalium circunstantijs & speciebus per octauas Paschæ & paulò ante, veluti ibidem præscribitur. Ipsi nanque articuli induunt eam formam in ipsa scriptura, qualem præ manibus

NARBON. habere videtur Parochi iure extraordinario, accepto à Reuerendiss. Archipræsule tanquam ordinario iudice, aut ab illius Vicario in spiritualibus, iuxta humilem inferiorum Sacerdotum supplicationē, sicuti præ se fert titulus. Quòd verò hæc temporaria potestas collata sit non illi tantum singulari Sacerdoti qui in fronte supplicabat, sed inferioribus etiam alijs, liquet ex calce chartulæ impressæ, vbi generalis Vicarius Reuerendiss. Archiepiscopi cunctis indistinctè sic loquitur atque respondet: *Discretè vos habeatis circa supradictos Casus ad pœnitentias imponendas. Nam vestram conscientiā semper his oneramus, & cōscientiam præfati Reuerendißimi atque nostram exoneramus. Et si grauiores Casus præmißis inueneritis, ad nos remittatis.*

Quo certè in loco existimarem Typographum errorem cōmisisse, & reliquisse in prælo *semper* pro *super*. Quia alioqui si dictio *semper* sit ex mente Vicarij generalis aut sui Archipræsulis largiētis: sequi videretur facultatem inferioribus concessam non esse menstruam vel pro anni parte, sed perennem & velut ordinariam pro tota temporis successione, adeóque cessaret reseruatio. Quæ sentētia est absona: & ei aduersatur restrictio temporis Paschæ quæ prius apponitur. Chalcographus igitur qui circa alia ipsius editionis vocabula obdormiuit, hîc veriùs etiam allucinatus est. Qua de re comprouinciales monere oportuit, vt id dignētur aduertere, dum hoc nego-

tium exactiùs nunc perficiendum fuit. Interea, cùm præfati Casus sic dispositi non patefaciant proprium, & syncerum textum articulorum vetustioris Synodi in quo conditi sunt: nobis necessum fuit colligere, & seorsum describere exactiorem sensum & mentem illorum qui fuerunt authores antiqui huiusce & textus: quem quidem textum nos deprompsimus ex intima mixtorum Casuum consideratione, quales excusos statim proponemus donec Reuerendissimus Archiepiscopus qui nunc sedet, suam quandoque mentem clariùs exprimat. N AR-BON.

ARTICVLI.

1. Blasphematores Dei & Virginis Mariæ. Tempore tamen Quadragesimæ & Paschatis, absolutio huiusce Casus ex dictis permittitur inferioribus Confessarijs illius Archiepiscopatus cum cõditione, id est dum tamen non sapiant hæresim (ait impressus articulus pro nota præfatæ remissionis) cuius generis proponuntur in 13. Senonensi & 19. Belgico qui sunt de solis publicis blasphemis. Quòd si blasphemiæ hæresim quandoq; redoleant, tunc intelliguntur semper ac perpetuò reseruatæ Archiepiscopo, nec vnquam ad inferiores referẽdæ. Et hæc de 1. Casu: qui quidem absolutè siue absq; simili restrictione habetur in præfato Senonensi atque in 1. Rhemensi, vbique in facto etiam occulto, cùm textus absolutè loquantur.

NARBON. 2. *Ille qui cognouit carnaliter Monialem, vel virginem fraudulenter defloraunit.*

Iste Articulus eodem artificio statuitur in hac Sede Archiepiscopali, & in temporaria relaxatione Parochis facta: sicque totus eis remittitur præfato tempore. Exponitur verò in 2. Casu Lugdunensi cum censura, item in 8. Parisiensi, sed sine censura, tum in 11. & 12. citati Belgij.

3. *Concubinarij & adulteri.*

Concipiuntur tum publici tū occulti, iuxta explicitum textum Articuli 8. Ebredunensis: qui tamen occulti in Quadragesima & Paschate ad Parochos solent remitti. Quippe in absolutionis indulgentia Curionibus concessa scribitur, *dum tamen non sint publici.* Quò fit vt Archipræsul reseruet notorios sibi aut suo Pœnitentiario in matrice Ecclesia residenti; cùm in spiritualibus sit eius generalis Vicarius.

4. *Peccatum contra naturam.*

Videtur Casus ita in genere loqui, vt facillimè & ex natura vocum comprehendat omnes pene huius criminis species committi solitas & fusè expositas Articulo 20. Lugdunēsi atque 10. Parisiensi, cui iste æquatur. Nisi forsan quarta omnino species istinc eximatur. Et quod ad reliquas species attinet, sanè Quadragesimali interuallo inferiores Sacerdotes absoluunt quidem à posteriore duplici specie in isto Casu recepta, *non tamen cum brutis* (ait

textus dispensationis) hoc est non à prima specie. Eam verò ob causam non censemus reseruatam esse quartam speciem, quia canonicæ pœnæ meritò videntur restringendæ (vt alibi docuimus [b]) circa leuiores culpas in legum testibus non expressas, quantumuis sint eiusdem speciei atque mortales. Ea tamen extrema species, vtpote quæ passim appellatur vitium minus contra naturam, reseruatur in 25. Casu Rothomagensi, ex speciali quadam nota illic apposita. NARBON.

[b] in Lugdunensi.

5. *Ille qui fornicatus est in Ecclesia, vel alio loco sacro: aut fecit incestum.*

Hîc duo narrantur. De primo, quod est fornicatio, est sermo in Casu 14. Parisiensi & in 2. sensu articuli 7. Bituricensis: Attamen quia in isto textu fornicatio videtur poni pro peccato luxuriæ, hoc est pro genere quod comprehendit suas proximas species, ideo censentur hîc contineri sacrilegia, adulteria & raptus etiamsi in loco sacro committantur (cùm de incestu mox sequatur dicendum). Ratio est quia in hac tota Diœcesi nullus alius adest articulus harum specierum sicuti distinctè adsunt Lutetiæ articuli 8.9. 10.11.12. præter quas est præfatus 14. Parisiensis huc primùm spectans. Secundum autem, nimirum incestus, ita in genere conscribendum est, vt facilè cõplectatur quatuor primos consanguinitatis & affinitatis gradus, quales exprimuntur in 19. Casu Lugdunẽsi. At, tempore Christianæ

NARBON. communis pœnitentiæ, ad inferiores Confessarios remittitur, *demptis tamen primo & secundo gradibus* (inquit editio Latina), quiquidem duo gradus ſemper penes Archiepiſcopum remanent : & æquantur vniformi ſeu plenario Caſui 9. Pariſienſi, atque 5. Bituricenſi. Cæterum loci ſacri latitudo, quatenus ab Eccleſia conſecrata ſecernitur (de quo vtroque habet textus) exponitur Art. 21. Lugdunenſi.

6. *Furtum factum in loco ſacro, & aliis in locis.*

Iſtic rurſus duo includuntur. De priore, quod eſt furtum in loco ſacro (quem locum declarat præfatus, art. Lugdunenſis) lege Articulum 19. Senonenſem & 5. Pariſienſem. Eique ſubeſt excommunicatio iuris, ſi adſit ſimul effractio loci ſacri, ex parte 2. vniuerſali art. 10. iam Epiſcopis reſeruato in cõmuni. Sed illis in locis furtum adeò latè ſumitur, vt apertè complectatur ſubreptionem etiam rei prophanæ in eadem ſacra æde, quod implicitè tantùm ambit ſextus iſte articulus. De qua re ibidem proferuntur exempla facillima, & plura lector poteſt concipere. Cenſentur autem hîc cõprehendi falſarij monetarum, quatenus ſaltem alienum retinent, veréque ſunt fures, & etiam quia in hac tota Tabella Narbonenſi minimè commemorãtur, (vſurarijs, & ſi planè ſimilibus, relictis, eo quòd infrà ſtatuũtur): atque de ea falſifitate habetur art. 14. Bituricenſi. Poſterius verò caput eſt de furtis alijs in quouis prophano loco. Et Caſus vtro-

bique remittitur poteſtati ſubalternorum NAR-
Confeſſariorum *facta restitutione* (ait ipſemet BON.
textus): ita vt ablatorum reſtitutionem ad ſe contrahat Archiepiſcopus, & perinde abſolutionem à furto ſeu culpa ante eiuſmodi reſtitutionem. Atque reuera eiuſmodi reſtitutio in foro externo eſt iam Caſus communis Epiſcopalis ex dictis ad 25. Senonenſem. Iſte autem Caſus eſt peculiaris eidem Præſuli Narbonenſi. Vide art. 28. Ebredunenſem.

7. *Ille qui cognouit illam quam baptizauit, vel cuius confeſsionem audiuit: aut commatrem aut filiam ſpiritualem.*

Caſus eſt vniformis Præſuli & ſubditis Sacerdotibus tempore Paſchatis, veluti diximus in 2. articulo iſtius Tabellę. Eiuſque partem tantùm retinet Caſus 18. Lugdunenſis, & partem aliam Caſus 12. Pariſienſis, tum reliquam partem art. 22. Arelatenſis. Vniuerſaque materia exponitur in 12. Senonenſi.

8. *Ille qui vouit caſtitatem.*

Sub hoc genere cõcipitur tranſgreſſor voti tum, ſolénis tum ſimplicis: De quibus habes in artic. 18. Senonẽſi, 16. Rothomagenſi & 13. Belgico, ſecluſis tribus leuioribus modis ſimilium tranſgreſſionum, quæ etiam excipiũtur ex illo Caſu 13. Vox igitur caſtitatis hoc textu expreſſa efficit vt tres tranſgreſſionum ſpecies ſublatæ ex Senonenſi, hîc reſeruentur, & pariter quatuor exemptiones Articuli Rothomagenſis, vtpote quæ omnes circa votum ſimplex caſtitatis verſantur.

NARBON. Quippe nomen castitatis in Rothomagensi non exprimitur: propterea̋que hic Casus est illo latior, difficiliórque obseruatu. Etenim vniuersalis nota præsentis Articuli & textus videtur eos insuper homines continere, qui extra coniugium seu per fornicationem semel suum votum castitatis (quantumuis simplex) irritum & inane fecerűt: nisi certè præsul Narbonensis suam hodie mentem clarius interpretetur. Cæterùm, à ruralibus Confessarijs circa Pascha remouetur duplex casus, videlicet fractio voti solennis, & maritalis cõtractus initus à vouentibus, fortassis etiam in voto simplici existentibus: ita enim legitur in exemplari impresso, *dummodo*, inquit, *non fuerit votum solenne, deinde matrimonium contraxerit*.

A quibus quidem infractionis speciebus nunquam omnino absoluere possunt inferiores: sed tantùm à simplici seu à tertia specie. Alia huc spectãtia in Casu postremo præsentis Tabellæ.

9. *Ij qui mortem parentum machinantur.*

Tales nonnihil accedunt ad Casum 18. Parisiensem, cum præbentibus auxilium & cõsentientibus ac consulentibus ibidem citatis. Pro extraordinaria autem relaxatione Parochis facta, subditur hæc notula: *dummodo non fuerit mors subsequuta*. Ex quo fit vt si vulnus duntaxat infligatur, nec sequatur interitus, tunc Parochus reum possit absoluere in illa

prouincia,

prouincia, maximè Quadragesimali tempore: non aliter. Sed si mors sequatur, iam est Casus communis merè Episcopalis, ex 2. Casu communissimo in frōte huius 3. partis generalis, de homicidio. Ad formam cuius Casus communis hanc conditionem prudenter apposuit R. Archipræsul Narbonensis. NAR-BON.

10. *Iniuriæ, verbales patri & matri illata.*

Casus est durior Articulis Senonensi & Parisiensi 17. atque Rothomagensi 3. quia in illa tota reseruatione coërcentur soli parentum percussores: non autem iniuriosi. Adeóque præsens Articulus est primus singularis huic Sedi Narbonensi. Isque integer alijs Sacerdotibus relinquitur obliterandus circa Paschatis hebdomadas: & prudenter sanè, cùm sit leuioris paulò momenti quàm alij.

11. *Ij qui tenent infantes in lecto ante annum & dimidium.*

Exprimitur in 7. Tolosano, sed breuiori paululum termino. Verùm hîc additur, id ius absoluendi Parochis cōcedi diebus Dominicæ Resurrectionis ac circiter, *absque tamē morte paruulorum*, vtpote quia si mors accidat, Casus ille est semper Archiepiscopalis, at communis singulis Episcopis, ex adductis articulo 9. Aliæ vetustæ pœnæ notantur 2. Quæst. 5. *Consuluisti.*

12. *Sortilegia & recurrentes ad ea.*

Prius membrum habetur in 5. Casu communi: & posterius, quod est de recurrentibus

NAR-BON. ad ipſam magiam, continetur diſertè in 11. Caſu Senonenſi. Circa prius intelliguntur omnia ſortilegia ſiue exerceantur per explicitum pactum dæmone inuocato, ſiue per implicitum:eáque hîc proponuntur ſub themate adeo vniuerſali, vt plura comprehendant quàm Articulus 24. Lugdunenſis, 12. Rothomagenſis,& 21. Belgicus: cùm iſte Caſus æquetur cōmuni ampliſſimo. Hæc enim ſortilegia continent tertiam & 4. exceptionem à Belgico demptam, quoties ſuperſtitioſum ſignum adhibetur diuinationi:hinc etiam ſemotis reliquis exceptiunculis ibidem allatis, & excluſis quoque inordinationibus ac abuſibus circa ſacramenta commemoratis in Articulis Rothomagenſi 11, Pariſienſi 7,& Rhemenſi 3. Subdit verò textus Vicarij Narbonenſis, quòd inferiores, Sacerdotes iure extraordinario hîc ſibi conceſſo vtentur, *dum tamen non fuerit dæmonum inuocatio*. Eapropter Archipræſul eiúſque Pœnitentiarius eis demandant ſolam implicitam magiam ſoluendam, & ſibi ſemper aſſeruant explicitam, de cuius ratione vide aptiùs Caſum 6. Pariſienſem, 1. Aquenſem & 7. Belgicum.

13. *Vſurarij publici.*

Archiepiſcopalis Vicarius hunc Articulum nulli vnquam Confeſſario permittit ante factam à reo nummorum reſtitutionem:bene tamen in Paſchate relaxat culpæ abſolutionem *facta reſtitutione quibus oportet*. Vt ibi ha-

betur. Déque ea re latent nonnulla in vltimo NARBON.
Casu Senonési, & amplissimè repetitur in 25.
Lugdunensi.

14. *Falsificatio literarum.*

Intelligit omnium, scilicet laicarum literarum, Clericorum inferiorum & ipsius Archiepiscopi iuxta Casum 3. communem: vbi falsarij literarum Papalium summo Pontifici reseruantur. Nihilominus falsifici literarum prophanarum & Cleri inferioris remittuntur ad parochiales Sacerdotes absoluendi, tépore citato ecclesiasticæ pœnitentiæ. Nam in textu Domini Vicarij remittentis scribitur, *demptis tamen Papalibus & sigilli præfati Reuerendißimi Domini Narbonensis.*

15. *Ille qui temporibus præteritis ab ecclesia institutis non fuit confessus, nec sacramentum Eucharistiæ recepit.*

Hic Casus est secundus isti Sedi peculiaris: totúsq; relinquitur penes Parochos in quadragesima.

16. *Ille qui comedit carnes aut alia vetita temporibus prohibitis.*

Simillimus Articulus impingitur Articulo 17. Bituricensi & 13. Rhemensi: vbi adiungitur *sine licentia & absque neceßitate.* Quæ sanè conditio hîc facilè subauditur, etsi non exprimatur. Totus autem Casus communicatur Curatis diebus quibus suprà. Alia in 4. Tolosano.

NAR- 17. *Transgreßio votorum Religionis & peregri-*
BON. *nationis.*

Hîc duplex poteſt ſubeſſe ſenſus legitimus: & verè oportet rem ita concipi. Vnus eſt de abſolutione ab hominum culpis qui eiuſmodi vota ſunt tranſgreſſi ſine præuia dipenſatione. Appoſitè autem, appoſuimus dictionem *peregrinationis*: tum quia iam de violato caſtitatis voto ſermonem inſtituimus in 8. Caſu expoſito, tum quia exempla huic articulo 17. appoſita, ſunt ſolum de tribus præcipuis pregrinationibus, quarum vota ſi quis violauit, à ſolo Archiepiſcopo abſolui poteſt quoad peccatum non autem à parochis, vt conſtat ex his verbis: *exceptis votis* (inquit) *de ingreſſu religionis, Hieroſolymitano ſeu tranſmarino, Apoſtolorum Petri & Pauli, & beati Iacobi in Compoſtella.*

Cæteras verò minores peregrinationes votiuas extẽdit ipſe ad alios Sacerdotes tempore Paſchali. Verùm ſub nomine voti religionis ſuſceptæ, continetur implicitè votum ſolenne caſtitatis, quæ includitur ſub illo voto velut pars eſſentialis ſub toto ſicut etiam voluntaria paupertas & obedientia, ita vt videatur Caſus 8. ſuperius loqui de ſimplici voto caſtitatis, hoc eſt perenni quidem, ſed in ſeculo & extra monaſticam religionem emiſſo: præſens verò articulus deſcribere votum ingrediendi religionem. Quod ſi franga-

tur per matrimonium ante religionis ingressum, peccatur grauissimè, & Archiepiscopus hîc vult tale delictum sibi reseruari: quamuis id votum, de futura professione, sit simplex. Húncque sensum satis denotat vox commemorata *de ingressu religionis*. NARBON.

Alter sensus, qui creditur quoque hîc cõprehendi, est de votorum dispensatione seu commutatione: quæ quidem dispensatio, à culpis soluendis distincta, in omnibus votis est penes Episcopos iure communi, demptis quinque maioribus, nimirum castitatis, religionis approbatæ, & triplicis allatæ peregrinationis, quorum dispensatio est duntaxat Papalis in foro externo, at eiusdem Papæ non est solutio culpæ seorsum consideratæ, quæ in foro tantùm interno spectatur, quæque communi iure nemini reseruatur, etsi peculiariter reseruetur in Narbonensi: qua de re multa diximus parte 1. generalis, articulo 48. & posteriore Admonitione. Aliáq; inuoluit articulus 16. Rothomagensis, qui est isto latior.

En septemdecim Casus Narbonenses. Quibus certè adijciendi sunt tres communes sine censura, qui quidem supersunt integri, nimirum incendiarij, homicidæ, & violatores ecclesiasticæ immunitatis, de quibus suo loco parte 3. generali. Præterea hîc annumerandi veniunt duodecim primi Articuli partis 2.

NARBON. generalis; cùm ſint merè Epiſcopales iique rurſus communes: & de ipſis nulla prorſus fiat mentio in hac Tabella. Qui omnes ſimul iuncti efficiunt triginta duos Caſus in iſta prouincia ad vſum reducendos. *Art. 32.*

Quod autem attinet àd præfatos 22. Caſus hîc peculiares, non habēt certam Synodum Comprouincialibus Vicarijs ſatis perſpectā, à quibus originem traxiſſe videantur: ſed dudum in vſu ſunt poſiti, & extāt velut per manus hactenus traditi. Narbonæ quidem celebrata fuêre multa prouincialia Concilia, & maximè poſtremum anno 1551.[c] Præſide D. Alexādro Zerbinatis iurium Doctore, Apoſtolico Protonotario & generali Vicario illuſtriſſimi Cardinalis Piſani tunc Archiepiſcopi Narbonenſis, præſentibus Vicarijs generalibus Reuerendiſſimorum Epiſcoporum Suffraganeorum.

c à 10. die mēſis Decēb. ad 20.

At illa Synodus articulos Caſuum non definit, ſicuti nec moris eſt in Concilio prouinciali ſemper id præſtare. Veruntamen præcipitur ibidem rigida obſeruatio Caſuum reſeruatorum R. Archiepiſcopo & ſingulis prouinciæ Epiſcopis: ſiue de iure, ſiue de conſuetudine, ſiue ad Prælati arbitrium reſeruari putentur; ad ſimilem ferè modum qui ſuprà patet in Tabellis Rothomagenſi & Bituricenſi. Sed tandem ipſimet 17. Caſus impreſſi ſunt anno 1580. eâ formâ quam ſuprà habet Proloquium: ne ſci-

licet obliuioni tradantur illa quæ piè executioni sunt demandanda, D. Ecclesiastes Canonicus Narbonensis ac Theologus Parisiensis, quem nobis habemus animorum nexu coniunctissimum, de his omnibus certissimam fidem fecit, eámque scripto misit mense Martio anno 1599. Ad extremum autem monemus, quòd Suffraganei Episcopi huic Sedi addicti, sunt Reuerend.[d] Carcassonensis, Sancti Pontij Thomeriarum, Electensis, Biterrensis, Ledonensis, Magalonensis vulgò Monspessulanus, Nemausensis, Agathensis, Vticensis, Elnensis, in Hispania.

NARBON.

d *Gallicè Carcassonne, S. Pons de Tomieres, Alect Besiers, Lodeue, Montpelier, Nismes, Agde, Vzés Elna.*

Tab. 10. Gallic.

ARTICVLI CASVVM ARCHIEPISCOPATVS Tholosani.

SIC AVTEM HABET EORVM INSCRIPTIO.

CASVS PECCATORVM & Censurarum excommunicationum in particulari reseruatorum illustrissimo Cardinali & Reuerendiss. in Christo Patri D. à Ioyeusa Archiepiscopo Tolosano: à quibus nullus Sacerdos aut Confessarius ordinarius absoluere potest, prætérquàm in mortis articulo.

1. *OMnes sortilegi, incantatores, diuinatores aut magi.*

Coequatur planè Casui 5. communi, 6. Parisiensi, ac 1. Aquensi: eum verò superant Articuli 11. Senonensis, 12. Narbonensis, ac 17. Ebredunensis: qui insuper capiunt illos

quos videmus alijs suadere vt sortilegos adeant, etsi sortilegia non profiteātur. Nisi quis forsan velit sub sortilegio comprehēdi mandantes ex implicita & generali regula allata in Casu 10. Lugdunensi & 7. Belgico. Cæterùm ea quæ hîc simul veniunt in vnius Articuli compositionem, separantur in octauo & 21. Casu Belgico, vbi seiunctim de incantatione & sortilegio agitur. TOLOS.

2. *Sacrilegi aut violatores Ecclesiarum, & aliorum locorum sanctorum, antequam denuncientur: quia post denunciationem debent ad Papam remitti.*

Eiusmodi est formula descriptionis huiusce Casus, vt comprehendat omne sacrilegium, hoc est locale, reale ac personale simul: quorum primum duntaxat reseruatur in Casu 4. Communi, quod directè vocatur violatio immunitatis Ecclesiarum, & reliqua duo ad præsentem Articulum referenda dicuntur violatio Ecclesiasticæ libertatis. Sed harum violationum articuli iam reseruantur iure communi tum Papæ in notorijs, tum Episcopis in occultis (demptis furtis rei sacræ, seorsum factis) necnon in illis manifestis quæ continentur articulis 9. & 10. partis 2. gener.

Optimè autem in hoc textu adijcitur *antequam denuncientur, quia &c.* Etenim violatores Ecclesiarum verè ante denunciationem reseruantur solis Episcopis in communi,

TOLOS. eáque reſeruatio demonſtratur duobus tantùm exemplis, ſcilicet eorum qui incendunt Eccleſias & eorũ qui ſpoliãt ſimul ac deſtruũt, ſicut præcisè exprimitur citatis Articulis 9.& 9. par. 2. Poſt denũciationem verò abſolutio cenſuræ pręcedẽtis eſt Papalis ex parte 1.gen. Articulis 40.& 41. Atq; hic eſt genuinus ſenſus iſtius 2. Articuli. Supereſt duntaxat monere dictiones aliorum locorum ſanctorum, aliud nihil denotare, quàm adiuncta Eccleſiarum ſub nomine loci ſacri, qualia ſunt concipienda & diſtinguenda ex dictis in Caſu 21. Lugdunenſi & 14. Pariſienſi. Vide ſimilia penè Articulo 5. Ebredunenſi. Cæterùm diſiunctiua particula (*aut*) poſtpoſita dictioni *ſacrilegi*, ita ſeparatur à ſequenti dictione de violatoribus vt ſolum quoque ſacrilegium præcisè reſeruet iuxta Articulum 3. Aquenſem.

3. *Notarij qui intra ſex menſes non denunciarunt ſuis Rectoribus legata pijs rebus aut bonis operibus relicta.*

Abſolutè ſtatuitur in Caſu 10. Bituricenſi, ſine vllo temporis interſtitio expectando. Hîc autem ante elapſum ſemeſtre, non reſeruatur.

4. *Ille qui ſine legitima cauſa, aut ſine obtenta licentia ab ijs qui eam debent impertire, comedant carnes, vel alia prohibita diebus vetitis ab Eccleſia.*

Adæquat Caſum 13. Rhemenſem & 16.

Narbonenſem : exuperat Bituricenſem 17. TO-
quia illic reſeruantur ſolum qui comedunt LOS.
carnes, quaſi ibidem non reſeruentur culpæ eorum qui ſine venia comedunt oua, lacticinia & alia vetita tempore quadrageſimæ, vt neque verè reſeruantur in 8. Aquenſi: quantumuis hîc & Rhemis ſoleant reſeruari.

5. *Illi qui percuſſerint patrem aut matrem.*

Satis patet ex pari abſoluto Caſu 17. Pariſienſi. Sed opportunæ conditiones apponuntur in 17. Senonenſi & 3. Rothomagenſi. Tum explicatur paulò in 5. Rhemenſi.

6. *Homicidæ voluntarij, ſeu qui iniuſtè & immeritò occidunt.*

Idem eſt prorſus in latitudine cum articulo 2. communi. At Caſus 20. Ebredunenſis eſt latior.

7. *Illi qui exponunt & deſerunt ſuos infantes; aut qui eoſdem apponunt ſuis lectulis ante annum & diem.*

Prior pars, quæ eſt de deſertis infantibus, ineſt Caſui 27. Lugdunenſi. Et reſpectu poſterioris, terminus articuli 11. Narbonenſis accreſcit ſex menſibus.

8. *Illi qui commiſerunt inceſtum in ſecundo gradu conſanguinitatis, vel in propiore, aut in primo gradu affinitatis ſpiritualis: aut qui carnaliter cognouerint Monialem vel Virginem violauerint.*

In præſenti Caſu ſubſunt tres partes. Circa primã quę eſt de cõſanguineis, conſentit cum caſu 9. Pariſiẽſi, & cũ 5. Bituricẽſi, At Caſus 19.

TO-LOS. Lugdunensis, 12. Senonensis, necnon 14. Belgicus sunt latiores. Circa secundam, quæ est de primo gradu inter spirituales affines, textus complectitur duo, in primis incestuosos illos qui ligantur mutuo vinculo spirituali contracto ex baptismo, & ex confirmatione. Hi enim non possunt iungere legitimum matrimonium, quales opportuniore loco tradit præfatus articulus 12. Senonensis in 4. membro. Et omnes sunt reponendi in 1. gradu spiritualis cognationis illius generis, de quibus alia in Casu 12. Parisiensi & 7. Narbonensi. Secundò capit concubinarios laïcos & Clericos, tum ratione ipsius concubinatus aut fornicationis, quia nemini dubium quin cum ipsa muliere ex carnali copula contrahant proximam affinitatem quantumuis illicitam; necnon si thorum adeant earum quæ in primo gradu consanguinitatis vel affinitatis coniunguntur cum ipsa sua concubina, quia cum illis quoque affinitatem contraxerunt, quæ quidem affinitas coniugium & copulam vetat ex Concil. Tridentino sess. 24. vsque ad secundum gradum inclusiuè.

Decreto. de refor. c. 4.

Hîc autem reseruatur Episcopo primus solum gradus, etsi secũdus Ebreduni reseruetur ex Artic. 13. Ebredunẽsi, iuxta idem Cõcilium in quo statuũtur duo ad summum gradus affinitatis prohibitæ in coniugio contrahendo, sine communi tamen reseruatione peccati. Iam circa postremam partẽ numeratur abu-

Alia diuisim in Casu 11. et 12. Belgico.

ſus Monialium & Virginum nõ affinium viro accedẽti. Qui quidem abuſus duplicem ſenſum patitur. Prius enim vel ipſa mulier ſufficienter ferè conſenſum præbuit : & tunc id ſtuprum nullam habet annexam cenſuram: déque eo loquuntur Caſus Pariſienſes 8. & 9. vel ea renuente vi rapta eſt : & tunc reſpectu Monialis eſt conſtupratio, in virgine autem quæ adhuc retinetur ſub parentum tutela, dicitur raptus obnoxius cenſuris hîc reſeruatis ex Artic. 2. Lugdunenſi. TOLOS.

9. *Qui peccatũ ſodomiæ quocũque modo cõmiſerint.*

Litera cenſetur quidem exprimere ſolam ſecũdam ſpeciem peccati cõtra naturam, quæ eſt ſodomia cõmemorata in 20. Caſu Lugdunenſi & in 4. Narbonenſi. Verùm dictiones quocunque modo ſub præſenti reſeruatione non abſurdè vidẽtur cõplecti primam & tertiam ſpecies, quæ ſunt de duplici copula beſtiali, expoſita in illo Lugdunenſi: at nõ quartam. Et profecto nonunquam vox ſodomiæ pro ipſo genere ſpecierum ſubſtituitur, præſertim pro potioribus, ex veterum Caſuum compoſitione ac formulis. Viderint D. Generales Vicarij Toloſani & reliqui comprouinciales, an hunc ſenſum religiosè velint admittere circa pœnitentes. Saltem Articulus eſt ſtrictior Caſu 10. Pariſienſi.

10. *Concubinarij publici & adulteri notorij, qui planè ſpernunt hanc peruerſam vitam emendare.*

Articulus ratione cõcubinariorum aſſimilatur duobus alijs, nimirũ Caſui 3. Lugdunenſi

TOLOS. respectu Sacerdotũ & Casui 12. Rhemẽsi respectu laïcorũ. Cũ enim absolutè loquitur, & sine restrictione ad vtramlibet harũ partiũ, sicut coarctat Rhemẽsis: sanè vtrũque membrum & statum hominum amplectitur. Ita vt procedat instar articuli 24. Bituricẽsis. Porrò ratione adulterij eandẽ prorsus latitudinem & interpretationem sibi vendicat cum art. 11. Parisiẽsi. Non tamen fœminas concubinarias comprehendit vt quidam putant more articuli 8. Ebredunensis apertissimi.

Etenim res hîc disertè in masculino tãtùm genere statuitur. Et quamuis sub masculino tanquam digniore soleat cõcipi fœmininum: nihilominus id locũ nõ habet in personalium pœnarũ constitutione, quę restringũtur quoties minimè exprimũtur. Neque etiã inuoluit occultos concubinarios, nec illis fauẽtes qui tamen non vtũtur, verumenimuerò occultos retinet Casus 3. Narbonẽsis, & insuper fauẽtes octauus Ebredunẽsis. Sed profectò, præsẽs Casus videtur circũstantiã aliã supra cęteros omnes allatos adiũgere & postulare, quæ quidem Casum efficiat leuiorẽ: scilicet quòd Parochus hominẽ cõcubinarium prima vice confitẽtem, nondũ repellere debet, sed absoluere: ea tamẽ lege vt reũ grauissimè moneat, ne amplius incidat in id peccatũ, & cõcubinã statuat quàm primùm eijcere: dicàtque in sacramentali secũda ex emologesi quòd eũ iam ampliùs absoluere nequit, nisi domesticã mulierem re ipsa dimiserit, nõ tantũ propter vim

expressam in litera Casus reseruati suæ prouinciæ, sed etiã quia est in statu peccati.

Sicq; in illa regione Parochus pœnitẽtem ad superiorẽ remittere non obligatur, nisi secũda aut tertia vice, qua reus denuo cõfitetur idem peccatũ ante eiectionẽ & ablegationem cõcubinę vel adulteræ inter laïcos: quia antecedẽs vocalis & sola & nuda ꝓmissio nõ sufficit vt inferior Sacerdos absoluere valeat. Etenim, probationis gratia, text⁹ hęc verba subijcit: *qui planè spernũt hanc peruersam suã vitã emendare*. Igitur hæc reseruatio præsuponit monitionẽ, saltẽ duplicẽ. Et tũc, tertia vice districtè tenetur reũ sufficiẽter pertinacẽ prudenter & sine scãdali suspitione remittere iuxta Euangelij præceptũ, quo post binã adhortationem mandatur, hũc hominẽ tertiò haberi tãquam publicanũ. Superiores autem omnes articuli censentur reseruati sub prima confessione apud parochiales Sacerdotes inita & cœpta.

Sed ne peccatores imprudẽter aut malitiosè in suę salutis perniciẽ subterfugiãt peritos Sacerdotes, dũ sæpe ex proposito varios mutãt Cõfessarios, debet Cõfessarius in prima semper confessione à concubinario vel adultero quærere, vtrũ iam de illo crimine coram alio confessus & monitus sit. Quòd si deprehẽdat sufficiẽter esse monitũ, in illo primo accessu statim negare debet Absolutionem, nec secũdas vices expectare, in quibus hunc ad superiorem remittat. Hæc notãda tanquam sacris canonibus & legi diuinæ valde conformia.

Matth. 18.

Examen circa concubinarios.

TOLOS. 11. *Mulier quæ per adulterium infantem pepererit, quem maritus credit esse suum: & propter quem filij legitimi defraudantur hæreditate paterna.*

Hîc meritò aduertendum est quòd adulterium sit biceps hoc loco. Primò quidem dicitur simplex, scilicet quando alter ad copulam accedens solutus est & liber: secundò, duplex appellatur, nimirũ quando ambo sunt cõiugati: teste Syluestro verb. *Adulteriũ.* nu. 1. Hinc iste Casus vtrunq; sensum amplectitur. Non enim duntaxat hîc reseruatur peccatũ mulieris vxoratæ quæ virum alteri coniugatum admittit, sed etiam quæ viro soluto cõmiscetur. Quippe id simplex adulterium, est verè & synonymè adulterium, scilicet ex parte vxoris quę proprio marito maximam facit iniuriam. Missa facimus duo alia adulterij genera huc non spectantia, quæ addit Syluester. Plura ad calcem Tabellæ Aquensis.

12. *Vsurarij notorij & manifesti, qui parum curant tali peccato renuntiare.*

Dictiones hæ, *qui parum curãt &c.* Videntur Parocho veniã cõcedere vt semel saltẽ, at non pluries, vsurarios absoluant in illa Diœcesi, cũ vehemẽti exhortatione vt non reuertãtur ad vomitũ in huiusmodi crimine tam odioso & proximis noxio: ea sanè cõditione, vt fidenter & apertè declaret tales (in prouincia) altera vice necessariò debere Episcopalẽ Pœnitẽtiariũ cõuenire, ex dictis articuli 10. Ratio exhibendæ restitutionis legitur in Tabella Senonẽsi art. 24. & 25. tũ plura in 25. Lugdunensi.

13. Illi

13. *Illi qui falsificant instrumenta Notariorum mensuras, pondera, aut monetas.* TOLOS.

Prima pars, quæ est de falsific. instrumentorum, continetur sub 3. Casu cõmuni. Duntaxat hîc ponitur specialius exemplum, & quidem oportunè, 2. pars quę legitur de mensuris, exprimitur in 14. Casu Bituricẽsi, & hîc solùm addũtur falsifici ponderum, non tamen vtentes pondere falso. tertia pars habetur in Belgico septentrionali circa monetas Art. 16.

14. *Ille qui in iudicio falsum testimonium dixerit, aut peierauerit.*

Æquatur Articulo 14. Senonensi in suis partibus. Sed præterea, superiùs membrum, scilicet testimonio, refertur ad Casum 3. communem: atque posterius, de periurio, ad 29. Lugdunensem, vbi fusius occurit explicandum. Illic tamen comprehenditur solenne in parte: at istic occultum duntaxat.

15. *Illi qui per malitiam aut inuidiam, vel scienter ignem in horrea & alienas domos conijciunt, antequam denuncientur excommunicati: quia post eiusmodi denunciationem, absolutio Papæ reseruatur.*

Hoc incendiariorum genus, circa res prophanas continetur directè sub 1. Casu communi istius 3. partis generalis: & penes materiam distinguitur specie à secundo Casu huiusce Diœcesis Tolosanæ. Isque est de violatoribus Ecclesiarum, inter quos commemorantur incẽdiarij Templorũ Deo dicatorum. Ante denunciationem verò, incendiarij istius

TOLOS. 15. Articuli reseruantur solis Episcopis de iure, ac sine excommunicatione canonica. Papalis autem reseruatio post condemnationem, inseritur Articulo 40. partis primæ.

Isti quindecim Casus deprompti sunt ex Synodalibus Statutis ciuitatis & Diœcesis Tolosanæ, atque impressi anno 1597. iussu præfati illustrissimi Cardinalis & Archiepiscopi. Exemplar autem typis mandatum ad me Tolosa Lutetiam missum est, ac denuo comprobatum mense Martio anno 1599. de mandato D. D. Vicariorum generalium subscribẽte Secretario illustrissimi Cardinalis: ijque suo calamo subiunxerunt quòd antea fuerant triginta & vnus Casus; præterea cõmemorãt octodecim reseruationum articulos tunc cõcedi solitos Confessarijs tempore Quadragesimæ, nunc verò cunctos ab illustrissimo Cardinali absolutè reuocatos ad præfatos quindecim pro maiore Confessariorum ac pœnitentium solatio: addunt singula describi Cap. De pœnitentia, in Synodalibus Diœcesis Statutis, quorum libellum sunt vltro polliciti, sed ad nos hactenus peruenire non potuit, neque sane eius lectio iam adeo necessaria est ad præsens institutum. Articuli autem conditi sunt Gallico idiomate, sicut & Casus Lugdunenses.

Interea obiter monemus quòd Casus Papales extra Bullam Cœnæ Domini, quæ in ea Charta ad viginti vnum recensentur (necnon

& articuli quidecim eiuſdem Bullæ) breuiùs æquo ibidem perſtringuntur. Illic verò, in catalogo Caſuū extra Bullam Articulo 19. ſtatuūtur cōcionatores falſorum miraculorum & prophetiarum quæ in ſacra Scriptura non continentur, tanquā Papæ reſeruauit. Quem ſanè articulum minimè comprehendit pars 1. huiuſce Operis: eo quòd Caïetanus & alij Doctores cœtanei Lateranēſi Conſilio ſub Leone 10. vbi hæc cenſura primùm condita eſt, eam non eſſe receptam teſtantur, ex Nauarro Cap. 27. nu. 3. Eiúſque rei meminimus parte 2. gen. Ad extremum, præter hos quindecim Caſus, hîc annumerandi ſunt duodecim primi Articuli merè Epiſcopales partis 2. cit. iique annexi cenſuris, & inſuper tertius communis partis 3. ſine cenſuris, eſtque de falſificis. Sic ad ſummū extant viginti octo Caſus pro Archiepiſcopali Sed Toloſana exactè obſeruandi. Epiſcopatus autem huic Metropoli Eccleſiæ addicti, ſunt *Riuenſis Rieux, Lombarienſis Lombez, Montiſ-albani, Sancti-Papuli, S. Papoul, Apamienſis Pannes, Laurienſis Lauaur, &* *Mirapicenſis Mirepoix.* *Quibus in locis poterit prudenter retineri vſus horum Caſuum, ſi peculiares alij minimè ſtatuto firmētur. Quare autem Toloſanam Tabellam ſub Gallia Narbonenſi ſtatuimus, dictum eſt extrema Tabella Bituricenſi §. *Interea.*

TOLOS.

Suffraganei.

Adijcitur Dax.

TO-
LOS.

Tab. II.
Gallicana.

CASVS RESERVATI in Archiepiscopatu Arelatensi.

1. *SI quis hæreticus fuerit hæresim professus, & hæreticorum fautor.*

Vtraque pars, nimirum de hæreticis & eorum fautoribus; explicatur parte 1. gener. Artic. 1. & 2. quatenus absolutio est Papalis in facto manifesto. Nam in solo occulto est Episcopalis de quo parte 2. gen. art. 5. Et commodiùs alia in Tabella Belgica septentrionali Ar. 1.

2. *Si quis simoniam quocunque modo commiserit.*

Vox *quocunque.* confirmat eaquę diximus articulo 1. Lugdunensi, de eadem materia: vt scilicet ostendatur quòd Archiepiscopales reseruationes, in simoniaca materia, cōplectuntur omne aliud simonię genus nemini alioqui reseruatum: etiam realem simoniam si occulta fuerit, non tamen publicam, non obstante illa vox *quocunque*. Nam inferior Pontifex seu Archipræsul nequit supremo Pontifici legem imponere, in his quæ Caput Ecclesiæ sibi iam reseruauit.

3. *Si quis excommunicatus quacunque excommunicatione lata ab homine fuerit.*

Articulus idem sancit quod iam retinet cōmune ius Episcoporum, quo pacto docetur

articu 3. parte 2. gener. huc pariter referuntur monitoria quæ Antiſtites ſub pœna excommunicationis ob furta reuelanda mandant, de quibus ibidem.

TOLOS.

4. *Si quis Clericus interdictus, ſuſpenſus, excommunicatusque diuina tractauerit.*

Tres hic cenſuræ: quæ intelliguntur de inflictis tum ipſo iure, tum ab homine ſeu iudice. Et eo in ſtatu Clericus celebrans aliúmue ordinem eccleſiaſticum exercens incurrit irregularitatem ſæpiùs à ſolo Pontifice tollendam in facto notorio, ſicuti docuimus parte 1. general. poſteriore Admonit. Articulo 30. Rothomagenſi & 23. Pariſienſi. Quæ quidem irregularitas ac etiam cenſuræ, ſi in ſolo exteriore foro per Reſcriptum tollantur, culpa adhuc ſeorſum remanet, in conſcientiæ foro delenda ex parte 1. obſeruat. 3. Eiuſmodi autem culpa & abuſus in tractandis diuinis, ſi ſeiunctim ſpectetur in hoc Archiepiſcopatu reſeruatur: veluti in Lugdunenſi quoque Artic. 4. vbi loci alij citantur.

5. *Si quis Clericus per ſaltum fuerit promotus aut ab alieno Epiſcopo.*

De priore parte, quæ eſt promotio per ſaltum, habet decretalis de clerico per ſaltum promoto,[c] & Nauarrus Cap. 27. nu. 242 vbi promotus declaratur ſuſpenſus ab Epiſcopo abſoluẽdus ante vſum ordinis accepti, & poſt eiuſdem exercitium fit irregularis à Papa ad maiorem ordinem ſuſcipiendum diſpenſandus, ſi ſcienter ad priores ordines acceſſerit.

c *lib. 5. Decre. tit. 30.*

De posteriore autẽ parte quæ est promotio sine literis dimissorijs proprij Episcopi agit Articulus 5 Lugdunensis. Et de vtroque, posterior Appendix Casuum communium initio partis 3. gener. Cæterùm, hic Casus siue hæc culpa per tumultuariam hanc ordinationem commissa, facilè reseruatur huic Archiepiscopo. Quippe hæc suspensio, quæ iam reseruatur, non nisi in foro interiori solet obliterari. Proptereáque facile est culpam simul reseruare, vt illa coniunctim deleatur cum censura per Episcopales Vicarios, quibus id negotij commissum est. Absolutè tamẽ loquendo suspẽsio separatim tolli potest; sed in solo externo foro, ex Animaduers. citata.

6. *Si quis incendiarius rerum Ecclesiarum aut aliarum extiterit.*

Vide eius species in 1. Casu communi, cum excõmunicatione iuris circa vnum membrũ.

7. *Si quis abortum fieri procurauerit, fecerit, docuerit aut consenserit.*

Casus explicatur Articulo 14. Lugdunensi planè simili cum locis ibidem citatis.

8. *Si quis sancta Eucharistia, sancto chrismate aut sacramentalibus malè vsus fuerit.*

Hæc dictio *sacramentalibus* est accidentium & reliquarum circunstantiarum pertinentiũ ad essentiam sacramentorum, hoc est ad materiam & formam. Quinimò videtur etiam dictio extendenda ad aquam benedictam, & ad omnia tandem sacramentalia. Vnde, error

imprudentiæ primariò & immediatè versatur circa eiusmodi sacramentalia (non autem circa ipsum sacramentum) est vel negligentia vel inordinatio vel alius defectus. Quo fit vt iste Casus fortè complectatur hac in parte maiorem partem exemplorum allatorum Articulo 23. Lugdunensi & 11. Rothomagensi: estque hîc paulo strictior. ARELA.

Deinde quia textus addit vocem (malè) déque ipsissimis sacramentis quoque loquitur, fit iterũ vt hîc multò faciliùs reseruetur maior abusus sacramentorum, qualis est eorundem profanatio aut sortilegium in ipsis perpetratum: de quibus agunt Casus 24. Lugdunensis, 12. Rothomagensis 7. Parisiensis, 2. & 19. Ebredunensis, tum 20. & 21. Belgicus. Sic enim pœna inferioris ordinis, seu minor culpa in lege conscripta & reseruata, continet atque reseruat quoque culpam grauiorem sub eodem genere latentem, vel docet saltem eam meritò reseruari debere ex dictis artic. 7. Parisiensi.

9. *Si quis homicidium commiserit, præceperit fieri, aut in necem alicuius consenserit.*

Æquatur articulo 2. communi, &. 9. Senonensi, vbi partes censuris immixtæ secernuntur, quales sunt assassini vel clericidæ.

10. *Si quis sacrilegus Ecclesiarum violator extiterit.*

Per hanc Ecclesiarũ violationẽ videtur propriè intelligi furtũ rerũ in Ecclesiis acceptarũ.

ARELA. quod quidem est peccatum lethale sine censuris & reseruatione iure communi, si modò absit ipsius Ecclesiæ effractio, quia hinc pendet excommunicatio iuris solius Episcopalis absolutionis, ex par. 2. gener. Artic. 10. Sicque est directè sacrilegium reale, sed partiale veluti subobscurè colligitur ex 4. Casu communi partis 3. generalis. Complectitur vi literæ solam Templorum violationem, quæ est furtum mobilium in sacris fanis repositorum (vt clarius rem aperiamus) non autē simoniā expressā par. 1. art. 27. 28. & 29. quæ nihilominus dicitur etiam sacrilegiū reale, sed non versatur circa ipsas ecclesias materiales: quam tamen circunstantiam postulat præsens Casus. Quòd si quis violationem latiùs velit extendere: sanè erit violatio ecclesiasticæ immunitatis seu sacrilegium locale iam communi iure reseruatum ex præfato Articulo 4. Simile in 5. Casu Parisiensi.

11. *Si quis matrem, sororem, consanguineam aut affinem vsque ad quartum gradum cognouerit.*

Casus includit solùm omnem latitudinem proprij incestus, id est commessi cum affine seu consanguinea propter licitam coniugi copulam coniuncta quàm latitudinem superat Articulus 12. Senonensis & 14. Belgicus, quandoquidem continent incestum improprium seu perpetratum cum affine propter illicitam copulam. Sed eisdem æquatur in

graduum numero, in quibus quidem latius patet articulis 9. Parisiensi & 5. Bituricensi. Verùm iste explicitus & apertus Casus par est prorsus implicito articulo 19. Lugdunensi, in cuius commentario gradus omnes fusè explicantur. AREL A.

12. *Si quis Moniales consecratas vel non consecratas violauerit aut sollicitauerit.*

Duo hic aguntur. In primis, sermo est de Monialibus non consecratis præter consecratas. Moniales non consecratæ duplicis sunt generis: priores sunt illæ quæ vulgò dicuntur Nouitiæ, hoc est vel quæ Monasterij quidem habitum susceperunt, sed adhuc versantur in tenera ætate minimè apta consecrationi, vel saltem legitimam ætatem ac idoneum quidem vsum rationis adeptæ sunt, at nondum probationis annum compleuerunt, & animum habent emittendi solenne votum suo tempore. Posteriores, dicuntur conuersæ sorores. Hæ neque probantur spe futuræ professionis, neque habitum sæpe gestant, præsertim totum: sed vel votum duntaxat emittunt vel etiam abstinent à voto solenni maximè inter Conuersas cupiunt tamen seipsas in Monasterijs aut alibi diuino obsequio mancipare, cui se liberè tradũt vt vel Monialibus professis vel alijs inseruiant. Singula disertè patent Cap. *Non dubium* & Cap. *Ex tenore* de sent. Excom. lib. 5. decret. cum Glossa.

TOLOS. 11. *Mulier quæ per adulterium infantem pepererit, quem maritus credit esse suum: & propter quem filij legitimi defraudantur hæreditate paterna.*

Hîc meritò aduertendum est quòd adulterium sit biceps hoc loco. Primò quidem dicitur simplex, scilicet quando alter ad copulam accedens solutus est & liber: secundò, duplex appellatur, nimirũ quando ambo sunt cõiugati: teste Syluestro verb. *Adulteriũ*. nu. 1. Hinc iste Casus vtrunq; sensum amplectitur. Non enim duntaxat hîc reseruatur peccatũ mulieris vxoratæ quæ virum alteri coniugatum admittit, sed etiam quæ viro soluto cõmiscetur. Quippe id simplex adulterium, est verè & synonymè adulterium, scilicet ex parte vxoris quę proprio marito maximam facit iniuriam. Missa facimus duo alia adulterij genera huc non spectantia. quæ addit Syluester. Plura ad calcem Tabellæ Aquensis.

12. *Vsurarij notorij & manifesti, qui parum curant tali peccato renuntiare.*

Dictiones hæ, *qui parum curãt &c.* Videntur Parocho veniã cõcedere vt semel saltẽ, at non pluries, vsurarios absoluant in illa Diœcesi, cũ vehemẽti exhortatione vt non reuertãtur ad vomitũ in huiusmodi crimine tam odioso & proximis noxio: ea sanè cõditione, vt fidenter & apertè declaret tales (in prouincia) altera vice necessariò debere Episcopalẽ Pœnitẽtiariũ cõuenire, ex dictis articuli 10. Ratio exhibendæ restitutionis legitur in Tabella Senonẽsi art. 24. & 25. tũ plura in 25. Lugdunensi.

13. Ille

13. *Illi qui falsificant instrumenta Notariorum mensuras, pondera, aut monetas.* TOLOS.

Prima pars, quæ est de falsific. instrumentorum, continetur sub 3. Casu cõmuni. Duntaxat hîc ponitur specialius exemplum, & quidem oportunè, 2. pars quę legitur de mensuris, exprimitur in 14. Casu Bituricēsi, & hîc solùm addūtur falsifici ponderum, non tamen vtentes pondere falso. tertia pars habetur in Belgico septentrionali circa monetas Art. 16.

14. *Ille qui in iudicio falsum testimonium dixerit, aut peierauerit.*

Æquatur Articulo 14. Senonensi in suis partibus. Sed præterea, superiùs membrum, scilicet testimonio, refertur ad Casum 3. communem: atque posterius, de periurio, ad 29. Lugdunensem, vbi fusius occurit explicandum. Illic tamen comprehenditur solenne in parte: at istic occultum duntaxat.

15. *Illi qui per malitiam aut inuidiam, vel scienter ignem in horrea & alienas domos conijciunt, antequam denuncientur excommunicati: quia post eiusmodi denunciationem, absolutio Papæ reseruatur.*

Hoc incendiariorum genus, circa res prophanas continetur directè sub 1. Casu communi istius 3. partis generalis: & penes materiam distinguitur specie à secundo Casu huiusce Diœcesis Tolosanæ. Isque est de violatoribus Ecclesiarum, inter quos commemorantur incēdiarij Templorū Deo dicatorum. Ante denunciationem verò, incendiarij istius

AA

TOLOS. 15. Articuli reseruantur solis Episcopis de iure, ac sine excommunicatione canonica. Papalis autem reseruatio post condemnationem, inseritur Articulo 40. partis primæ.

Isti quindecim Casus deprompti sunt ex Synodalibus Statutis ciuitatis & Diœcesis Tolosanæ, atque impressi anno 1597. iussu præfati illustrissimi Cardinalis & Archiepiscopi. Exemplar autem typis mandatum ad me Tolosa Lutetiam missum est, ac denuo comprobatum mense Martio anno 1599. de mandato D. D. Vicariorum generalium subscribēte Secretario illustrissimi Cardinalis: ijque suo calamo subiunxerunt quòd antea fuerant triginta & vnus Casus, præterea cōmemorāt octodecim reseruationum articulos tunc cōcedi solitos Confessarijs tempore Quadragesimæ, nunc verò cunctos ab illustrissimo Cardinali absolutè reuocatos ad præfatos quindecim pro maiore Confessariorum ac pœnitentium solatio: addunt singula describi Cap. De pœnitentia, in Synodalibus Diœcesis Statutis, quorum libellum sunt vltro polliciti, sed ad nos hactenus peruenire non potuit, neque sane eius lectio iam adeo necessaria est ad præsens institutum. Articuli autem conditi sunt Gallico idiomate, sicut & Casus Lugdunenses.

Interea obiter monemus quòd Casus Papales extra Bullam Cœnæ Domini, quæ in ea Charta ad viginti vnum recensentur (necnon

& articuli quidecim eiuſdem Bullæ) breuiùs æquo ibidem perſtringuntur. Illic verò, in catalogo Caſuū extra Bullam Articulo 19. ſtatuūtur cōcionatores falſorum miraculorum & prophetiarum quæ in ſacra Scriptura non continentur, tanquā Papæ reſeruauit. Quem ſanè articulum minimè comprehendit pars 1. huiuſce Operis: eoquòd Caïetanus & alij Doctores cœtanei Lateranēſi Conſilio ſub Leone 10. vbi hæc cenſura primùm condita eſt, eam non eſſe receptam teſtantur, ex Nauarro Cap. 27. nu. 3. Eiúſque rei meminimus parte 2. gen. Ad extremum, præter hos quindecim Caſus, hîc annumerandi ſunt duodecim primi Articuli merè Epiſcopales partis 2. cit. iique annexi cenſuris, & inſuper tertius communis partis 3. ſine cenſuris, eſtque de falſificis. Sic ad ſummū extant viginti octo Caſus pro Archiepiſcopali Sed Toloſana exactè obſeruandi. Epiſcopatus autem huic Metropoli Eccleſiæ addicti, ſunt *Riuenſis Rieux, Lombarienſis Lombez, Montiſ-albani, Sancti-Papuli, S. Papoul, Apamienſis Pannes, Laurienſis Lauaur, & Mirapicenſis Mirepoix.* *Quibus in locis poterit prudenter retineri vſus horum Caſuum, ſi peculiares alij minimè ſtatuto firmētur. Quare autem Toloſanam Tabellam ſub Gallia Narbonenſi ſtatuimus, dictum eſt extrema Tabella Bituricenſi §. *Interea.*

TOLOS.

Suffraganei.

**Adijcitur Dax.*

TOLOS.

Tab. II. Gallicana.

CASVS RESERVATI in Archiepiscopatu Arelatensi.

1. ***SI quis hæreticus fuerit hæresim professus, & hæreticorum fautor.***

Vtraque pars, nimirum de hæreticis & eorum fautoribus; explicatur parte 1. gener. Artic. 1. & 2. quatenus absolutio est Papalis in facto manifesto. Nam in solo occulto est Episcopalis de quo parte 2. gen. art. 5. Et commodiùs alia in Tabella Belgica septentrionali Ar. 1.

2. *Si quis simoniam quocunque modo commiserit.*

Vox *quocunque.* confirmat eaquę diximus articulo 1. Lugdunensi, de eadem materia: vt scilicet ostendatur quòd Archiepiscopales reseruationes, in simoniaca materia, cōplectuntur omne aliud simonię genus nemini alioqui reseruatum: etiam realem simoniam si occulta fuerit, non tamen publicam, non obstante illa vox *quocunque*. Nam inferior Pontifex seu Archipræsul nequit supremo Pontifici legem imponere, in his quæ Caput Ecclesiæ sibi iam reseruauit.

3. *Si quis excommunicatus quacunque excommunicatione lata ab homine fuerit.*

Articulus idem sancit quod iam retinet cōmune ius Episcoporum, quo pacto docetur

articu 3. parte 2. gener. huc pariter referuntur TO-
monitoria quæ Antiſtites ſub pœna excom- LOS.
municationis ob furta reuelanda mandant, de quibus ibidem.

4. *Si quis Clericus interdictus, ſuſpenſus, excommunicatusque diuina tractauerit.*

Tres hic cenſuræ: quæ intelliguntur de inflictis tum ipſo iure, tum ab homine ſeu iudice. Et eo in ſtatu Clericus celebrans aliúmue ordinem eccleſiaſticum exercens incurrit irregularitatem ſæpiùs à ſolo Pontifice tollendam in facto notorio, ſicuti docuimus parte 1. general. poſteriore Admonit. Articulo 30. Rothomagenſi & 23. Pariſienſi. Quæ quidem irregularitas ac etiam cenſuræ, ſi in ſolo exteriore foro per Reſcriptum tollantur, culpa adhuc ſeorſum remanet, in conſcientiæ foro delenda ex parte 1. obſeruat. 3. Eiuſmodi autem culpa & abuſus in tractandis diuinis, ſi ſeiunctim ſpectetur in hoc Archiepiſcopatu reſeruatur: veluti in Lugdunenſi quoque Artic. 4. vbi loci alij citantur.

5. *Si quis Clericus per ſaltum fuerit promotus aut ab alieno Epiſcopo.*

De priore parte, quæ eſt promotio per ſaltum, habet decretalis de clerico per ſaltum promoto,[c] & Nauarrus Cap. 27. nu. 242 vbi promotus declaratur ſuſpenſus ab Epiſcopo abſoluēdus ante vſum ordinis accepti, & poſt eiuſdem exercitium fit irregularis à Papa ad maiorem ordinem ſuſcipiendum diſpenſandus, ſi ſcienter ad priores ordines acceſſerit.

c *lib. 5. Decre. tit. 30.*

ARELA- De posteriore autẽ parte quæ est promotio sine literis dimissorijs proprij Episcopi agit Articulus 5 Lugdunensis. Et de vtroque, posterior Appendix Casuum communium initio partis 3. gener. Cæterùm, hic Casus siue hæc culpa per tumultuariam hanc ordinationem commissa, facilè reseruatur huic Archiepiscopo. Quippe hæc suspensio, quæ iam reseruatur, non nisi in foro interiori solet obliterari. Proptereáque facile est culpam simul reseruare, vt illa coniunctim deleatur cum censura per Episcopales Vicarios, quibus id negotij commissum est. Absolutè tamẽ loquendo suspẽsio separatim tolli potest; sed in solo externo foro, ex Animaduers. citata.

6. *Si quis incendiarius rerum Ecclesiarum aut aliarum extiterit.*

Vide eius species in 1. Casu communi, cum excõmunicatione iuris circa vnum membrũ.

7. *Si quis abortum fieri procurauerit, fecerit, docuerit aut consenserit.*

Casus explicatur Articulo 14. Lugdunensi planè simili cum locis ibidem citatis.

8. *Si quis sancta Eucharistia, sancto chrismate aut sacramentalibus malè vsus fuerit.*

Hæc dictio *sacramentalibus* est accidentium & reliquarum circunstantiarum pertinentiũ ad essentiam sacramentorum, hoc est ad materiam & formam. Quinimò videtur etiam dictio extendenda ad aquam benedictam, & ad omnia tandem sacramentalia. Vnde, error

imprudentiæ primariò & immediatè versatur circa eiusmodi sacramentalia (non autem circa ipsum sacramentum) est vel negligentia vel inordinatio vel alius defectus. Quo fit vt iste Casus fortè complectatur hac in parte maiorem partem exemplorum allatorum Articulo 23. Lugdunensi & 11. Rothomagensi: estque hîc paulo strictior. ARELA.

Deinde quia textus addit vocem (malè) déque ipsissimis sacramentis quoque loquitur, fit iterũ vt hîc multò faciliùs reseruetur maior abusus sacramentorum, qualis est eorundem profanatio aut sortilegium in ipsis perpetratum: de quibus agunt Casus 24. Lugdunensis, 12. Rothomagensis 7. Parisiensis, 2. & 19. Ebredunensis, tum 20. & 21. Belgicus. Sic enim pœna inferioris ordinis, seu minor culpa in lege conscripta & reseruata, continet atque reseruat quoque culpam grauiorem sub eodem genere latentem, vel docet saltem eam meritò reseruari debere ex dictis artic. 7. Parisiensi.

9. *Si quis homicidium commiserit, præceperit fieri, aut in necem alicuius consenserit.*

Æquatur articulo 2. communi, &. 9. Senonensi, vbi partes censuris immixtæ secernuntur, quales sunt assassini vel clericidæ.

10. *Si quis sacrilegus Ecclesiarum violator extiterit.*

Per hanc Ecclesiarũ violationẽ videtur propriè intelligi furtũ rerũ in Ecclesiis acceptarũ.

ARE-
LA.

quod quidem est peccatum lethale sine censuris & reseruatione iure communi, si modò absit ipsius Ecclesiæ effractio, quia hinc pendet excommunicatio iuris solius Episcopalis absolutionis, ex par. 2. gener. Artic. 10. Sicque est directè sacrilegium reale, sed partiale veluti subobscurè colligitur ex 4. Casu communi partis 3. generalis. Complectitur vi literæ solam Templorum violationem, quæ est furtum mobilium in sacris fanis repositorum (vt clarius rem aperiamus) non autē simoniā expressā par. 1. art. 27. 28. & 29. quæ nihilominus dicitur etiam sacrilegiū reale, sed non versatur circa ipsas ecclesias materiales: quam tamen circunstantiam postulat præsens Casus. Quòd si quis violationem latiùs velit extendere: sanè erit violatio ecclesiasticæ immunitatis seu sacrilegium locale iam communi iure reseruatum ex præfato Articulo 4. Simile in 5. Casu Parisiensi.

11. *Si quis matrem, sororem, consanguineam aut affinem vsque ad quartum gradum cognouerit.*

Casus includit solùm omnem latitudinem proprij incestus, id est commessi cum affine seu consanguinea propter licitam coniugi copulam coniuncta quàm latitudinem superat Articulus 12. Senonensis & 14. Belgicus, quandoquidem continent incestum improprium seu perpetratum cum affine propter illicitam copulam. Sed eisdem æquatur in

graduum numero, in quibus quidem latius patet articulis 9. Parisiensi & 5. Bituricensi. Verùm iste explicitus & apertus Casus par est prorsus implicito articulo 19. Lugdunensi, in cuius commentario gradus omnes fusè explicantur. A'R E-L A.

12. *Si quis Moniales consecratas vel non consecratas violauerit aut sollicitauerit.*

Duo hic aguntur. In primis, sermo est de Monialibus non consecratis præter consecratas. Moniales non consecratæ duplicis sunt generis: priores sunt illæ quæ vulgò dicuntur Nouitiæ, hoc est vel quæ Monasterij quidem habitum susceperunt, sed adhuc versantur in tenera ætate minimè apta consecrationi, vel saltem legitimam ætatem ac idoneum quidem vsum rationis adeptæ sunt, at nondum probationis annum compleuerunt, & animum habent emittendi solenne votum suo tempore. Posteriores, dicuntur conuersæ sorores. Hæ neque probantur spe futuræ professionis, neque habitum sæpe gestant, præsertim totum: sed vel votum duntaxat emittunt vel etiam abstinent à voto solenni maximè inter Conuersas cupiunt tamen seipsas in Monasterijs aut alibi diuino obsequio mancipare, cui se liberè tradũt vt vel Monialibus professis vel alijs inseruiant. Singula disertè patent Cap. *Non dubium* & Cap. *Ex tenore* de sent. Excom. lib. 5. decret. cum Glossã.

ARELA. Eiuſmodíque Conuerſæ gaudent priuilegio clericali eorum, quorum vitam religionémque aſſumunt. Ita vt qui tales percutiunt, incurrant quoque cenſuras reſeruatas ibidem, & apud Nauarrum Cap. 27. nu. 79. Dequo parte 2. gen. art. 1. igitur peccatum eorum qui caſtitatem ſororis hoc ſenſu cõuerſæ violant, in hoc Arelatenſi Archiepiſcopatu reſeruatur, non ſecus ac peccatum virginum conſecratarum. Et hic eſt Caſus huic Sedi peculiaris.

Alterũ verò caput huc ſpectãs, eſt rurſus duplex priùs, eſt quo reſeruantur illi violatores qui Monialem vi rapiunt, ſúntque ipſo facto excommunicati & hoc non ineptè inſinuat verbum textus violauerint Poſteriùs, eſt quo reſeruantur ii. qui cum Moniali etiam conſenſum præbente miſcentur. Idque haud dubiè connotat vox ſolicitauerint, in textu poſita.

Adde quòd minus ſub maiori cõprehẽditur & hæc vtraque ſpecies dicitur, ſtuprum. Sed poſterior hæc ſpecies propter conſenſum nõ ſubiacet excõmunicationi. Ambæ tamẽ ſatis explicantur Artic. 2. Lugdunenſi & 8. Pariſienſi cum cenſura ex matrimonio hinc contracto petita.

13. *Si quis in Eccleſia aut loco ſacro luxuriam commiſerit.*

Hoc caput duas habet partes: quarũ vna eſt de ſimplici fornicatione perpetrata In Eccleſia, nimirũ in conſecrata: eaq; in Caſibus Lu-

retianis ſola tandem remanſit ex artic. 14. Altera eſt de eadem fornicatione commiſſa in loco ſacro, ſcilicet in cemeterio, eremitorio, dormitorio, clauſtro, hoſpitali &c. ſicut Caſu. 21. Lugdunenſi explicatur. Quę quidem, etſi nunc in Pariſienſibus non vigeant, hîc tamen expreſsè locum habent, dictante ipſo textu. ARELA.

14. *Si quis cum Iudæa, ſaracena aut bruto animali nefariè coierit.*

Duę particulæ hîc rurſus deſcribuntur. Vna eſt de humana copula viri cum muliere diſparis cultus & profeſſionis vt fidelis baptizati cum infideli Iudęa & alijs nō baptizatis, etiāſi exerceatur in loco naturali & ordinato à natura extra omnem ſodomiam. Qua in re deprehenditur ſanè veterem eſſe & antiquam horum Caſuum conſtitutionem, nempe eo æuo præſcriptam, quo Iudæi adhuc cernebantur tanquam incolæ diſperſi per Arelatenſem Archiepiſcopatum: de quorum exitu & tempore apparet Articulo 19. Lugdunenſi. Alia eſt de ſola prima ſpecie peccati contra naturam, quæ quidem ſtatuitur de mixtione cum alia prorſus ſpecie, hoc eſt cum bruto. Adeóque hîc non reſeruantur ſodomia, nec duæ reliquæ ſpecies ipſius peccati aduerſantis naturæ, ſi textum explicamus par eſt in pœnarum conſtitutione. Reliquæ autem partes, aut ſaltē nonnullę, ſtatuūtur articulis 20. Lugdunēſi, 15. Se. 9. & 15. Rot. 4. Narb. & 15. Belg.

15. *Si qua mulier de adulterio conceperit infantem, quem maritus putat eſſe ſuum.*

ARELA. Habet eundem planè ſenſum quem & Caſus 1. Toloſanus, petitum ex duobus adulterij ſpeciebus. Alia in 10. Ebredunenſi.

16. *Si quis in iudicio vel extra, periuriũ cõmiſerit.*

Quatenus in textu collocatur vox *extra*, ſequitur hunc articulum comprehendere non modo ſolenne periurium, ſed etiam priuatum ſeu non ſolenne. Solenne autem eſt duplex, & vnica eius ſpecies hîc reſeruatur, ſicuti iam dictum eſt articulo 29. Lugdunenſi æquali in hac parte. Verùm ratione priuati periurij, quod hîc etiam retinetur, præſens Caſus eſt latior & grauior Lugdunenſi, 22. Rothomagenſi & 18. Belgij ſeptentrionalis Priuatum autem periurium eſt quod coram vnico teſte profertur. Quoties enim coram duobus aut pluribus enunciatur, iam incipit eſſe ſolenne, ſi pariter manus euangelijs apponatur, etiam abſente iudice.

Periuriũ priuatũ quid.

Quo loco aduertendum eſt quòd ſublatis ſolennitatum conditionibus, eiuſmodi priuatum periurium retinet vnam ſolum partẽ definitionis vt pote ipſius genus. Quippe periurium in genere eſt iuramentum carens veritate, ſeu mendacium iuramento firmatũ, ſi modò fiat deliberatè vel lingua non præcurrente: aut quãdo quis verum tacet, quod abſque periculo dici poterat D. Thomas [a] & Sylueſter [b] potiſſimũ verò nos hîc loquimur de defectu veritatis in iuramẽto, quidem defectus ſimul cum Aſſertione, & affirmatione

a 2.2. q. 98.
b verb. iuramentum 1. nu. 1.

inducit grauius peccatum mortale quàm alij defectus nimirum iusticiæ & iudicij circa promissionem sępius differentes: quæ singula satis apud Syluestrum leguntur.[c] Sex exceptiones in simili Casu 18. Belgico hîc proculdubio reseruantur: quas illic vide lubentiùs.

AVXIT.

c *suprà. 2. nu. 5. & verb. Periurium.*

17. *Si quis excommunicationem, aut interdictum contempserit.*

Contemptus docet talem despiientem potius debere intelligi excommunicatum ab homine, quàm à iure. Quia igitur excommunicatio à iudice semper Superiori reseruatur, hinc facilè infertur reseruatio etiam culpæ, quæ per eum contemptum commissa est. Et hic quidem est primus integer Casus Arelatensi Sedi peculiaris. Aliud verò est de participatione fidelis cum nominatim excommunicato per contemptum iudicis vel ecclesiasticæ disciplinæ: de qua nos cum Canonistis parte 2. gener Artic. 11. Etenim talis participans in primis minorem solam excommunicationem incurrit: & huiusce rei peccatum minimè sub præsenti reseruatione comprehenditur, etiam si participantes & contemnentes ob initam eam societatem sæpiùs mortaliter delinquant, ex citato partis commentario. Istic enim non de illis qui participant cum excommunicato, sed de ipsismet excommunicatis ac interdictis est sermo, vt patet in textu.

Obiter interea aduertendum est quòd ne-

ARE-LA. que idem articulus loquitur de contemnentibus ſuſpenſionem: cùm ipſa tamen ſit vna de tribus cenſuris eccleſiaſticis. Eiuſmodi autem ſuſpẽſio ex definitione dicitur eſſe prohibitio exercitij officij ſeu beneficij &c. teſte Nauarro Cap. 27. nu. 1<1.

18. *Si quis decimas ſoluere recuſauerit aut eas detinuerit.*

Iſtius Caſus materiam minimè comprehendunt articuli 35. & 36. partis 1. generalis, reſeruati Papæ: cum ſint de alia vſurpatione, quàm retentio decimarum. Leguntur enim de illis vſurpatoribus qui aliquid laïca authoritate ab eccleſiaſticis exigunt. Neque denuò hanc eandem materiam complectuntur excommunicati à iure articulorum 37. 38. 39. & 40. par. gener. nemini reſeruatorum. Quippe eiuſmodi loci ſunt de illis præſertim laïcis qui eccleſiaſticos compellunt vt ſua bona ſeu immobilia alienent ac iura ſubmittant laicis ex Cap. *Hoc conſultiſsimo*[d] Itémque ſunt de gubernatoribus omittentibus eadem reddere, ex Cap. *Adminiſtratores* cum alijs. Et ſanè neque illi textus neque Gloſſæ id ad decimas extendunt neque eò etiam reduci poſſe videntur multis de cauſis.

d lib. 3. ti. 9. in 6.

Primò quidem, quia decimę inter bona mobilia numerantur: cúm ſint de rebus quarum ſubſtantia vſu conſumitur. At verò prohibitio articuli 38. ſeu præfati capitis. Hoc non extenditur ad mobilia teſte etiã Gloſsã verb. *immobilia.*

Secundò, quia ibidem verbo *iura*. notat Glossa quòd iura vel incorporalia ponuntur inter bona immobilia. Decimæ autē sunt corporales (vt cum Canonistis loquar) vt pote fructus terrestres. Vide etiam quod obiter diximus citato artic. 38. partis 2. AREL A.

Tertiò, quia etsi mobilia recenseantur in præfata 2. parte excommunicationum articulo 40. tamen illic sermo est de mobilium alienatione & locatione, qui quidem contractus præsupponit necessariò rem locatam fuisse priùs inter manus Clerici locantis tanquam actu antea possidentis. Istic verò instituitur disputatio de retentis decimis, quæ nondum vnquam peruenerunt ad Clerici possessionem.

Quarta denique ratio, est quia Canones qui de decimis tractant, minimè aiunt excommunicatos esse ipso iure eos qui decimas Ecclesiæ retinent & soluere dedignantur: sed monentur duntaxat Prælati, vt tales excommunicent qui ipsas *subtrahunt aut impediunt* earum solutionem. Imò neque culpa mortalis per retentionem commissa reseruatur iure communi. verùm Ecclesiæ sanctiones exactè prohibent, ne sacerdotes hos absoluant, quin priùs reipsa decimas restituerint.

Comminatio futuræ breuì censuræ sub præcepto constat ex Capite. *Si quis laicus* 16. quæstione 1, & Cap. quinto. *Omnes decimæ*. ibidem quæstione. 7. De inde mandatum

ARELA. de absolutione per Parochum post restitutionem, patet vnà cum illo comminatorio anathemate in Concil. Tridentino Cap. 12. *Non sunt.* Decreto de Reformat. Sess. 25. Tum Nauarrus Cap. 17. nu. 59. & Ca. 21. nu. 12. si debitor id præstare possit. Hic igitur Casus est sine censuris ipso facto. Circa quem grauiores alias pœnas cum censuris addit Articulus 13. Auxitanus posterioris ordinis & profectò idem articulus est dignus reseruatu in pluribus prouincijs: nimirum quia hodie frequentior est hac in re abusus.

Generalis admonitio de perenni Operis emolumento.

19. *Si quis iura Ecclesiastica occupauerit vel retinuerit.*

Multa præclara continet iste Casus excommunicationi iuris obnoxius, eáque digna explicatu. In primis nomine iurium ecclesiasticorum concipiuntur res incorporeæ ecclesiasticæ, de quibus paucis & obiter præfati sumus superiore artic. 18. ex Capite citato in articulo 28. par. 2. gener. Eiusmodi autem res incorporeæ sunt duplicis ordinis.

Priori, statuuntur res planè spirituales, quales dicuntur Ius eligendi, confirmandi & consecrandi Clericos in quoque ordine. Et loquimur de solis rebus ecclesiasticis: quia in ciuilibus seu laïcis & meris temporalibus deprehenditur etiam ius eligendi & confirmandi, circa officia quod pariter est ius naturâ sua spirituale, prophanum tamen siue laïcum Christianum, hoc est

quatenus

quatenus ſpirituale ciuile opponitur ſpirituali Eccleſiaſtico præſtantiori, qualia ſunt iura Principum ſecularium, Senatuum, vel cõmunitatũ ciuitatis atque prouincię in quibuſque Officiarijs Reipublicæ deligendis. ARELA.

Poſteriori, ſtatuuntur res mediæ ſeu mixtæ, hoc eſt quæ penes Eccleſiam & laïcos quoq; remanent, ſoléntq; nũcupari iura mixta, ſcilicet partim ſpiritualia & ex parte temporalia, at denuò purè incorporea, ex natura ſua in abſtracto conſiderãda, vt pote quia is modus iuris tẽporalis immediatè, refertur ad ſpiritualia ſeu ad res Eccleſiaſticas. Tale potiſſimùm eſt ius patronatus quod generatim ſumptum non eſt ſpirituale purè ac præcisè: laïco enim competit, vt vel donatione vel ſucceſſione ad hæredes trãſire poteſt, non etiã eſt merè temporale, quia ab ipſo laïco patrono diuendi nõ poteſt. Neque propterea eſt partim temporale partímq; ſpirituale, cùm ſit quid ſimplex diuiſionis expers. Dici verò poteſt quid temporale ſpirituali annexum, quãdoquidem neceſſariò ad diuina officia ordinatur. Clementina de iure patronatus lib. 3. tit. 12. & clariùs Gloſſatores in cap. *Piæ mentis*. 16. qu. 7. Igitur præſentem Caſum incurrunt primò patroni (ſiue Eccleſiaſtici, ſiue laïci) *qui in ijs quæ ad ſacramentorum adminiſtrationem ſpectant ſe præſumũt ingerere, quique viſitationi ornamentorũ Eccleſiæ, aut bonorũ ſtabiliũ, ſeu fabricarũ prouentibus ſe immiſcẽt, niſi quatenus id eis ex inſtitutione* [e] *ac fundatione cõpetit, ſed Epiſcopi hæc faciant.*

Ius patronatus quale.

[e] *Seu donatione & conſtructione: ex quibus tribus quis fit patronus.*

ARELA. His enim verbis ſancit Cōcilium Trident. ſeſſ. 24. de Reform. cap. 3. Patriarchæ. ad calcem. Quam legem ſi violēt patroni, ſequitur eos lethale peccatum & quidem hîc reſeruatum committere: quia dum hanc ſpeciem ſeu ius patronatus violant, iura Eccleſiaſtica occupant vel retinent, vt habet textus iſtius Articuli.

Quod ſpeciale exemplum rei incorporeæ ſeu iuris Eccleſiaſtici nos inſtar plurium proſequimur, eſt enim per ſe ſufficiens. Quippe ad propoſitum ſtatuit idem Concilium cap. 18. *Expedit: quòd qui ius patronatus habet, intra decem dies, aut aliud tempus ab Epiſcopo præſcribēdum, idoneos aliquot Clericos ad regendam Eccleſiā coram deputatis examinatoribus nominet &c.* Et poſt pauca pergit hoc pacto. *ex hiſque Epiſcopus eū eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit: atque illi, non alteri, collatio Eccleſiæ ab eo fiat, ad quem ſpectabit eam conferre, &c.* Hinc ſecundò dicimus, quòd illi patroni hunc rurſus Caſum incurrunt, qui renuente Antiſtite eum vi & violētia admitti volunt, quem nominăt ſupra dies decē aut poſt aliud præſcriptū tēpus ab ipſo Epiſcopo, aut qui cogunt eum recipi, quem ſemel quamuis incapacem atque reiectum obtulêre: ſi modò reipſa admiſſus & receptus ſit. Etenim culpa per eum conatum commiſſa ſine actuali prouiſione beneficij, nondum reſeruatur. Alias verò ſic: quia authorillius violentiæ Epiſcopo illatæ iura Ec-

clesiastica verè occupat, infringitque robur legis huius Tridentinæ de re incorporea. ARELA.

Tertiò illi hoc Casu inuoluuntur, qui pariter cogunt Episcopum, vt fruantur vsu iuris patronatus quod prætendunt, nec probant authenticis scripturis per spatium annorum ad minus quinquaginta.

Quartò & illi qui se in perceptione prouentuum & obuentionum beneficiorum ingerere consueuerint, etsi illa beneficia de iure patronatus ipsorum ex fundatione & donatione essent.

Quintò, & ij qui id ius patronatus titulo venditionis aut alio quocunque contra canonicas Sanctiones in alios transferre præsumunt, necnon cæteri qui penitus aduersantur alijs particulis textus Concil. Trident. cap. 9. Sicuti de Reform. sess. 25. Vbi hæc singula exactissimè præcipiuntur, sub pœna ferẽdæ excommunicationis circa quintum. Et profecto id singulare exemplum iuris patronatus; vt pote quod solùm est pars præsentis istius Casus, componit totum secundum articulum Auxitanæ Tabellæ posterioris ordinis: primus etiam eiusdem Tabulæ Articulus, qui seorsùm est de solis electionibus seu prouisionibus ad beneficia impeditis à laïcis aut alijs è Clero, huc etiam pertinet.

Sextò & vltimò, pro præsenti Articulo

ARE- hunc Casum incurrūt illi qui ius decimarum
LA. prædialium alienāt & vendunt, sicuti de iure patronatus dictū est: & perinde alij qui secretò instrumenta vel documenta seu Rescripta longè transferunt, ne is penes quem sunt ista omnia iura in instrumētis latētia, fructus percipere vel quēquam ad horū solutionem cogere possit. Neque tamen hoc sextum membrum ideo conuenit cum præcedēte Casu 18. istius Tabellæ.

Quippe hîc instituitur disputatio de ipsissimo iure & titulo percipiendi decimas præ-diales, quod equidem est inuēdibile, vt loquitur Nauarrus Cap. 21. à nu. 28. & proinde est
Exod. 22. Leuit. 27 sub finem & c. quid spirituale & iuris diuini in genere, quatenus inseruit necessariæ ministrorū sustētationi. Fructus autem reipsa collecti sunt temporales seu corporei, ac vēdi possunt. Discrepant ergo hi duo Casus sicut habitus ab actu, fructus & effectus à causa, spiritus aut anima ab humano corpore. Et iterū integer iste Articulus est tertius peculiaris huic Archiepiscopatui. Nam quamuis qui hæc iura Ecclesiastica detinent, velut spirituales quasdam res, legātur in genere excommunicati ipso facto, maximéque ab instanti præcedētis trinæ monitionis, ex Art. 38. partis 2. gen. nihilominus nemini reseruātur iure communi. In hac autem Arelatensi prouincia primùm reseruatur inter alios prouinciales Galliarum Casus.

Cæterùm industrius Lector alia exēpla hîc

cohærentia nunc facilè ex rerum euētibus ad ARELA.
præſentem materiam applicabit: cùm ſit vniuerſalior & variorum exemplorum, huiuſce generis & ordinis. Ad hunc tamen articulum referri nō poſſunt illi vndecim Articuli primæ Tab. gen. iíque Papalis reſeruationis in facto notorio, qui circa ſacrilegium reale ac perſonale paucis recenſentur parte 3. generali Artic. 4. Neque illi etiam qui verſantur circa exteriora Eccleſiæ bona ibidem renouati & citāti ab Artic. 35. ac ſequentibus quatuor eiuſdem 1. partis.

Etenim cùm ſint exteriora Eccleſiæ, ſunt iura merè corporea, quatenus ſenſibiles fructus reipſa annuatim percipiuntur, mediante antiquo iure percipiendi Eccleſiaſtico ſeu ſpirituali. Et iccirco ſunt alterius planè ordinis à præſenti ſenſu ac inſtituto, ſicuti ex lectione patet, & eò ſpectant duntaxat. Attamen, quatenus ſunt iura ſpiritalia Eccleſiaſtica, & quatenus hic cōſideratur ius aut titulus percipiendi tales fructus ſingulis annis; tunc certè illorum iurium ablatores cēſentur violare Eccleſiaſticam libertatem, ſicut & tranſgreſſores Articulorum 1. & 2. Auxitanæ prouinciæ in eòque ſaltem conueniunt cùm prędicto reali ſacrilegio rerum ſenſibilium ſeu corporearum, vtpote quod eſt violatio eiuſdem libertatis. Sic enim tollitur ius percipiendi, petendi, exigēdi in poſterum fructus, non ad vnicum quidem annum, ſed toto futuro tempore.

ARELA. 20. *Si quis diuinationes, incantationes dæmonum aut alia sortilegia commiserit.*

Vno verbo æquatur sexto Articulo Parisiensi, & primo Tolosano.

21. *Si quis puerorum oppressor extiterit, etiam ob negligentiam.*

Persimilis & coniunctis Casibus 12. Lugdunensi & 23. Senonensi, cum locis ibidem citatis.

22. *Si quis mulierem cognouerit, cuius confessionem audiuerit, aut quam baptizauerit.*

Casus ex parte Confessarij concurrit cum artic. 18. Lugdunensi: at ex parte baptizantis quadrat ex quadam parte cum articulo 7. Narbonensi. Nec directè complectitur materiam articuli 12. Parisiensis: quia ille est solîus patrini erga filiam spiritualem, iste verò est ipsiusmet baptizantis erga eandem: præsens autem Articulus cum duobus antecedentibus non habet annexas censuras. Alia in 12. Senon. & 1. Rothom.

23. *Si quis post votum castitatis matrimonium contraxerit.*

Hic primò comprehenditur votum solenne, cuius violatio per matrimonium inducit censuram nemini reseruatam ex communi lege [f] parte 24. gener. Attamen hoc loco reseruatur, præter culpam transgressionis quinque votorum Papalis dispensationis: de quibus habet similis Casus 16. Rothomagensis. Id autem matrimonium est vel Mo-

f *art. 53 & 54.*

nialis cum laïco, vel Clerici in ſacris ſeu Religioſi etiam nondum ordinati cum quacunque muliere. [g]

ARELA.

g ex loco cit.

Secundò iſtic reſeruatur quoque fractio voti ſimplicis per idem matrimonium duntaxat, non tamen per fornicationes extra id votum & connubium perpetratas: licèt articulus Rothomagenſis, iſto ſtrictior hanc fornicariorum conditionem inuoluat, eóque in loco reliqua huc ſpectantia citantur. Sic pręſens Caſus eſt latior articulo 18. Senonenſi: ſecluſo hinc Caſu 16. ibidem. De conſtupratione verò Monialis, vide articulum 12. huius Tabellæ. Quid & quotuplex ſit votum ſimplex, habetur art. 18. Senonenſi & 16. Rothomagenſi.

24. *Si quis patrem, aut matrem verberauerit.*

Hoc in Caſu non connotantur circunſtantiæ articuli 17. Senonenſis, 3. Rothomagenſis, aut 5. Rhemenſis. Explicitè autem æquatur Caſui 17. Pariſienſi.

25. *Si quis Monaſteria Monialium ingredi ſine permiſsione noſtra auſus fuerit.*

Iſte Caſus aliquando reſeruatur Papæ, aliquando etiam Epiſcopo. Papæ quidem aſſeruatur ex locis Gregorij 13. citatis part. 1. gener. Artic. 45. Epiſcopis verò ex Tridentino Concil. ſeſſ. 25. de Regularib. Cap. *Bonifacij octaui.* Vbi ingredientes priùs ipſo iure declarantur excommunicati: & mandatur quòd *ingredi ſepta Monaſterij nemini liceat &c.*

ARELA. *Dare autem tantum Episcopis vel Superior licentiam debet in Casibus necessarijs, neque alius vllo modo possit, etiam vigore cuiuscunque facultatis.*

Constitutio autem ipsius Bonifacij apparet Capite *Periculoso** in 6. Quibus ex locis colligitur quòd prohibitio generalis est, & quòd sicut ad Episcopum pertinet hanc veniam concedere: ita eius sit absoluere legis violatores in genere. Attamen S. Antoninus specialem & vetustiorem legem Pontifici reseruatam inducit 3. parte suæ Summæ Theologicæ, tit. 24. Cap. 70. Vbi docet quòd qui intrant Monasteria Monialium Ordinis Prædicatorum, siue seculares siue Ecclesiastici sint, in casu non concesso per constitutiones vel sine licentia Magistri Ordinis aut alterius habentis potestatem, absolui à césura nequeũt, præter quàm in articulo mortis, nisi à Papa vel à Magistro Ordinis, vel ab alio habente specialem facultatem ab aliquo prędictorum &c. Qui sane textus parum differt à Tridentino, nisi certè discrimen in eo constituatur, quòd dum Superior extra Articulum mortis absoluere non potest, sed in solo illo articulo, inde colligitur Papalis reseruatio per mediũ vitæ cursum obseruanda, ex similibus dictis in Casu 1. Auxitano. Nihilominus, ex vi textus S. Antonini, ipsimet Superiores Monasteriorum & speciales eorundem delegati etiam per vitæ spatium hoc absoluendi iure sunt præditi.

** De statu Regul. lib. 3. tit. 16.*

Discrimen inter hunc & Papalem Articulum.

Itaque vt hæ prima frôte diſcordes & oppoſitæ ſanctiones ad vnionem reuocentur, videtur diſtinguendum atque dicendum ex textu Gregorij 13. quòd eiuſmodi cenſura tunc à ſolo Papa ſoluitur, quandoquis cum praua intentione vel in cõtemptum legis eccleſiaſticæ ingreditur: ab Epiſcopis autem vel alijs ſuperioribus monaſticis, ſi ingrediẽs ſtatutum ignorauerit, vel quamuis ſciret, id tamen fecit ſine ſiniſtra vlla intentione. ARELA.

Verùm vt pleniùs adhuc præſens articulus Arelatenſis concipiatur, tria ſunt hîc digna notatu. Vnum eſt quòd citata Gregorij Sanctio aut ſimilis alia reſeruat tantùm Papæ cẽſuram quam incurrunt ingredientes, & non propriè culpam ex ingreſſu contractam cum illo anathemate: de qua ſola cenſura, non de adiuncta culpa, intelligitur artic. præfatus 45. partis 1. Itaque ſi fortè id anathema tolleretur in foro externo, ſicuti monuimus eſſe factu poſſibile * culpa reſidua nemini iam reſeruaretur iure communi: hîc autem ſic. *Exactior diſtinctio vbique in vſu.*

** ibid. Animaduerſ. 3.*

Alterum eſt quod per Concilium Tridentinum * non reſeruatur culpa eorum qui ingreſſi fuerint, ſed tantùm poteſtas eccleſiaſtica concedendi ingreſſum reſeruatur Epiſcopo vel Superioribus Ordinum, qui actus eſt fori exterioris, & differt à reſeruatione culpæ, cuius non meminit Concilium. Tertium eſt quod Conſtitutiões Gregorianæ & Tridentinæ non ſunt promulgatæ in Gallia, ad

** loco cit.*

Vis Cõſtitutio. ũ Trident. in Gall.

ARELA. quam pertinet Archiepiſcopatus Arelatenſis: adeóque non habent ipſæ vim in foro externo. Et proinde quis dicere poſſet quòd cõmuni iure hæc cenſura in Gallijs non reſeruatur, multóque minùs culpa: ſed ſolum in hoc duntaxat Archiepiſcopatu, qui ſpecialem ea de re legem tulit.

26. *Si qua mulier Monachorum Monaſteria domóſque frequentauerit.*

Hic articulus eſt idem cum ſuperiore 25. niſi quòd ille conſcribitur de viris ingredientibus ſepta Monialium: iſte verò è diametro de mulieribus quæ ædes Monachorum frequentant. Et vtriúſque articuli rationes ſunt in ſuperioribus locis modo citatis, in quibus agitur de vtroque ſexu Cœnobia ingrediente: adeo vt eiuſmodi mulierum cenſura Romano Põtifici reſeruetur ex recentiore Gregorij decreto, quod eſt intelligendum de ijs locis in quibus hoc decretum receptum eſt.

Mulieres tamen quæ priuata intentione Monaſteria Fratrum Prædicatorũ ingrediuntur, abſolui poſſunt à Confeſſarijs eiuſdẽ Ordinis, vt loquitur Nauarr. cap. 27. nu. 109. ex priuilegio Sixti 4. Quiquidẽ ſedit ab an. 1471. ad an. 84. Eodemq; tempore floruit prętatus D. Antoninus, qui citatã ſuam Sũmam Theologicam conſcripſit, antequã ſuam hiſtoriam compoſuiſſet, quam deduxit ad an. 1470. Adeóq; Bulla quam ſuperiore articulo vidiſſe teſtatur, fuit forſan ipſius Sixti. Attamen, non

obſtante illo diplomate, nunc cenſura fœminarum temerè ingredientium Papæ reſeruatur propter poſteriorem ac vniuerſalem Gregorij legem [h] quæ antiquiorem de eadem materia abrogat in locis receptionis, vt iam dixi. AREL A. h *ann.* 1577. & 81.

Igitur in Diœceſi Arelatenſi eæ ſolæ mulieres præſertim abſolui poterũt quæ ex dictis [i] ingrediuntur ſine praua intentione: niſi Gallicana prouincia hoc etiam efficiat ex allegatis, vt mulieres ex malitia ingreſſæ à Parochis quoque abſoluãtur. Non mirum verò ſi Arelatenſis Synodus Epiſcopalis hoc nõ aduerterit, ſibique vni hãc cenſuram retinuerit, quã noſtro æuo Gregorius Papę reſeruauit. Quippe ex art. 14. deprehendimus horum Caſuum fabricam priſca ætate inſtitutam fuiſſe, nec dum Cõcilium Tridentinũ [k] reſeruationem commemoraſſe, ſed ipſum Gregoriũ 13. eam primùm Papalem effeciſſe diu poſt Concilij exitum. i *ſuper artic.* k *ann.* 1563. 4. *Decemb.*

Cæterùm mulieres quæ quandoque per clauſtra virorum tranſeunt duntaxat, eundo ad ſacram ædem, vt ſolito more diuina audiãt in Eccleſia, videntur eximi ab hac cenſura, ſi obiter, bona fide, vel ianuis ſolenni & celebriori feſto apertis, ex more ac citra ſcandalum id faciãt, maximè iuxta varium locorum ac domiciliorum in populoſa ciuitate ſitum.

27. *Si quis manus violentas in Clericum iniecerit.*

ARE-LA. His enim verbis ſancit Cõcilium Trident. ſeſſ. 24. de Reform. cap. 3. Patriarchæ. ad calcem. Quam legem ſi violẽt patroni, ſequitur eos lethale peccatum & quidem hîc reſeruatum committere: quia dum hanc ſpeciem ſeu ius patronatus violant, iura Eccleſiaſtica occupant vel retinent, vt habet textus iſtius Articuli.

Quod ſpeciale exemplum rei incorporeæ ſeu iuris Eccleſiaſtici nos inſtar plurium proſequimur, eſt enim per ſe ſufficiens. Quippe ad propoſitum ſtatuit idem Concilium cap. 18. *Expedit: quòd qui ius patronatus habet, intra decem dies, aut aliud tempus ab Epiſcopo præſcribẽdum, idoneos aliquot Clericos ad regendam Eccleſiã coram deputatis examinatoribus nominet &c.* Et poſt pauca pergit hoc pacto. *ex hiſque Epiſcopus eũ eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit: atque illi, non alteri, collatio Eccleſiæ ab eo fiat, ad quem ſpectabit eam conferre, &c.* Hinc ſecundò dicimus, quòd illi patroni hunc rurſus Caſum incurrunt, qui renuente Antiſtite eum vi & violẽtia admitti volunt, quem nominãt ſupra dies decẽ aut poſt aliud præſcriptũ tẽpus ab ipſo Epiſcopo, aut qui cogunt eum recipi, quem ſemel quamuis incapacem atque reiectum obtulêre: ſi modò reipſa admiſſus & receptus ſit. Etenim culpa per eum conatum commiſſa ſine actuali prouiſione beneficij, nondum reſeruatur. Alias verò ſic: quia author illius violentiæ Epiſcopo illatæ iura Ec-

clesiastica verè occupat, infringítque robur ARELA.
legis huius Tridentinæ de re incorporea.

Tertiò illi hoc Casu inuoluuntur, qui pariter cogunt Episcopum, vt fruantur vsu iuris patronatus quod prætendunt, nec probant authenticis scripturis per spatium annorum ad minus quinquaginta.

Quartò & illi qui se in perceptione prouentuum & obuentionum beneficiorum ingerere consueuerint, etsi illa beneficia de iure patronatus ipsorum ex fundatione & donatione essent.

Quintò, & ij qui id ius patronatus titulo venditionis aut alio quocunque contra canonicas Sanctiones in alios transferre præsumunt, necnon cæteri qui penitus aduersantur alijs particulis textus Concil. Trident. cap. 9. Sicuti de Reform. sess. 25. Vbi hæc singula exactissimè præcipiuntur, sub pœna ferẽdæ excommunicationis circa quintum. Et profecto id singulare exemplum iuris patronatus, vt pote quod solùm est pars præsentis istius Casus, componit totum secundum articulum Auxitanæ Tabellæ posterioris ordinis: primus etiam eiusdem Tabulæ Articulus, qui seorsum est de solis electionibus seu prouisionibus ad beneficia impeditis à laïcis aut alijs è Clero, huc etiam pertinet.

Sextò & vltimò, pro præsenti Articulo

ARELA. hunc Casum incurrũt illi qui ius decimarum prædialium alienãt & vendunt, sicuti de iure patronatus dictũ est: & perinde alij qui secretò instrumenta vel documenta seu Rescripta longè transferunt, ne is penes quem sunt ista omnia iura in instrumẽtis latẽtia, fructus percipere vel quẽquam ad horũ solutionem cogere possit. Neque tamen hoc sextum membrum ideo conuenit cum præcedẽte Casu 18. istius Tabellæ.

Quippe hîc instituitur disputatio de ipsissimo iure & titulo percipiendi decimas prædiales, quod equidem est inuẽdibile, vt loquitur Nauarrus Cap. 21. à nu. 28. & proinde est quid spirituale & iuris diuini in genere,* quatenus inseruit necessariæ ministrorũ sustẽtationi. Fructus autem reipsa collecti sunt temporales seu corporei, ac vẽdi possunt. Discrepant ergo hi duo Casus sicut habitus ab actu, fructus & effectus à causa, spiritus aut anima ab humano corpore. Et iterũ integer iste Articulus est tertius peculiaris huic Archiepiscopatui. Nam quamuis qui hæc iura Ecclesiastica detinent, velut spirituales quasdam res, legãtur in genere excommunicati ipso facto, maximéque ab instanti præcedẽtis trinæ monitionis, ex Art. 38. partis 2. gen. nihilominus nemini reseruãtur iure communi. In hac autem Arelatensi prouincia primùm reseruatur inter alios prouinciales Galliarum Casus.

*Exod. 22. Leuit. 27 sub finem &c.

Cæterùm industrius Lector alia exẽpla hîc

cohærentia nunc facilè ex rerum euẽtibus ad ARELA.
præſentem materiam applicabit: cùm ſit vniuerſalior & variorum exemplorum, huiuſce generis & ordinis. Ad hunc tamen articulum referri nõ poſſunt illi vndecim Articuli primæ Tab. gen. iique Papalis reſeruationis in facto notorio, qui circa ſacrilegium reale ac perſonale paucis recenſentur parte 3. generali Artic. 4. Neque illi etiam qui verſantur circa exteriora Eccleſiæ bona ibidem renouati & citáti ab Artic. 35. ac ſequentibus quatuor eiuſdem 1. partis.

Etenim cùm ſint exteriora Eccleſiæ, ſunt iura merè corporea, quatenus ſenſibiles fructus reipſa annuatim percipiuntur, mediante antiquo iure percipiendi Eccleſiaſtico ſeu ſpirituali. Et iccirco ſunt alterius planè ordinis à præſenti ſenſu ac inſtituto, ſicuti ex lectione patet, & eò ſpectant duntaxat. Attamen, quatenus ſunt iura ſpiritalia Eccleſiaſtica, & quatenus hic cõſideratur ius aut titulus percipiendi tales fructus ſingulis annis; tunc certè illorum iurium ablatores cẽſentur violare Eccleſiaſticam libertatem, ſicut & tranſgreſſores Articulorum 1. & 2. Auxitanæ prouinciæ in eòque ſaltem conueniunt cùm prędicto reali ſacrilegio rerum ſenſibilium ſeu corporearum, vtpote quod eſt violatio eiuſdem libertatis. Sic enim tollitur ius percipiendi, petendi, exigẽdi in poſterum fructus, non ad vnicum quidem annum, ſed toto futuro tempore.

ARELA. 20. *Si quis diuinationes, incantationes dæmonum aut alia ſortilegia commiſerit.*

Vno verbo æquatur ſexto Articulo Pariſienſi, & primo Toloſano.

21. *Si quis puerorum oppreſſor extiterit, etiam ob negligentiam.*

Perſimilis & coniunctis Caſibus 12. Lugdunenſi & 23. Senonenſi, cum locis ibidem citatis.

22. *Si quis mulierem cognouerit, cuius confeßionem audiuerit, aut quam baptiZauerit.*

Caſus ex parte Confeſſarij concurrit cum artic. 18. Lugdunenſi: at ex parte baptizantis quadrat ex quadam parte cum articulo 7. Narbonenſi. Nec directè complectitur materiam articuli 12. Pariſienſis: quia ille eſt ſolîus patrini erga filiam ſpiritualem, iſte verò eſt ipſiuſmet baptizantis erga eandem: præſens autem Articulus cum duobus antecedentibus non habet annexas cenſuras. Alia in 12. Senon. & 1. Rothom.

23. *Si quis poſt votum caſtitatis matrimonium contraxerit.*

Hic primò comprehenditur votum ſolenne, cuius violatio per matrimonium inducit cenſuram nemini reſeruatam ex communi lege [f] parte 24. gener. Attamen hoc loco reſeruatur, præter culpam tranſgreſſionis quinque votorum Papalis diſpenſationis: de quibus habet ſimilis Caſus 16. Rothomagenſis. Id autem matrimonium eſt vel Mo-

f art. 53 & 54.

nialis cum laïco, vel Clerici in ſacris ſeu Religioſi etiam nondum ordinati cum quacunque muliere. [g]

ARELA.

g ex loco cit.

Secundò iſtic reſeruatur quoque fractio voti ſimplicis per idem matrimonium duntaxat, non tamen per fornicationes extra id votum & connubium perpetratas : licèt articulus Rothomagenſis, iſto ſtrictior hanc fornicariorum conditionem inuoluat, eóque in loco reliqua huc ſpectantia citantur. Sic pręſens Caſus eſt latior articulo 18. Senonenſi : ſecluſo hinc Caſu 16. ibidem. De conſtupratione verò Monialis, vide articulum 12. huius Tabellæ. Quid & quotuplex ſit votum ſimplex, habetur art. 18. Senonenſi & 16. Rothomagenſi.

24. *Si quis patrem, aut matrem verberauerit.*

Hoc in Caſu non connotantur circunſtantiæ articuli 17. Senonenſis, 3. Rothomagenſis, aut 5. Rhemenſis. Explicitè autem æquatur Caſui 17. Pariſienſi.

25. *Si quis Monaſteria Monialium ingredi ſine permiſsione noſtra auſus fuerit.*

Iſte Caſus aliquando reſeruatur Papæ, aliquando etiam Epiſcopo. Papæ quidem aſſeruatur ex locis Gregorij 13. citatis part. 1. gener. Artic. 45. Epiſcopis verò ex Tridentino Concil. ſeſſ. 25. de Regularib. Cap. *Bonifacij octaui.* Vbi ingredientes priùs ipſo iure declarantur excommunicati : & mandatur quòd *ingredi ſepta Monaſterij nemini liceat &c.*

ARELA. *Dare autem tantum Episcopis vel Superior licentiam debet in Casibus necessarijs, neque alius vllo modo possit, etiam vigore cuiuscunque facultatis.*

Constitutio autem ipsius Bonifacij apparet Capite *Periculoso* * in 6. Quibus ex locis colligitur quòd prohibitio generalis est, & quòd sicut ad Episcopum pertinet hanc veniam concedere: ita eius sit absoluere legis violatores in genere. Attamen S. Antoninus specialem & vetustiorem legem Pontifici reseruatam inducit 3. parte suæ Summæ Theologicæ, tit. 24. Cap. 70. Vbi docet quòd qui intrant Monasteria Monialium Ordinis Prædicatorum, siue seculares siue Ecclesiastici sint, in casu non concesso per constitutiones vel sine licentia Magistri Ordinis aut alterius habentis potestatem, absolui à cẽsura nequeũt, præter quàm in articulo mortis, nisi à Papa vel à Magistro Ordinis, vel ab alio habente specialem facultatem ab aliquo prędictorum &c. Qui sane textus parum differt à Tridentino, nisi certè discrimen in eo constituatur, quòd dum Superior extra Articulum mortis absoluere non potest, sed in solo illo articulo, inde colligitur Papalis reseruatio per mediũ vitæ cursum obseruanda, ex similibus dictis in Casu 1. Auxitano. Nihilominus, ex vi textus S. Antonini, ipsimet Superiores Monasteriorum & speciales eorundem delegati etiam per vitæ spatium hoc absoluendi iure sunt prædití.

* *De statu Regul. lib. 3. tit. 16.*

Discrimen inter hunc & Papalem Articulum.

Itaque vt hæ prima frõte discordes & oppositæ sanctiones ad vnionem reuocentur, videtur distinguendum atque dicendum ex textu Gregorij 13. quòd eiusmodi censura tunc à solo Papa soluitur, quando quis cum praua intentione vel in cõtemptum legis ecclesiasticæ ingreditur: ab Episcopis autem vel alijs superioribus monasticis, si ingrediẽs statutum ignorauerit, vel quamuis sciret, id tamen fecit sine sinistra vlla intentione. AREL A.

Verùm vt pleniùs adhuc præsens articulus Arelatensis concipiatur, tria sunt hîc digna notatu. Vnum est quòd citata Gregorij Sanctio aut similis alia reseruat tantùm Papæ cẽsuram quam incurrunt ingredientes, & non propriè culpam ex ingressu contractam cum illo anathemate: de qua sola censura, non de adiuncta culpa, intelligitur artic. præfatus 45. partis 1. Itaque si fortè id anathema tolleretur in foro externo, sicuti monuimus esse factu possibile * culpa residua nemini iam reseruaretur iure communi: hîc autem sic. *Exactior distinctio vbique in vsu.* *ibid. Animaduers. 3.*

Alterum est quod per Concilium Tridentinum * non reseruatur culpa eorum qui ingressi fuerint, sed tantùm potestas ecclesiastica concedendi ingressum reseruatur Episcopo vel Superioribus Ordinum, qui actus est fori exterioris, & differt à reseruatione culpæ, cuius non meminit Concilium. Tertium est quod Constitutiõnes Gregorianæ & Tridentinæ non sunt promulgatæ in Gallia, ad ** loco cit.* *Vis Cõstitutiõ ü Trident. in Gall.*

ARE-LA. quam pertinet Archiepiſcopatus Arelatenſis: adeóque non habent ipſæ vim in foro externo. Et proinde quis diceret poſſet quòd cõmuni iure hæc cenſura in Gallijs non reſeruatur, multóque minùs culpa: ſed ſolum in hoc duntaxat Archiepiſcopatu, qui ſpecialem ea de re legem tulit.

26. *Si qua mulier Monachorum Monaſteria domóſque frequentauerit.*

Hic articulus eſt idem cum ſuperiore 25. niſi quòd ille conſcribitur de viris ingredientibus ſepta Monialium: iſte verò è diametro de mulieribus quæ ædes Monachorum frequentant. Et vtriúſque articuli rationes ſunt in ſuperioribus locis modo citatis, in quibus agitur de vtroque ſexu Cœnobia ingrediente: adeo vt eiuſmodi mulierum cenſura Romano Põtifici reſeruetur ex recentiore Gregorij decreto, quod eſt intelligendum de ijs locis in quibus hoc decretum receptum eſt.

Mulieres tamen quæ priuata intentione Monaſteria Fratrum Prædicatorũ ingrediuntur, abſolui poſſunt à Confeſſarijs eiuſdẽ Ordinis, vt loquitur Nauarr. cap. 27. nu. 109. ex priuilegio Sixti 4. Quiquidẽ ſedit ab an. 1471. ad an. 84. Eodemq; tempore floruit pręfatus D. Antoninus, qui citatã ſuam Sũmam Theologicam conſcripſit, antequã ſuam hiſtoriam compoſuiſſet, quam deduxit ad an. 1470. Adeóq; Bulla quam ſuperiore articulo vidiſſe teſtatur, fuit forſan ipſius Sixti. Attamen, non

obstante illo diplomate, nunc censura fœminarum temerè ingredientium Papæ reseruatur propter posteriorem ac vniuersalem Gregorij legem [h] quæ antiquiorem de eadem materia abrogat in locis receptionis, vt iam dixi.

ARELA.

h *ann.* 1577. & 81.

Igitur in Diœcesi Arelatensi eæ solæ mulieres præsertim absolui poterũt quæ ex dictis [i] ingrediuntur sine praua intentione: nisi Gallicana prouincia hoc etiam efficiat ex allegatis, vt mulieres ex malitia ingressæ à Parochis quoque absoluãtur. Non mirum verò si Arelatensis Synodus Episcopalis hoc nõ aduerterit, sibíque vni hãc censuram retinuerit, quã nostro æuo Gregorius Papę reseruauit. Quippe ex art. 14. deprehendimus horum Casuum fabricam prisca ætate institutam fuisse, nec dum Cõcilium Tridentinũ [k] reseruationem commemorasse, sed ipsum Gregoriũ 13. eam primùm Papalem effecisse diu post Concilij exitum.

i *super artic.*

k *ann.* 1563. 4. *Decemb.*

Cæterùm mulieres quæ quandoque per claustra virorum transeunt duntaxat, eundo ad sacram ædem, vt solito more diuina audiãt in Ecclesia, videntur eximi ab hac censura, si obiter, bona fide, vel ianuis solenni & celebriori festo apertis, ex more ac citra scandalum id faciãt, maximè iuxta varium locorum ac domiciliorum in populosa ciuitate situm.

27. *Si quis manus violentas in Clericum iniecerit.*

ARELA. Qualitates articuli exactissime discussimus parte 2. gener. art. 1. petitas ex mediocri & leui percussione ac alijs.

28. *Si quis in quadragesima aut diebus veneris & sabbathi, aut feriis quatuor temporum, carnibus aut aliis cibis à iure prohibitis vesci ausus fuerit.*

Hic 25. & vltimus articulus explicatior est Casu 17. Bituricensi respectu qualitatis ciborum: & latior articulis 13. Narbonensi, 4. Tolosano, & 13. Rhemensi, respectu temporum determinandorum, quibus tamen æquatur ratione cibi vetiti.

Habes Casus 28. Arelatenses, qui Arelate Lutetiam missi sunt mense Aprili anno 1599. sub hac confirmationis formula, quæ Diœcesanis fidem plurimam faciat: *Extractū & collatum cum suo originali, per me Claudium Saxi Notarium & Graffarium Curiæ Archiepiscopalis Arelatensis subsignatum.* Receptúmque à nobis est die x. Maij sequentis.

Circa quos articulos quatuor dicenda veniunt. In primis, tempus ac Synodum in qua constituti sunt hi Casus non præscribi in exēplari: etsi id vehementer optabant nostræ literæ. Censentur tamen valde antiqui, ex iudicio articuli 14. & 26.

Secundò, isti Casus sunt quidem duntaxat Episcopales: at Suffraganei Episcopi, si proprijs carent, his vti poterūt. Coepiscopi verò numerantur *Massiliensis, Auralicensis Orange, Tricastinensis seu Tricarensis, Sainct Paul, Tholonen-*

ſis Tolon, Addebantur quondam *Aueniōnenſis*, *Carpentoracenſis Carpentras*, *Vaſionenſis Veſou*, & *Cauallicenſis Cauaillon.* Sed à quo tépore Auenio ad Pontificiam ditionem tranſlata fuit[1], facta eſt Sedes Archiepiſcopalis, ad cámque referuntur Diœceſis Carpentoracenſis & cæteræ cit. ARELA.

[1] *ad an. 1350. emptione Clem. 6*

Tertiò, ad hos 28. articulos ſubijcere neceſſum eſt alias ſpecies caſuum cunctis Epiſcopis reſeruatorum, ſcilicet excommunicatos ſepelientes corpora prohibita in parte 2. gen. articulis 7. & 8. participantes cum excommunicatis ibidem artic. 11. rurſus alios contentos articulis 2. 3. 4. & 12. Sicque in prouincia ſeu Archiepiſcopatu Arelatéſi erit vſus 35. artic. Nam de artic. 6. ſeu de aſſaſſino dictum eſt in hac Tabella artic. 9. tum de art. 5. & 9. iterum habetur hîc artic. 1. & 6. circa hæreticos & incendiarios.

Quartò & poſtremò, Lectorem certiorem facimus quòd iſte Archiepiſcopatus & ſequens, qui eſt Aquenſis, à nobis conſtituitur ſub Gallia Narbonenſi. Ratio eſt quia Comitatus Prouinciæ *, quondã nuncupatus Phocenſis ſeu Maſſilienſis prouincia, adiungitur & annumeratur Narbonenſi Prouinciæ: vtpote quæ infra Galliam Celticam ſeu Lugdunenſem complectitur duas remotiores Rhodani Oras. Eo enim amne Tranſalpina ſeu Narbonenſis Gallia duas in partes apud veteres Authores diuiditur, eáſque complecti-

* *la Prouence.*

AQVENSI. tur. Quippe si defluentem Rhodanum conspexeris, Phocensem Prouinciam ad leuam finis. Narbonam verò ad dexteram.

Tab.12. Gallic.

CASVS RESERVATI in Archiepiscopatu Aquensi, editi anno 1599.

PRIMA CLASSIS DE PECCATIS CONTRA HONOREM DEI.

1. *Sortilegium, maleficium, diuinatio.*

Articulos huiusce Archiepiscopatus quatuor in partes & egregia methodo construxit Lutetiæ atque instituit Reuerendissimus & doctissimus Archipræsul Aquẽsis, seu Aquarum Sextiarum, nobis præsentibus: simúlque ad hoc consilium quosdam Doctores Theologos Parisienses vocauit in sacris Confessionibus audiendis versatissimos. Sic enim, relictis veteribus suę Dioecesis Casibus minus apposité expressis, istos recèns constituit. Qua de re plura ad calcem Tabellæ.

En igitur exactior primi articuli cũ sequentibus interpretatio eidẽ benemerito R. Archiepiscopo primùm oblata, acceptáque. In hoc exordio tria membra proponuntur quæ quartum persimile accersunt, scilicet incan-

tatione. Ea omnia generaliter loquendo, pro vna & eadem re passim sumũtur, & sunt maleficium vniuersim sumptũ, quia singula important malum illatum alicui, 26. quæst. 5. *Nec mirum*. atque ex Syluestro verb. *Maleficium*. 1. & 8. in 3. Verùm opus est vt formales rationes ac distinctiones, quæ inter hæc quatuor deprehendi possunt annotemus, & eiusmodi negotium ex actiùs perpendamus. AQVENSI.

Ista quidem in rem eandem conueniunt. 1. ex parte causæ materialis, quæ est homo peccator: 2. ex parte formalis, quæ est pactum initum cum dæmone, siue expressum siue tacitum: 3. ex parte efficientis ac motiuæ quæ est ipse dæmon: sed discrepant ex parte tum finis tum modi agendi seu signi exterioris.

Quid propriè sortilegium.

Nam in primis, sortilegium siue consultorium, siue diuinatorium, fit tesserarum & talorum iactu: & modus varius, cuius finis est rei præsentis etiámque futuræ inquisitio, qui sanè conformis est cum cæteris maleficijs, deque eo habet articulus 5. communis parte 3. generali.

Maleficium.

Secundò, maleficium est damnũ iniustum humanæ personæ vel pecudibus illatũ à diabolo per homines cum eo paciscentes: & externum talis fœderis signum est verbi gratiâ infixio gladij intra circulum, plumarũ inuolutio, imago cerea cum acubus infixis, &c. quæ singula quandoque sine verbis etiam fieri

AQVENSI. assolent: sed actio semper tendit in perniciem animantium seu bonorum fortunæ. Syluester verb. *maleficium*. 1. Déque eo alia præclara occurrunt lubentiùs declaranda in 7. Belgico.

Quid incantatio. Tertiò, incantatio tãquam subalterna maleficio, necnon ad hunc quoque articulum referenda, est superstitiosus actus & fallax ac damnanda pietatis simulatio ex verbis sacris rebúsque profanis semper composita, quæ propriè tendit ad bonum aliquem effectum, siue sit verum, siue apparens, vel ad finem qui hominibus prima fronte delectationem ac hilaritatem afferunt: vtpote quando sanantur homines aut pecora, vel intuentium oculi præstigijs fascinãtur, vt eis grata appareant obiecta: quia si malum illo carmine & verbis superstitiosis cuipiam inferatur, tunc veriùs dicitur maleficium 26. quæst. 7. *Admoneant.* Ergo ista duo differunt solo fine & effectu. Déque ipsius incantationis descriptione lege artic. 6. Parisiensem.

Quid diuinatio. Quartò, diuinatio illa quæ non fit sortis missione aut præfatis verbis, vel allatis signis maleficis, aliam speciem efficit: sed ea vix aut raro in vsu seorsum reperitur. Exercetur verò quãdo quis per dæmonum inuocationem, quanuis tacitam, futura prænunciat, etiam vt cunque bona Syluest. verb. *Superstitio*. 4. Ac multifariam diuiditur, ibidem, & apud D. Tho-

Thomam *: cæteráque habentur :6. quæst 4. *Igitur.* Fœdus autem expreſsè percutitis etiam qui etſi comparere non audeat coram Dæmône: promittit tamen per tertium (vtpote per alium maleficum) ea quæ dæmon reciprocè petit: nimirum pollicetur ſe negaturum Deum & ſacramenta, auerſaturum ſignum crucis aut aquam luſtralem, iniurioſum futurum ſanctis &c.

AQVENSI.

* *qu.29. art.325.*

Deinde is tacitè pactum init qui libros maleficorum legit & ſciéter vtitur ſignis ſuperſtitioſis, quæ ex illis didicit: eiúſque peccatũ & vſus hac reſeruatione continetur, maximè poſt vnicam reprehenſionem, ſi perſona ante primam monitionem ſatis adhuc perita non videatur circa modum illum valde indebitum agnoſcendi & recurrendi ad Deum.

Duplex pactum cum dæmone.

Signa verò ſuperſtitioſa, tanquam minimè conſona nec approbata iure diuino, canonico, aut arte medica & naturali, ſunt hæc meritò ſubijcienda: 1. ſi verbis ſacris adhibeantur dictiones nihil ſignificantes, aut ſignificantes quidem, ſed non ad propoſitum. 2. ſi addantur characteres præter ſignum crucis: 3. ſi nomina ignota: 4. ſi falſa admiſceantur. Effectus enim hinc fluentes à Deo, qui non eſt falſitatis author, obtineri non poſſunt: propterea que ſequitur haberi à Dæmone: 5. ſi apocrypha vel incerta apponantur: 6. ſi ſint circunſtantiæ ad rem nihil pertinentes, verbi gra-

Superſtitioſa ſigna quæ.

AQV- tiâ, de re ſcribenda in charta caprina, aut per
ENSI. virginem, aut tali hora: 7. ſi ex verbis ſacris recitatis promittatur effectus vanus, 26. quęſ. 7. *Non liceat*. & cap. *Non obſeruetis*. Plura Syluester verb. *Superſtitio*. 10. & 11. quæ enarrare nõ patitur hoc libelli compendium.

Qui iſtis ſignis bona fide vtitur, tanquam ignarus aut rudis, ſæpiùs non peccat: monitus verò lethaliter iam peccare incipit, ſæpe tamen non reſeruatur, præſertim in illis idiotis & ruſticis qui non ſunt peruicaces, nec huius peccati grauitatem ſatis capiunt. Itaque hic opus prudentia Sacerdotis, tunc enim vel nõ videtur eſſe vera incantatio procedens ex pacto implicito, vel ſaltem non videtur digna quę facile reſeruetur: quamuis poſt monitionem veriùs reſeruetur. Vide præfatos artic. Pariſienſem & Belgicum.

Atque inſuper ijdem Theologi cenſent nõ omnia lethalia ſemper reſeruanda, ſed grauiora ſolùm: quia pœnitẽtis remiſſio ad Epiſcopalem Pœnitentiarium ſæpe difficilis eſt. Ad extremum, hinc illi excipiuntur, qui adeunt hos omnes maleficos ſeu diuinos quando diuinatione non vtuntur. Ideóque articulus 11. Senonenſis iſto latior eſt: at iſte primus æquatur ſexto Pariſienſi, 1. Toloſano & 20. Arelatenſi. Locupletior tamen tractatio ex rei natura hic magis competere viſa eſt, cum iſti caſus recenter compoſiti fuerint & nobis etiam præſentibus explicati. Reſeruationes

aliæ hic denuo competentes habentur in Parisiensi. AQVENSI.

2. *Abusus & profanatio sacramentorum, rerúmque sacrarum.*

In primis, hic articulus vt patet ex nomine profanationis seorsum locatæ, æquatur omnino Casui 7. Parisiensi. Nihilominus ex parte abusus diuisim conscripti, continet leuiora mortalia, si quæ circa sacramenta committantur, vtpote negligentiam & inordinationem: quos defectus capiunt articulus 23. Lugdunensis & 11. Rothomagensis: at non septimus Parisiensis. Quippe in citata Reuerendiss. Archiepiscopi & Theologorum congregatione, visum est sacramentorum mysteria tanta esse veneratione digna, vt in illa materia quilibet lethalis defectus dignus sit reseruatu. Tertiò, vniuersaliori nomine rerum sacrarum, eadem congregatio concépit notabilem abusum, & maximè profanationem reliquiarum sanctorum: nõ tamen imaginum, etsi duliâ vt imag. sanctorum vel hyperduliâ * adorentur, ne scilicet conscientiæ nimium circa reseruationes grauentur.

* *vt imago B. Virginis Maria.*

3. *Sacrilegium, necnon ædium sacrarũ effractio.*

Duo hîc conscribuntur. Prius est de sacrilegio quo præfati iudices volunt duntaxat cõcõprehendi furtum rerum sacrarum in quocunque loco perpetratum: quod certè cẽsuris minimè subijcitur. Cæterũ nomine rei sacræ concipiuntur mobilia Ecclesiarũ: relictis

AQV- immobilibus seu profanis mobilibus ad Cle-
ENSI. ricorum victum & supellectilem pertinentibus, vtpote quorum surreptio est furtum simplex, mortale tamen atque grauissimum, sed absque reseruatione vi præsentis articuli.

Posteriùs, effractio Ecclesiarum excommunicationi connexa, iam iure communi reseruatur cunctis Episcopis, ex parte 2. generali artic. 10. Istic ergo disertè non inuoluitur tota latitudo articulorum 2. Tolosani & 5. Ebredunensis. Nam reliqua illic commemorata iam reseruantur vel Papæ in re notoria, vel omnibus Episcopis in occulta *.

*ex Tab. 2. art. 4.

4. *Hæresis occulta: quæ si sit publica, Papæ reseruatur.*

In congregatione R. Archipræsulis ac cæterorum, propositum fuerat quòd omittendus esset articulus hæreseos occultæ, propter recentiorem Gregorij 13. reseruationẽ, quam is post Tridentinum Concilium voce edixit, iuxta ea quæ antea conscripsimus parte 2. generali artic. 5. A doctoribus supradictis afferebantur in medium etiam Casus Parisienses, qui forsan ob eam causam hæresim prudenter reticuêre. Sed tandem omnes acquieuêre legi Tridentinæ, de occultis per Episcopũ solũ nõ per generales Vicarios absoluẽdis. Qui sensus etiam cõcipiendus est, si non habeant complices à nobis priùs expositos loco cit. Quæ sanè fuit distinctio circa occultorum rationem à Gregorio fortassis conceptam.

Interea, aduerte, Lector, vocem publicæ hæreseos in textu: quæ certè accipitur pro manifesta & cum ea miſcetur. Manifeſtum verò apud Summularios ſumitur pro genere reſpectu quarundam ſpecierum, in quas Nauarrus diuidit crimen manifeſtum cap. 21. Enchir. nu. 55. Apud eum enim & cęteros paſſim diſtribuitur in notorium ex vna parte, quod eſt duplicis ſignificationis parte 1. ad calcem Admonit. poſteriore: inter quas ſignificationes ſtatuitur notorium facti cunctis euidens, quod propriè appellatur crimen publicum, perindéque famoſum, quod pendet ex diffamato vulgi rumore: etſi hæc duo exemplis confundat idem Nauarrus cap. 25. nu. 73. Atque præſens articulus hunc totum notorij criminis ſenſum amplectitur. Plura cit. loco. AQVENSI.

5. *Blaſphemia in Deum & Sanctos.*

Iam accuratè expoſita patet articulis 13. Senonenſi, 1. Narbonenſi, 26. Ebredunenſi, & 19. Belgico. Quibus tamen duobus vltimis ſoli notorij reſeruantur, hîc verò etiam occulti. Inter illa etiam quæ Deo aut Sanctis impiè tribuuntur, quęque in Belgico non reſeruantur, credo hîc reſeruandos primò illos qui inuerecundè iurant per inhoneſta membra Chriſti aut B. Virginis Mariæ: Secundò & illos qui tribuunt homini ea quæ ſoli Deo competunt, quale eſt hominem beatum facere poſſe, aut ventura noſſe, ſi modò attendant quid verba ſignificant, necnon ſi quis

AQV- talia citra furorem & cum deliberatione pro-
ENSI. ferat, quantumuis iocosè, teste Nauarro cap. 13. num. 84. In summa omnes exceptiones Belgici Casus hîc veriùs reseruantur.

6. *Simoniaci in pēsionibus, patronatibus, & quibuscunque aliis spiritualibus, præterquàm in beneficio vel ordine.*

Visum est in prædicta congregatione esse reseruādam omnem simoniæ speciem, quam nimis obscurè & implicitè habent primus articulus Lugdunensis & alij etiam citati, parte 1. quatenus minimè communi iure reseruantur. Sensúsque est non de simonia mentali sola, sed de externa licèt occulta eáque tum reali tum conuentionali, & extra ordines vel beneficia. Omnis enim talis culpa mortalis in Spiritum sanctum commissa, quanuis expers sit excommunicationis, reseruationem meretur citra dubium. Hæc de prima classe: déque peccatis aduersus diuinum honorem commissis.

SECVNDA CLASSIS: de peccatis contra Ecclesiam.

7. *MEdiocris vel etiam leuis percußio Clerici, per quàm mortale peccatum cōmittitur: quòd si atrox siue enormis fuerit, Papæ reseruatur.*

Distinctissimè exponitur articulo 1. Tab. 2. generalis: cùm iam in communi reseruetur.

8. *Usus carnium in Ecclesiæ contemptum.*

Sic excipitur primò necessitas capiendi in deserto itinere & mari, dum alia non suppetunt, quàm carnes aliáue cibaria tempore vetito. Quæ profectò necessitas & actio sæpiùs excusat non modò à mortali delicto apud omnes, sed etiam à reseruato. Propterea textus qui debet esse perbreuis, frustrà eam necessitatem satis ex se notam commemorasset, quæ hîc initio apponebatur. AQVENSI.

Secundò, istic quoque non reseruatur lethale peccatum quod effert Nauarrus capite 21. Enchiridij nu. 23. nimirũ quando quis iusta de Causa excusatus à ieiunando, cùm sustentari possit escis ieiunio congruis, carne vescitur absque vllo contemptu ecclesiastici præcepti. Prætereo lacticinia & oua illic sub eodem peccato commemorata, neque hîc reseruata, cùm in citato nostro textu non describantur vnà cum carnibus: etsi talia peccata reseruentur in 4. Tolosano. In summa: Theologi aduerterunt non omne lèthiferum videri reseruandum in hoc peccati genere atque materia, quia est culpa infirmitatis in Deum directè non tendẽs: proinde nec adeò seuerè cum christianis agendum, vt omns talis esus tempore Quadragesimæ reliquorũq; dierum ab Ecclesia vetitorũ prohibeatur absolui per Parochũ, perspecta difficultate remittẽdi sępenumero pœnitẽtes ad Episcopalem Vicariũ. Sed cum R. Archiepiscopo arbitrati sunt sufficere, si eiusmodi act⁹ mortiferi

AQVENSI. reſeruentur, quoties comitem habent contemptum vel etiam contumaciam poſt vnam aut alteram monitionem: qui ſanè peccandi animus exactiore examine à Confeſſàrijs examinandus eſt.

9. Violatio voti ſolennis caſtitatis.

In primis dicendum eſt quòd per violationem voti hîc reſeruatam præfati theologi intellexêre fornicationem à vouente commiſſam, hoc eſt extra omné matrimonij legem, ad formam Caſus 8. Narbonenſis: quod equidem genus peccati à cenſuris immune eſt: & multo magis reſeruatur matrimonium à talibus contractum vnà cum cenſuris citatis in Caſu 16. Rothomagenſi. Deinde notandum eſt quòd nomine voti ſolennis concipitur ſolùm perennis caſtitas palam emiſſa per profeſſionem Religionis approbatæ.

Votum Subdiaconatus. Igitur à præſenti reſeruatione ſemouetur primùm violatio voti facti à Clerico ſeculari per ſuſceptionem ſubdiaconatus & ſuperiorum perinde ordinum, quia eſt potius votum implicitum & ſolennisatum per ſacram ordinationem, quàm ſolenne, ex par. 1. art. 48. Ideóque Do. Archiepiſcopus explicitè appoſuit nomen ſolennis in textu: vt ex profeſſo excluderet Sacerdotium, atque moleſtam reſeruationum multitudinem.

Secundò, excipitur votum pepetuæ caſtitatis, quod ſimplex eſt ſeu extra religionem & in ſeculo, in quo vouens laicus aut laica

perseuerat. Quæ duæ exceptiones aut persimiles apponuntur quoq; in prima exceptione Casus 16. Rothomagensis tertiò, multò magis excipitur temporale quodlibet votum castitatis, etiam publicè prolatum in seculo: de cuius violationis culpa habet posterior admonitio partis 1. Quartò & vltimò, faciliùs adhuc hinc remouétur tres aliæ exceptiones Articuli 18. Senonensis, & duæ vltimæ præfati Rothomagensis. AQVENSI.

10. *Matrimonia clandestina contrahentes, nubentes viuente vxore, aut post sponsalia fide firmata nuptias alias quærentes.*

Quòd hîc peroptauit R. Antistes, totum remansit. Tres autem partes huius Casus & harum interpretatio iam patent Articulis 16. Senonensi, 17. Auxitano 26. Viennensi, 14. Ebredunensi & 13. Belgico. Hactenus de peccatis contra Ecclesiam.

TERTIA CLASSIS:

MORES IN SE.

11. S*odomia, & quòd eâ grauius est.*

Peccatum carnis grauius sodomiâ cõmissa in eodem sexu, est coïtus cum bestijs seu etiam cum dæmone, qui quidem constituit primam speciem peccati contra natu-

AQVENSI. ram. Ergo, retentis duabus hisce speciebus, à præsenti reseruatione secluduntur tertia & 4. species eiusdem flagitij, nimirum varias monstruosa copula etiam inter duos sexus humanos, simúlque mollities cum alio: quæ tamen duo peccata retinentur Lutetiæ ex Artic. 10. Parisiensi; quia mollities cum se solo in nullo Episcopatu reseruatur. Vide Articul. 15. Belgicum, qui cum isto æquatur.

12. *Incestus existentium in coniugio vsque ad tertium consanguinitatis vel affinitatis gradum inclusiuè.*

Hæc prudens Articuli circunstantia est media inter Articulos 19. Lugdunensem, 12. Senonensem, 5. Narbonensem, & inter 9. Parisiensem ac 5. Bituricensem. Nam illi reseruant incestum intra primos quatuor gradus perpetratum: isti verò intra duos tantùm. Nunc autem visum est meritò ad tertium vsque procedendum, relicta Parochis absolutione incestus quarti gradus tum consanguinitatis tũ etiã affinitatis. Et hæc affinitas intelligitur solùm contracta ex carnali copula, si incestuosi pubertatem attigerunt.

Etenim, de ea quæ superuenit ex spirituali cognatione mox dicturi sumus. Interea, hîc aduertendum, quòd præfata copula, è qua nascitur præsens affinitas ac reseruatio, concipitur sola licita siue coniugalis. Vt patet ex textu, neque mens fuit

reſeruare inceſtus patratos cum affine, in primo vel ſecundo gradu illius mulieris, quam quis antea fornicariè nouerit. Nam, etſi affinitas per turpem primam copulam conſurgens impediat ac irritet matrimonium cum altera muliere, quæ ſit conſanguinea primæ cognitæ in primo & ſecundo gradu, & proinde ipſi viro fornicanti iamiam affinis exiſtat, veluti decernit Concilium Tridentinum: * R. tamen Archiepiſcopus noluit reſeruationem circa hanc mortalem noxam infirmitatis demandare, ac pœnam eiuſmodi antea propoſitam ita adaugere, etiamſi tales affines contrahentes matrimonium in primo gradu nullum, excommunicationem fortaſſis incurrant commodiùs expoſitam Articulo 22. Viennenſi.

AQVENSI.

* Seß. 24. de refor. c. 4.

13. *Inceſtus etiam cum ea quam de ſacro fonte leuaueris, aut fornicatio cum Moniali, aut cum ea cuius confeßionem exceperis.*

Hîc tria concurrunt circa ſpiritualem cognationem eiúſque inceſtum dicenda. Primò carnalis copula patrini ſeu baptizantis etiam laïci cum filiola, hoc eſt cum deſcendentibus, aut viceuerſa: cuius certè inceſtus abſolutio ita reſeruatur, vt nihilominus præſenti textu non reſeruetur fornicatio inter duos filiolum ſuſcipientes ſeu patrinos (cùm etiam inter eos ſolos nulla mutua intercedat cognatio) vel inter eoſdem ac vtrũque

AQV- ENSI. parentem baptizati (quamuis hîc præfata cognatio intercedat) taléſque parentes vulgus denominat compatres ipſius patrini. Hi enim cuncti ſunt duntaxat Collaterales inter ſe, quos non capit textus: proindéque videtur hæc ſpiritualis cognatio minoris paulò inter eos eſſe roboris, aut ſaltem fornicatio in tali cognatione non eſt viſa reſeruanda. Attamē matrimonium ſtrictè prohibetur inter hos omnes qui verè tali cognatione afficiuntur, atque etiam inter ſimiles pene affines beneficio ſacramēti Confirmationis, ex Decreto * Tridētino: culpa etiā per eiuſmodi coniugium ſciēter cōmiſſa reſeruatur in Caſu 13. Belgico, ſicque locus iſte non retinet omnem inceſtum ex ſpirituali cognatione profectū.

* loco cit. ca. 2.

Tandem verò, dum textus dicit, *quam de ſacro fonte leuaueris:* nemo mirabitur ſi dixerimus quod fortè cēſentur ſub hac reſeruatione intelligendi non ſolùm præcipui duo patrini infantem tenentes iam commemorati (hoc eſt vnus tantùm & vna ad ſummum ex Concilio) ſed etiam ipſe baptizās. Etenim verbum *leuaueris* videtur id ſonare: & reuera baptizatus vel baptizata eſt æquè immo etiam magis ſpiritualis eius filia, quàm ipſius patrini. Viderit ergo R. Archipræſul eiuſue Pœnitentiarius. Alia id genus repetas ex Artic. 12. Pariſienſi, vbi filiolæ conſenſus hanc reſeruationem non infirmat: totúmque proponitur ſine cenſura.

Sed dum diximus inter omnes præfatos tali cognatione ligatos impediri contractū matrimonij citra dispensationem: intellige, quo ad laterales, coniugium duntaxat vetari inter patrinos comparatos ad vtrunque baptizati parentem, ex mente Concilij Tridentini non inter patrinos, seu susceptores respectu ad se inuicem; etsi id apertè non declaret idem Concilium. AQVENSI.

Secundò, sic continetur fornicatio cum Moniali quantumuis assensum præbente: quæ sanè decentiùs vocatur stuprum, seu cōstupratio facta mulieribus Deo sacratis tum virginibus, tum fœminis antea viduis. De quibus habet Articulus 2. Lugdunensis, & 8. Parisiensis.

Tertiò, fornicatio cum filia spirituali, ex sacramētali confessione, quæ est quasi aliquod genus incestus, etsi non intercedat propria affinitas spiritualis: déque eo loquitur Casus 18. Lugdunensis, 12. Senonensis ad calcem, & 8. Tolosanus etiam præsente consensu: sed tunc abest anathema iuris in tribus totius Articuli Casibus.

14. *Adulterium & concubinatus, dummodo publica sint.*

Propter vocem publica, proptiè concipitur concubinatus qui sit notorius facti seu in facto, (& non iuris) tum præsertim inter Clericos, tum etiam inter laicos, ad formulam Art. 24. Bituricensis, & ex mente in-

AQV-ENSI. dicum constituẽtium. Quomodo autem publicum cum notorio facti congruat, dictum est Artic. 4. huius Tabellæ Aquensis.

15. *Prolis oppreßio, & aborsus procuratio.*

Is vnus Casus diuisim & latiùs exprimitur Articulis 13. & 14. Lugdunensibus: locísque ibidem citatis, citra censuram. Vide conditiones alias in 13. Parisiensi collectas.

16. *Infantium expositio.*

Simile Articulo 27. Lugdunensi.

17. *Raptus virginum per vim, & mulierum honestè viuentium.*

Vitij huius natura traditur Articulo 2. Lugdunensi. Tum simile prorsus latissimè exponitur in 18. Parisiensi.

18. *Homicidium: & qui auxilium vel consilium ad illud præbent.*

Reseruatio ipsius homicidij iam est vbique recepta, ex varia interpretatione Articuli 2. partis 3. generalis: comprehenso Assassino. At vero auxilium datum per eum qui tamen non occidit, est ius priuatum quod pendet ex priuata eorum voluntate, ídque fusiùs declaratum Casu 9. Senonensi.

19. *Percußio parentum: item aui & auiæ post decimum quartum annum tantùm.*

Casus, respectu proximorum parentum, hoc est patris & matris, æquatur planè articulo 17. Senonensi, è cuius sensu iste cum ætatis qualitatibus depromptus est. Tum respectu remotiorum parentum, seu aui &

auiæ, iste Articulus explicitè ac prudenter aperit id quòd inuoluto textu insinuat Casus 3. Rothomagensis. De varia percussionum forma sat habet Articulus quintus Rhemensis. AQVENSI.

20. *Incendiarij, quando nondum sunt denunciati: eisque auxilium vel fauorem præbentes.*

Iam iure communi reseruatur, tum quoties habet annexam censuram ex parte 2. gener. art. 9. tum quando versantur circa eam materiam cui nulla censura subnectitur ex par. 3. gener. Articul. 1. Deinde, præbentes auxilium speciali iure iam reseruati, tradũtur Articul. 10. Lugdunensi, 9. Senonensi & 7. Belgico. Hæc de peruersis moribus seorsim in vno quoque hominum duntaxat agitatis.

QVARTA CLASSIS:

de peccatis quæ respiciunt hominum societatem.

21. V*SVRA publica: itémque occulta, à qua quis semel & iterum in confessione reprehensus non recedit.*

Vsuræ partes describuntur Art. 25. Lugdunensi, vbi & in reliquis passim Archiepisco-

AQV-ENSI. patibus ſola notoria connotatur. At verò R. Archipræſul Aquenſis omni ſcientiarum genere excultus, ſapienter voluit occultæ vſuræ abſolutionem reſeruari, maximè ſub conditione, hoc eſt poſt vnam aut repetitã ad ſummum confeſſionem ſacramentalem, adhortationem, & abſolutionem Parochi ſeu inferiorum eius Sacerdotum. Nanque is ægrè fert & videt occultas vſuras ſerpere inſtar cancri, neque orbi Chriſtiano & proximò minùs noxias eſſe quàm publicas: inſuper eas frequentiores multò conſpici & punitione digniſſimas eſſe. Has ergo reſeruat, poſtquam reus ſeu pœnitens huic malo aſſuetus ſemel ac iterum à monente Parocho abſolutus fuerit.

22. *Falſarij inſtrumentorum omnium (demptis Pontificijs) monetæ, ponderum, menſurarum, & qui modum prædictæ falſitatis docent.*

Prima huius Articuli pars, de falſarijs inſtrumentorum, diſtinctiſſimè examinata eſt parte 3. generali Artic. 3. & 17. Belgico. Per ſecundam verò, quæ de monetis eſt, concipiuntur omnes harum artifices à primis ad medios, ex mente R. Archipræſulis. Qua de re cætera docentur Articulis 14. Bituricenſi & 16. Belgij ſeptentrionalis. Idémque ſentiendum de ponderum ac menſurarum falſificis, dudum allatis Artic. præfato Bituricenſi.

Tertiò,

Tertiò, hîc quoque reseruantur peccata Authorum totius huiusce falsitatis: etsi reipsa nihil horũ ipsimet cõficiant. Quę particula est peculiaris huic sedi Aquensi. Excipiũtur ergo lethales culpæ eorum qui instrumenta, monetas, pondera, mensuras falsas ab alijs acceptas retinent, iisque vtuntur in proximi damnum. Verendum enim fuit ne praxis huiusce reseruationis fuisset durior obseruatu. AQVENSI.

23. *Periurium, & falsum testimonium in iudicio.*

Vtrunque membrum inuoluit partem solennitatis: eam nimirum quæ in iudicio, seu coram iudice competente eiúsue administris fieri assolet, quatenus hæc etiam sola percipitur in Casii 29. Lugdunensi. Proinde aliæ Solemnitates priuata periuria, falsáque testi monia eiusdem ordinis hîc non reseruantur, sicuti neque in Lugdunensi: quantumuis reseruentur Artic. 16. Arelatensi.

En igitur viginti tres Articulos Archiepiscopatus Aquensis, Gallis *Aix en Prouence*. Authore Parisijs vigilantissimo in Christo Patre & eruditione clarissimo D. Paulo Huralto Hospitalio eiusdẽ Sedis Antistite. Causæ præsentis Constitutionis hæ sunt. Cùm ipse Reuerendissimus Archipræsul ad Aquas Sextias scripsisset, vt ad nos Diœcesani Casus mitterentur, accepit tandem exemplar si-

AQVENSI. gillo Venerabilis Capituli Cathedralis ecclesiæ Sancti Saluatoris munitum, & obsignatum manibus D. Generalis Vicarij ac deinde Secretarij die 14. Aprilis anni 1599. in ea conscribebatur vetus quædam articulorum congeries Parochis remissa miniméque exculta: & sub finem pro præcipuis Casibus apponebantur antiqui illi versus, quos hactenus retinuit & retinet Archiepiscopatus Turonensis, de quibus suprà: & quibus antea vtebatur Archiepiscopatus Rhemensis, veluti suo loco patet ad calcem Operis. Deinde cum nobilissimus Archiepiscopus Aquensis paratam libelli nostri editionem aduerteret, in eóque suos Casus includi voluit. itaque nouos Articulos eruditè constitui & huius partim Opusculi operâ presbyteris in sua Diœcesi innotescere expetiuit: singuláque demùm suo calculo comprobauit, vbi suscripsit hoc pacto: *Actum Parisiis*, XXX. *die Junij anno* M. D. XCIX.

Circa quos quidem Articulos, tria supersunt animaduersione dignissima. Vnum est quòd inter præfatos Casus, necessariò commemorandæ sunt reseruationes censuris annexæ & cunctis Episcopis communissimæ ex antiquo iure in vniuersali Ecclesia constituto: nimirum sepelientes

ſcienter hæreticos ac interdictos, partici- AQVENSI.
pantes cum nominatim excommunicatis in certis Caſibus, quatenus exprimit pars 2. generalis Articulo 7. 8. & 11. cum ſimilibus 2. 3. 4. 10. & 12. tum violatores Eccleſiaſticæ immunitatis in parte 3. gener. Articulo quarto. Ideóque hæc Diœceſis ſeu prouincia creditur in vniuerſum nouem & viginti notabiles Caſus retinere. Siquidem reliqui communes Caſus reſeruati, iam in præfata Tabella Aquenſi repetuntur atque firmantur: vt pote ſub articulo 6. de ſimonia, ſub 7. de clero percuſſo, ſub 18. de homicidio, & ſub 20. de incendijs.

29. caſus

Alterum verò hîc commemorandum, eſt in iſta congregatione propoſitos fuiſſe plures Articulos alijs paſſim Diœceſibus reſeruari ſolitos. Primùm quidem violatores eccleſiaſticæ libertatis appoſitos Articulo 3. Senonenſi. Verùm certè vni Papæ reſeruantur: neque vix vnquam error iſte in occulto fieri poteſt. Adeóque ſi deinceps negotium eiuſmodi ad amuſſim diſcutiatur; meritò R. R. Antiſtites id prætermittent, quoties in Synodis ſuas deſcribent reſeruationes. Pro tuendo tamen textu Senonenſi, atque etiam Articulo quinto Ebredunenſi, nos rem diſtin-

AQVENSI. guere conati sumus ibidem, & fortassis opportunè. Secundò, proponebatur culpa mulierum ex adulterio concipientium, & orbantium filios hæreditate patris turpiter decepti, quale peccatum retinent Articuli 11. Tolosanus & 15. Arelatensis.

At vocati Theologi censuerunt eiusmodi reseruationem relinquendam, eamque vel frustra vel cum maximo incommodo adstrui, frustrà quidem, duplici ratione, primùm quia etsi mater pœnitens filio etiam extra morbi periculum diceret & apertè fateretur eum non esse legitimum neque hæredem aut patrimonij participem: sanè filius furens, & vir ipse nequaquam crederent nec fidem adhibere tenerentur, nisi duo testes saltem essent, immo verò filius matrem è contra accusaret phrenesis, vel criminis, vel denique odij aduersus seipsum, & sic ius suum temporale in Ecclesiæ foro consequeretur, neque vllus sententiam apud iudicem ritè præpediret.

Filij illegitimi ignoti tales, non orbandi hæreditate mariti matris: nec peccatũ matris reseruandum.

Secundo, quia occultissimum id peccatum coram Sacerdote confessum nunquam est reuelandum: perindéque portio concedenda erit illegitimo tanquam legitimo, & ab eo nunquam auferetur, cùm res in exteriori foro & apud homines ignoretur. Sícque restitutioni atque fallaciæ remedium nullum adhibebitur, quod tamen hîc tantopere desideratur: ex eo quòd non alio fine reserua-

tur culpa, quàm vt possessio ad eum cui fit iniuria deueniat, & vt peccans veritus ne Pœnitentiarios longiùs adire cogatur in posterũ à tali grauiori culpa abstineat. AQVENSI.

De incommodis verò inde nascentibus, bifariam rursus dicendum est. Etenim, si filius in ea facta relatione, ipsam matrem de tanto opprobrio coram iudice posset vocare, furta plurima familiariúmque subuersio in cassum emergerent: proptereáque reseruationum materiæ ac circunstantiæ cautè sunt perpendendæ. Deinde, si mater cæteris in exteriori foro reuelaret id genus occulti peccati, incidere denuo posset in periculum peccati lethalis iuxta priuatas circunstantias ex sententia variorum authorum: quia etsi reuelatio viam aperiret ad congruam bonorum restitutionem, quatenus ad veros hæredes redirent: nihilominus hæc detectio, quę in primis eius famæ & honori prorsus detraheret, circa rem notabilem sæpiùs esset causa aliorum malorum, quorum nonnulla allata sunt: neque iudex citra peccatum talia speciali petitione à reo aut rea fœmina inquirere aduersus seipsam potest, sicut neque ab alijs contra aliquem, nulla omnino præcedente infamia, teste Nauarro cum alijs quos citat Cap. 18. * & 19. * Enhir. hanc igitur absolutionem licebit Parœchis relinquere maximè quia Episcopi quodquod peccatum

Admonitio.

*nu 28. & 36.
*nn. 61.

A QV- adulterij reseruant, non nisi publicum intel-
ENSI. ligunt, idque etiam in solo conscientiæ foro, vbi confessio neutiquam pro reuelatione habetur.

Licebit, inquam, Parœchis sub hac conditione omnino necessaria, vt nimirum admoneant mulierem de restitutione occulta vt saltem conetur in occulto & clam restituere vel suam etiam dotem testamento transferre ad legitimos filios, spurio his (si non paternis) aliorum compensationem priuato & spoliato. Quo in facto eadem vxor speciales translationis causas, in testamenti Rescripto minimè aperiet: Sed narrabit se ob maiorem in tales dilectionem testamentum ita condidisse, aliáue de causa & insuper ipsa dum viuet eisdem legitimis filijs tantùm pecuniarum quantùm poterit ex bona conscientia piorúmque consilio latenter conseruet ac tradat. Itaque hoc pacto, & saluti animæ, & distributioni rerum externarum & honori simul consulet, quantum in sua situm erit potestate.

Quidam etiam proponebant furtum seu restitutionem ablatorum supra duos aureos coronatos esse reseruandam, ad modum articulorum 25. Senonensis & 28. Ebredunensis sub minori summa reseruantium. Theologi verò responderunt, pœnitentem restitutioni obnoxium, ne quidem ab Episcopalibus Vicarijs absolui posse in foro conscien-

tiæ, multòque minùs à Parœchis, quin is tutò & quàm primùm poterit, rem polliceatur restituere ei cui debet: quod si ritè promittat, ac creditores summásque distinctè norit, tunc non ægrè nec imprudenter Parœchos absolutionem impertire, ad quorum præscriptum pœnitens per se vel per alium poterit aliena distribuere. Qua de re latiùs suprà Art. 15. Auxitano prioris ordinis.

AQVENSI. *Restitutio ablatorum quare tutiùs non reseruata.*

Addimus nos interpretationem antea à nobis allatam in cit. Artic. Senonensi, nimirum quod si restituendi modus deducatur à foro interno ad externum non quidem laïcum, sed ecclesiasticum & Episcopale tunc ratio determinandę, & palam imperandæ restitutionis Episcopo reseruatur in quatuor casibus. Idémque sentiendum de ordinanda restitutione citatæ hæreditatis paternæ vt ad legitimos filios deueniat, si modò res ad forum iudiciale Episcopi deferatur: nequaquam autem si apud internum remaneat.

Iam, extremum hic non omittendum est de R. R. Episcopis Suffraganeis huiusce Sedis Aquensis. Hi autem sunt *foroiulensis freius, Regiensis Riez, Cistariensis Cisteron, Aptensis, Apt, Vapiniensis Gap.* Qui etsi cæterorum more liberi sint ad Casus reseruatos sibi constituendos, qui in cõmuni non reseruentur, hos, si volẽt, sibi prudẽter attribuere possunt, quos Deo propitio diligẽter & ex officio cu-

AQVENSI. rent obseruari. De causis huiusce loci seu ordinationis præsentis Tabellæ, diximus ad calcem antecedentis Tabellæ Arelatensis.

SEQVVNTVR CASVS RESERVATI, CONTENTI *in Statutis prouincialibus Concilij Viennensis Archiepiscopatus.*

Tabella 13. Gallicana.

I. PRIMVS *est cum quis confitetur se credidisse hæreticam prauitatem.*

Sic habet textus Voluminis Casuum Viennensium: de quo libro loquimur ad calcem Tabellæ. Loci verò quibus iste Casus multifariam exponitur, citantur Art. quarto proximæ Tabulæ Aquensis & 1. Arelatensi: vbi constat non omnes hæreticos absolui posse in hoc Archiepiscopatu Viennensi à Præsule, vt neque in alijs.

2. *Si quouis modo commiserit simoniam.*

Singulæ eius partes traduntur in Casu 1. Lugdunensi.

3. *Clerici excommunicati, interdicti aut suspensi, si ante absolutionem diuina celebrauerint.*

Idem prorsus reseruat articulus 4. Lugdu-

nensis: iterúmque explicatur in 4. Arelatensi. VIEN.

4. *Clerici per saltum promoti aliquo ordine prætermisso.*

5. *Clerici qui ab alio Episcopo se se fecerint promoueri, Episcopi sui licentia non obtenta.*

Hunc duplicem Casum, quartum & quintum, interpretatur vnus & idem articulus V. Arelatensis, atque posteriorem habet Casus 5. Lugdunensis seorsum, itémque priorem 16. Parisiensis.

6. *Incendiarij.*

Fusè exprimitur parte 3. generali ad primum Casum cunctis Episcopis communem. Attamen incendiarij hîc adeo generatim exprimuntur: vt ea etiam censeatur inuoluere quæ capit articulus 6. Bituricensis præter vsum communem.

7. *Illi qui tractauerunt in malos vsus Eucharistiam seu chrisma.*

Hæ voces *mali-vsus* videntur æquari vocibus *prophani abusus*, quibus in hanc materiem vtitur Casus 7. Parisiensis. Propterea que iste locus illi Parisiensi æquatur necnon Articulis Ebredunensi & Belgico ibidem citatis. Non vsurpat tamen, neque reseruat leuiores Casus 23. Lugdunensem & 11. Rothomagensem, ob rationes allatas in ipso Parisiensi. Sed retinet grauiores citatos in 13. Bituricensi.

8. *Illi qui filios suos occiderunt.*

Nomine occisionis videtur intelligi oppres-

VIEN. ſio infantium declarata Articulo 13. Lugdunenſi. Verùm abſoluta vox occiſionis cenſetur referenda ad ſolam voluntariam oppreſſionem: vt ſcilicet in hac tota Viennenſi prouincia reſeruātur duntaxat oppreſſores ſcientes. Adeóque hîc non comprehenditur incuria & negligentia ſeu inſcitia effectus quæ circa eam oppreſſionem occurrit, quantunuis reſeruetur in articulis 19. Pariſienſi ac 21. Ebredunenſi, vi textuum. Etenim, in iſto textu arctanda eſt pœna canonica ex parte 2. generali Præfat 1. Alia in 14. Lugdunenſi.

9. *Illi qui proprios pueros proiecerunt, vel expoſuerunt in hoſpitali, vel alio loco.*

Simile in 7. Toloſano, quo ad partem potiorem.

10. *Qui facto, verbo, conſenſu, vel alio modo homicidium, perpetrarunt.*

Hic articulus quo ad conſenſum æquatur Caſui 9. Senonenſi, & ſuperat decimum. Lugdunenſem. Videtur tamen excludere homicidium caſuale comprehenſum in 20. Ebredunenſi. Sícque inuoluit ſolummodo voluntarium, de quo in Caſu 6. Toloſano, & priùs in 2. communi partis. 3. generalis: vbi nota cenſuras Clericidæ & aſſaſſini.

11. *Sacrilegi & violatores Eccleſiarum.*

Patitur eoſdem planè ſenſus, quos articulus x. Arelatenſis.

12. *Illi qui luxuriam expleuerunt cum matre, vel ſorore, vel alia conſanguinea ſua, vel vxore fratris, vel*

cum sanctimoniali consecrata, vel violenter virginem deflorarunt. VIEN.

Hic quatuor deprehenduntur. Primum est incestus cum consanguineis per omnes quatuor gradus prohibitos, de quibus articulus 19. Lugdunensis. Hæc enim latitudo latet sub his vocibus *vel alia consanguinea sua.*

Secundò, inter omnes gradus affinitatis, qui etiam quatuor sunt: primus duntaxat hîc reseruatur, nempe incestus perpetratus cum vxore fratris, de quo vno luxuriæ peccato loquitur textus inter affines, quando dicit *vel vxore fratris*. Siquidem is est primus affinitatis gradus, vt colligitur ex Syluestro verb. *Matrimonium*. 8. nu. 25. Indéque secundus gradus ad propositum est vxor patruelis seu consobrini germani in linea collateralium, & sic de sequentibus inter pronepotes & abnepotes, qui constituunt quartum ac vltimum gradum

Quippe gradus affinitatis quos habet vxor cum consanguineis mariti, sequuntur ordinem graduum consanguinitatis: hoc est omnes consanguinei mariti sunt mulieri vt cumque cognitæ affines in eo gradu in quo sunt viro cõsanguinei. Hunc ergo secũdũ ac alios cùm non insinuet præfatus textus: sequitur taliũ incestuũ culpas minimè reseruari in hac prouincia, tũ quia pœnæ sunt restringendæ ad literã, tũ quia in pœnis reseruandis minor sub

VIEN. maiori pœna non continetur, nec illinc potest inferri, ex dictis in 7. Casu Parisiensi. Multóque minùs sub præsenti articulo comprehenditur incestus patratus in primo etiam gradu cognationis contractæ per fornicariam cohabitationem, vel aliud genus illicitę copulæ: cum illic nullahaberi possit vxoris ratio hîc necessario requisita, sed potius adulteræ & concubinæ, [a] etsi forsan agnoscatur latioriCasu seu textu Lugd un si, ac 12. Senonensi.

a ex 32. qu. 7. Hi verò & seq.

Tertio loco monemus quòd luxuria cum Sanctimoniali commissa est propriè stuprum maximè ea consensum vtcunque præbente: qua de re legatur articulus 8. Parisiensis.

Quartò additur raptus virginis, qui est altera species, renuēte prorsus virgine aut Sanctimoniali: de qua ibidem, & Casu 2. Lugdunensi cum censura.

13. *Illi qui in Ecclesiis vel cimiteriјs luxuriam commiserunt.*

Iam habetur Articulo 14. Parisiensi circa Ecclesiam: & inter reliqua loca sacra hic Articulus complectitur cœmeterium, non tamē claustrum, eremitorium, domum Episcopalem, & alia exposita artic. 21. Lugdunensi.

14. *Illi qui cum Iudæa vel Sarracena, vel bruto animali, vel aliàs contra naturam coire ausu temerario præsumpserunt.*

Circa hunc Articulum duo dicimus. Primò commemoratio de Iudæis docet istos

Viennenses Casus priscos esse sine facta re- VIEN.
nouatione vel mutatione in postremo Viennensi Concilio prouinciali: hæcque antiquitas colligitur ex simili Articulo 19. Lugdunensi. Quòd si copula Christiani cum Iudæa aut Saracena fiat nomine matrimonij, est tamen vera & horrenda fornicatio, quia talis cultus disparitas saltem cum non baptizatis iure ecclesiastico dirimit matrimonium postea contractum, ex citatis apud Nauarrum Cap. 22. nu. 48. Vix autem reseruatur sub hoc casu fornicatio Christiani commissa cum alio infideli, vt pote cum pagano & hæretico. Nam etsi id ex textu possit inferri: tamen vel species illæ in eo exprimi deberent, cùm pœnæ sint coarctandæ, vel nomen infidelis tanquam generis apponi deberet, quod capax esset. Adde quòd ex loco cit. matrimonia catholicorum cum hæreticis non dirimuntur, etsi peccetur. Secũdò, quando textus dicit vel aliàs cõtra naturã: sanè demõstrat hîc cõprehendi tres species ipsius peccati cõtra naturam: non tamen quartam: quia verbum copulari repugnat, præter alias rationes. Adeóque præsentem Casum excedit paulò Casus 10. Parisiensis: & æquatur Articulis tum Lugdunensi 20. tum Senonensi 15.

15. *Mulier quæ adulterio suscepit infantem, quem maritus eius credidit esse suum, propter quem legitimi liberi defraudantur hæreditate paterna.*

Explicatur in Casu 11. Tolosano planè simi-

VIEN. li repetitúrque in 15. Arelatensi: Difficultas tamen reseruandi hanc materiam aperitur in extrema Tabella Aquensi.

16. *Qui mulieribus aliquid fecerint, propter quod faciant abortiuum, vel ne concipiant.*

Formula textus efficit vt hæc reseruatio eadem sit cum Casu 13. Parisiensi, quoad absolutam & voluntariam abortiui procurationem: relictis forsan dantibus consilium, vel saltem negligentibus qui reseruantur in amplioribus locis Archiepiscopatuum ibidem citatis.

Hîc tamen ex vna parte supponitur effectus talis procurationis, antequam reseruatio locum tutò habeat, quo pacto exprimit Casus 22. Ebredunensis. Quippe iste noster textus sic loquitur *propter quod* (impedimentum) *faciunt abortiuum.*

At ex altera etiam parte, non est necessarius ille effectus, hoc est realis aborsus ipsius fœtus in muliere prægnante: quia dicit idem textus. qui aliquid fecerint ne concipiant. Propterea sufficit conatus per pharmaca & potiones alióue modo expresso in Artic. 14. Lugdunensi: etiamsi robur naturæ restiterit. Modò tamen ex illo conatu sequatur saltem alius effectus huc pertinens, nimirum sterilitas, qua impeditur conceptus. Solus enim conatus ceu ad sterilitatem ceu ad abortiuum procurandum, non sufficit vt reser-

uatio locum habeat, nisi certè vnus effectus ad minimum sequatur, qui hoc loco sit sterilitas, quamuis ad lethalis peccati rationem sufficiat ipse solus conatus, vt liquet in secundo Casu communi de homicidio quod longè grauius est aborsu. Atque hunc sensum satis complexus esse videtur Casus Parisiensis, quando vno verbo dicit, *Procuratio abortiui*. Canones sunt in Lugdunensi, reliqua sequenti articulo. VIEN.

17. *Mulier si hoc fecerit, vel fieri sibi procurauerit, ita mittatur absoluenda ad Episcopum, si id ei de iure competit: alioqui cum ipsius literis ad sedem Apostolicam transmittatur.*

Superior Casus est de alijs personis aborsum in aliqua muliere procurantibus: iste verò est de ipsa muliere id ipsum sibi procurante. Et reseruatio locum habet, in primis, si id ipsa procuret, sumendo pharmaca in eum finem confecta, non solùm antequam fœtus viuificetur anima vegetante, sed etiam ante conceptionẽ, si modò dentur vẽl sumãtur cũ intentione prępediendi generationem, ex Syluestro & alijs verb. *Aborsus*.

Deinde eadem reseruatio hìc vim suam retinet, si fœmina aborsum rursus procuret corpus suum defatigando nimio & immoderato labore, tripudijs, vel quouis alio modo qui inducat probabile periculũ futuri aborsus, quantumuis effectus non sequatur. Ratio est quia imprimis vt quis lethaliter

VIEN. delinquat, ſatis eſt malum animum habere, ſicut notat Nauarrus Cap. 15. nu. 14. quia tamen culpa prauæ illius voluntatis non ſubinde reſeruari dicitur: ideo vt in poſterum reſeruetur, ſufficit hoc fine operam per ea ſigna externa adhibuiſſe, & quòd ex illo delicto aliquis ſaltem pernitioſus effectus ſequatur exteriùs, quantumuis alius à propoſito fine agentis: veluti ex textus formula & ſuperiori Articulo 16. conijcitur: & quidem non obſtante Articulo 22. Ebredunenſi, aut alijs ſimilibus, qui clariùs pro reſeruatione eum effectum poſtulant quem primariò in mente habuerunt. Idémque ſentiendum eſt de maritis aut alijs reſpectu vxoris pro latiori quoque explicatione ſuperioris articuli: ſi nimirum eam vterum geſtare viderint, & ipſam ita grauiter afficiant, vt in probabile periculum aborſus eandem conijciant, licèt poſtea non ſequatur effectus, ex eodem Nauarro. Vtrinque autem excipiuntur primò, viri mulieres aut qui vel quæ in iſtud periculum probabile non impulerunt, etiamſi caſuali euentu contingat aborſus: quinimò non peccant mortaliter.

Secundò, ſi ludus vel labor eſt leuis, periculóque careat, etſi rurſus ſequatur aborſus ſine lethali culpa. Tertiò, vi textus excluditur negligentia retenta in Caſu 22. Senonenſi, & includitur ſola voluntaria procuratio.

Addunt

Addunt Authores procuratorem huiuſce aborſus incurrere pœnam irregularitatis, ſi fœtus anima rationali iam præditus fuerit, eo quòd ſit homicida. Déque ea re cap. *Aliquando*. 32. quæſt. 2. & Nauarrus cit. Atque tunc ipſa irregularitas à Romano Pontifice, neceſſariò auferenda eſt, ſi reus laïcus vel rea velint ad ſacros ordines promoueri, aut ad Monaſticam religionem admitti. VIEN.

Quòd ſi dubitetur de animatione, cenſet Syluester quòd in foro quidem contentioſo mitior pars ſequenda eſt reſpectu pœnarum exteriorum: at in foro animæ debet ſe quis homicidam reputare. Verùm recurſus ad Rom. Pontificem pro ipſius culpę ſolutione, quatenus in præfato textu commemoratur, nõ niſi ad terrorem eſſe poteſt, vt pœnitens in poſterum magis vereatur hoc graue peccatum committere.

18. *Illi qui contra aliquos falſum teſtimonium tulerint.*

Fuſiſſimè per partes diſtribuitur coëquali Articulo 3. partis 3. generalis.

19. *Publicè periuri.*

Vox publicè vno ſenſu opponitur priuato, vt ſcilicet coram pluribus teſtibus fiat periurium, etiam extra iudicium: altero ſenſu idem eſt quòd ſolenniter, vel quia ſolenne celebrari non poteſt, præſertim coram iudice, quin è veſtigio publicum cenſeatur, & non niſi apud iudicem competentem tenetur quis

VIEN. ſolennitatem ſeu exteriorem ceremoniam oſtentare, declaratam in articulo 29. Lugdunenſi & 16. Arelatenſi. Hinc igitur ſecluditur priuatum periurium, in Arelatenſi non obſcurè comprehenſum. Alia huc pertinentia inferiùs articulo 22.& 23. huius Tabellæ.

20. *Sortilegi & diuini.*

Complectitur vniuerſum Caſum 5. communem præfatæ tertiæ partis & inſuper articulos 24. Lugdunenſem, 12. Rothomagenſem, 7. Pariſienſem 13. Bituricenſem & alios quoſuis in quacunque materia, hoc eſt ſacramẽtali præſertim, vt ibidem indicatur. Quapropter ſecluduntur duntaxat minores alij ſacramentalium abuſus, in quibus deficiũt ſortilegia, etſi eos capiant articuli 23. Lugdunenſis, 11. Rothomagenſis, etſi qui ſint ſimiles, ob rationes in Pariſienſi deductas.

21. *Vſurarij manifeſti.*

Fuſiſſimè traduntur artic. 25. Lugdunenſi æquali omnino.

22. *Qui contractis ſponſalibus cum aliquibus, præſtito iuramento, & non diſſolutis, poſtmodum contrahunt cum alijs ſponſalia, vel matrimonium, contra iuramentum prius præſtitum.*

Eſt Caſus, primus peculiaris huic Archiepiſcopatui. In ipſius autem deſcriptione tres conditiones enumerandæ ſunt circa ſponſalia ac matrimonia, ex quibus quidem conditionibus tota præſens reſeruatio conſtat.

In primis, quicunque post contracta sponsalia cum vna, sine iusta causâ contrahit cum alia matrimonium aut sponsalia, mortaliter peccat, secundum omnes Summularios, etiamsi præstitum non sit iuramentum, ex Nauarro cap.22.nu.72. Huiúsque peccati absolutio reseruatur in tota Viénensi prouincia, seu in Delphinatu septentrionali, si iuramentum superuenerit. VIEN. *Triplex conditio.*

Secundò, quoties cum alia contrahitur ex iusta causa: si tamen vir id faciat ante facultatem à iudice Ecclesiastico concessam, vt pote qui contractum dissoluat, committit duntaxat peccatum veniale. Verùm si priori contractui interuenerit iuramentum de non contrahendo cum alia: sanè tunc iuramentum culpam adauget, efficitque sæpius mortalem, quia cùm iustum fuerit iuramentum, alius sequens contractus iam eo ipso iniustus erit: & propterea eiusmodi culpa hîc directè reseruatur vi textus. Nihilominus matrimonium contractuum valet: quia hoc impedimentum est solùm vnum ex impedientibus & non dirimentibus coniugium antea initum, loco cit. & nu. 28. *Vide quæ hoc artic. sub finē dicemus.*

Tertiò, quando post sponsalia de futuro cũ vna, vir habet copulam carnalem cum alia nõ fornicario affectu sed vxorio, hoc est cum intentione cõsummandi matrimonium peccat mortaliter, & nullum etiam est tale matrimonium in locis vbi decretum Tridét. promulgatum fuit: illis verò in locis quæ Concilium

VIEN. hactenus non susceperunt, validum est sicut iure antiquo sed est pecc. mor. propter impedimentum quoddam publicæ honestatis, Nauarrus num. 26. §. tertiò cit. num. 28. §. E contrario & cap. 25. num. 144.

Vide artic. 16. Senon.

Sub hac verò tertia conditione duo dicenda sunt. Prius est quòd prima ea sponsalia omnino dirimuntur, si secunda mulier cognita, sit affinis primæ in gradu prohibito licitæ affinitatis, qui est vnicus. Etenim primam in vxorem ducere nequit, propter impedimentum affinitatis ex illa copula ortum, idque sub pœna excommunicationis iuris *: neque secundam ob impedimentum publicæ honestatis ex primis sponsalibus natum, cap. 30. *Is qui.* desponsalib.[c] tùm cit. §. Tertiò & nu. 57. §. Ex quib. adeóque tale matrimonium cum priore esset incestus.

Duplex digreßio ad 3. condit.

** Tab. 2 gen. art. 53. & 19 Lugdun.*

c lib. 4. Decret. tit. 1.

Posteriùs, est Nauarrum innuere, quòd excõmunicati quoque ipso iure sunt illi qui matrimonium contrahũt cum affine eius mulieris quam antea illicitè cognouerunt. Quippe cit. cap. 22. nu. 43. * sermonem instituit de affinitate contracta ex fornicaria copula quæ impedit matrimoniũ postea cõtrahendum cum muliere affini prioribus mulieribus cognitis, & eadem quoque dirimit matrimonium cõtractum vsque ad secundũ gradum duntaxat, iuxta Conc. Trident.[d] Deinde sequenti §. *Sequitur*, immediatè statuit *eiusmodi cõtrahẽtes non solùm peccare, sed etiam excõmunicatos esse sicut sunt*

** in primis editionibus.*

d supra cap. 4.

consanguinei, nisi excuset ignorantia. Sub qua generali vocum formula videtur loqui de affinibus etiam ex illicita copula prognatis, tanquam in pœna æquiparãdis consanguinitati. VIEN.

Qua in re viderint oculati, vtrum hæc sit mens Concilij,& an Tridentina Synodus prohibitionem hãc intra vnum gradum (per illegitimam copulam contractum) intelligat pariter sub pœna excommunicationis. Nam veteres Canones id tacent, vt pote Clementina *Eos qui de consanguinit.* [c] *& affini.* describit tantùm censuram inflictam contrahentibus in gradu prohibito licitæ cognationis, vnà cum Glossa: & quidem etiamsi legitimi coniuges nondum carnali copula matrimonium consummarint. Cuius sanè prohibitionis in solo licito concubitu, cum præfata censura, meminit articulus 53. partis 2. generalis nemini reseruatus iure communi. Rursus caput *Quædam* & sequentia quatuor 32. qu. 7. commemorãt solùm varia illicita coniugia, quæ omnia sine censura à viris contrahuntur cum affine in propiori gradu, eius mulieris quã priùs vir fornicariè nouerat, & id clariùs renouat Trident. Decretum.

c *lib. 4. tit. 1.*

Controuersia notanda.

Loquimur autem de illegitimis matrimonijs aut sponsalibus nondum per copulam consummatis. Nam extutiori sentẽtia, quam refert Nauarrus, copula quæ solo intuitu futuri coniugij habetur inter eos qui contraxerunt spõsalia de futuro intra quartum gradũ,

VIEN. inducit tamen præfatam iuris excommunicationem, eámque omnem ſubinde reſeruatam ſub hoc 22. Articulo Viennenſi (ſi adſit iuramentum) licèt nondum publicè celebratum ſit matrimonium. Hæcque ſingula quæ dicta ſunt de viro contrahente cum muliere, pari modo cenſentur dicta de ipſa cōtrahente cum illo, ex Nauarro cit. Cap. 22. nu. 43. * Ea autem omnia, vt pote quæ iſtuc opportunè congerenda erant, inſeruiunt præfato art. partis 2. qui illic breuiùs conſcribi debuit. Alia id genus innouat Caſus 13. Belgicus.

* §. Sequitur. ad calcē.

Cæterùm, duo ad extremum obiter notanda ſuperſunt. Vnum eſt quòd ſponſalia ipſo iure ſunt ſolubilia ſine iudicis ſentētia, primò quidem per partium mutuam remiſſionem, etiāſi iurata fuerint, 2. per alterutrius ingreſſum ad vota religionis Monaſticæ, 3. per ſuperuenientem lepram, 4. per omiſſionem promiſſi adimplendi, 5. per citatam aut ſimilem ſuperuenientem affinitatem, ex eo quòd altera pars rem habuit cum cognato vel cognata ſponſæ promiſſæ ſeu intra gradus prohibitos alterius partis, antequam pars copulam maritalem cum ſponſo vel ſponſa haberet, & denique per alios 12. modos quos luculenter dilatat Nauarrus à nu. 25. ad 28. excluſiuè, atq; pauciora ſubdit Syluester verb. *Sponſalia*. vlt. His nos denuo adiungimus illos homines tum qui minimè præbent aſſenſum, tum qui ſponſalia contrahunt ante legi-

Duo notanda.

timam ætatem, [f] maximéque ante septennium: Nam postea ipsi contradicere possunt rei factæ, & dissoluere ipso iure cap. *Literas.* & cap. *Accessit.* De sponsalib. [g] puberum.

VIEN. *fcit. nu.* 43. * 2.2.qu. 189.art. 5.

Alterum breui explicandum est de qualitate præstiti iuramenti in prioribus sponsalibus, & deinde violati per posteriora. Censetur enim id esse periurium, quia in præsenti quæstione sequentia sponsalia dicuntur violatio priorum seu prioris datæ fidei sub iuramento: desunt enim tres iuramenti conditiones: primò quidem veritas prioris dicti vel iuramenti, Secundo iustitia: tertio per secundum pactum satis probat se iudicio carere, si ad secundas nuptias conuolet intempestiuè, ex leuitate, sine necessitate & vtilitate. Estque peccatum lethale hîc reseruatum, præsertim si interueniat contemptus in alterius partis relictæ præiudicium. Syluester verb. *Iuramentum.* 2. num. 7. & 8. tum verb. *Periurium.* 1. Attamen ista periurij species satis adhuc discrepat ab art. 19. istius Tabellæ de publicis periuris, Nam illud periurium est vocale duntaxat, scilicet mendacium iuramento firmatum &c. vt loquitur D. Thomas: [h] hoc verò ad opus spectat & ad exequutionem.

g *lib.4. Decret. tit. 2.*

Tres iuramenti comites.

h *art.19 Lugdun.*

Iterũ præsens Casus differt aliquãtũ à simili 26. Lugdunensi: quia illic secũdum cõiugale

VIEN. vinculum quod initum est in despectum prioris fœminæ cui fides data fuerat, non supponit iuramẽtum cum priore semper coram testibus præstari solitum: sed exigit tantummodo simplicem fidem datam etiam nullo teste vocato, & intra priuatos parietes. Adeóque Lugdunensis reseruatio est grauior & obseruatu difficilior istâ: cum sit de re paulò leuiori, sed tamen mortali, quia ibidem despectus propriè concurrit cum præfato contemptu mox commemorato qui perpetuò lethalis est ex Syluestro * cuius loci explicatio clariùs hîc quàm illic apponi debuit.

Casus Lugdun.

* *nu.* 8.

23. *Qui scienter agit contra iuramentum suum, in quocunque casu licito præstitum.*

Hic Casus est etiam de solo opere & facto, quando iuramentum reuera & per aliquod opus violatur ac proinde differt à periurio vocali sicut superior articulus 22. nimirum penes formam. Atque denuo iste locus 23. ab ipso 22. dissidet penes materiam duntaxat: præsens enim Casus consideratur quoties præstito iuramento contrauenitur circa aliam omnem materiam, quàm circa matrimonium ac sponsalia.

24. *Qui excommunicati vel nominatim interdicti à quocunque iudice ingerunt se diuinis in Ecclesia ante absolutionem, inuito sacerdote, nec moniti à sacerdote volunt exire de Ecclesia diuinum officium perturbantes.*

Duo indicantur. Primò nomine excommunicatorum concipiuntur hîc omnes notorij non nominati,& maximè quatuor æquiualentes nominatis allati parte 2. generali Præfat. 2. Et ratio eſt tum quia vox excommunicati generatim exprimitur,tum præſertim quia in textu adduntur confeſtim nominatim interdicti,ad diſtinctionem excommunicatorum.Nam ſi per excommunicatos vellet quis intelligere ſolos condemnatos, vel etiam irretitos per Epiſcopales monitiones eo quod pœnæ ſint reſtringendæ: ſanè æquè illis adiungi debuiſſet vox *nominatim*,ſicut addita eſt voci *interdicti*. Deinde magis etiam opus fuit eandem vocem (*nominatim*) connectere interdicto, tanquam ex ſe minus noto: qua de re habet articulus 15. Auxitanus poſterioris ordinis. Hæcque interpretatio erit in gratiam quoque articuli 8. præfatæ partis 2. gen. Neque verò quiſpiã alius objiciat ipſam dictionem *nominatim* iungere vtramque commemoratam cẽſuram ſub pari ſenſu. Etenim coniunxiſſet certè,velut copula, ſi ſubſequuta eſſet vocem *interdicti*: at quia ipſam antecedit,idcirco diſiungit.Secundò qui ſic ingrediuntur ad diuina cõtranitente Parocho,peccant lethaliter ſæpiùſque cum ſcandalo: & culpa hæc Epiſcopis huiuſce prouinciæ reſeruatur.Simile inducit Caſus 6.Lugdunẽſis.

25. *Qui ſcienter celebrant in Eccleſia interdicta.*
Hic articulus ab omni cenſura eximitur.

VIEN.

VIEN. Quippe ſub eo non comprehenduntur illi qui anathema iuris incurrunt, ex eo quòd ſcienter ſepeliunt aliquos etiam pios in Eccleſijs aut cœmeterijs interdictis, de quibus parte 2. generali artic. 8. ſed duntaxat hos inuoluit qui celebrant in Eccleſia interdicta. Interdictum autem locale huc ſpectans concipitur primò denunciatum à iudice eccleſiaſtico; ſecundò admittitur ſolum interdictũ iuris antiqui, modò per declarationem renouetur, aut ſaltem ſi metropolis Eccleſia loci id conſueuit obſeruare circa aliquod ſpeciale factum, ex art. 15. Auxitano. Iura tamen, nulla determinata exempla expromunt.

Arbitramur nos paſſim ac facilè admittenda tria exempla in Diœceſibus, & inter Epiſcopos qui volent, necnon in metropolitanis Eccleſijs obſeruari poſſe inter plures eius ordinis Caſus. Vnum eſto de ſacro loco, in quo ſepultum iacet cadauer notorij hæretici vel excommunicati nominatim. Etenim tales duntaxat exhumari iubentur cap. *Sacris.* [i] De ſepulturis. Tum additur capite *Quicunque.* De hæret. [k] *quòd locus ille perpetua careat ſepultura.* Vbi Gloſſa dicit quidẽ, rem inanimatam ſeu locum puniri. Verùm iſta punitio eſt ſolùmmodo priuationis ſepulturæ, non autem interdicti ipſo facto impoſiti, vt nõnulli paſſim credunt, quia nec textus, nec Gloſſa nec Summularij id tradunt locis cit. in artic. 5. & 15. Auxitano, tit. De Conſecrat. Eccleſiæ, aut ali-

i lib. 3. Decret. tit. 28.
k in 6.

bi. Sanè Glossa in caput *Quicunque* citat pro alio punitionis loci exemplo caput *Vbi periculum* §. *Ciuitas.* De Electione * illicque vrbs extranea supponitur interdicto, in qua perperam celebrata est aliqua Papalis electio. At Glossæ Author nō refert nec exprimit, quòd locus propter præfatas censuras, sit pariter interdictus.

VIEN.

* *in 6.*

Igitur localis punitio in cap. *Quicunque.* erit dūtaxat partialis, quia scilicet nullus in eo debebit sepeliri, non autem erit completa neq; interdictū includet, maximè quia silet caput *Sacris.* eiusque Glossa. Ideóque pœnæ sunt restringendæ. Nihilominus ad præsens institutum dicam. Præfata pœna partialis egregiam suggerit rationem ac fundamentum, vt si aliqua Metropolitana Ecclesia in vsu id habere velit, quòd nimirum ipso facto Ecclesiæ prouinciales reputentur interdictæ in quibus excommunicati notorij sepeliantur: tunc inferiores Ecclesiæ ei addictæ tenebuntur sub reatu peccati interdictum obseruare, adeoque culpa hîc reseruabitur, si ibidem celebrent cadauere nondum eiecto. Cui etiam causæ indicendi tale interdictum, adiungitur fortior: quòd nimirum Ecclesia, in qua excommunicatorum corpora iacent, polluta est & reconciliari præcipitur aspersione aquæ solenniter benedictæ cap. *Consuluisti* loco cit. [1]

Interdicti localis qualitates vt vim habeat.

[1] *De cōsecr. Eccles.*

VIEN. Idémque ſecundò dicendum, ſi in ea ſepe-
m ca.27. liantur infideles alij ex Nauarro [m], & 3. ſi ibi-
nu.257. dem fiat iniurioſa ſanguinis humani effuſio,
n Deci- cap. *Propoſuiſti* [n]. Nã cùm in illis Caſibus eiuſ-
ſecr.cit. modi Eccleſiæ ſint reconciliandæ, facilè ſubintelligitur quòd in ijs ſacrificium Miſſæ non eſt offerendum, niſi feſtis diebus & ſubmiſſa voce, ſicut moris eſt in loco verè interdicto, ac potiſſimùm accedente Epiſcoporum declaratione inter ſubditos, etſi præfati canones eius interdicti non meminerint. Alia de hac pollutione artic. 7. Bituricenſi. Iſte 25. Caſus eſt 2. peculiaris huic prouinciæ, eáque omnia conducunt ad perfectiùs concipiendum articulos 17. partis 1. & ſeptimum ac 8. par. 2. generalis.

26. *Illi qui in cimiterio eccleſiaſtico ſuppoſito interdicto, ſepelire præſumunt corpora mortuorum.*

Nunc iſte Caſus ſatis intelligitur de ſolis mortuis fidelibus: & proinde ſermo eſt hic de ſolo interdicto locali à iudice declarato. Nam abſurdum eſt ſubeſſe peccatum ſi in eo cœmeterio fideles ſepeliantur, in quo duntaxat ſanguis humanus effuſus eſt ſine Cathedralis Eccleſiæ cõſuetudine quæ id genus interdicti obſeruet, vel in quo rurſus excõmmunicati ſeu hæretici ſepeliuntur, propter quos latet ibidem ſimplex interdictum iuris. Eiuſmodi autem ſepelientes corpora fidelium etiam piorum in loco interdicto ab homine ſeu per declarationem iudicis, maiorem de

facto incurrunt excommunicationem par. 2. VIEN. cit. art. 8.

27. *Illi qui in cimiteriis etiam non interdictis presumunt scienter corpora excommunicatorum sepelire.*

Sepelientes hosce excōmunicatos in quouis loco sacro, sunt ipso facto anathemate percussi, de iure communi, sicut Casus superior, ex art. cit. Et iam censura cunctis Episcopis reseruatur. Alia in 8. Lugdunensi.

28. *Illi qui abstulerunt, substraxerunt vel aliquid qualitercunque acquisiuerunt seu rapuerunt, nisi sciatur quibus personis certis locis prædicta fuerint de iure restituenda, ad Episcopum transmittantur, vt de illius consilio fiat restitutio ablatorum.*

Exponitur artic. vltimo Senonensi: constátque quòd cùm restituendi modus sit fori externi (relicta seorsum reseruationis absolutione pro hisce culpis in foro conscientiæ) nequit ad Episcopos pertinere etsi velint, nisi certè in quadruplici Casu, ibidem allato.

29. *De his quæ testamento vel aliis vltimis voluntatibus, pro iniuriis vel damnis incertis reparandis relinquuntur, dispositio seu diuisio ad Episcopum transmittatur, vt eius prudentia certis locis & Christi pauperibus aßignentur.*

Iste Casus versatur magis circa forum exterius huc minimè spectans, quàm circa interius quò spectat nostrum opus. De communi Episcoporū potestate circa eiusmodi materiam loquitur Clemens Papa 5. in Concilio

VIEN. generali Viennensi o, cap. *Quia contigit.* De
o 15. *ge-* Relig. domib p. Deinde Concilium Tridenti-
ner. ann. num sess. 22. De Reformat. cap. 8. sic statuit:
1311. *Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati,*
p *lib. 3.* *in casibus à iure concessis, omnium piarum dispositio-*
Clemēt. *num tam in vltima voluntate, quàm inter viuos,*
tit. 11. *sint executores: habeant ius visitandi hospitalia, colle-gia ac confraternitates laicorum &c.*

Tum pergit decernere circa administrationem fabricæ Ecclesiarum & alia cap. 4. *Administratores.* ibidem & sess. 25. De Reformat. cap. 4. *Contingit.* Verùm, ipsi Episcopi eodem etiam iure suo vti possunt circa forum conscientiæ, & commissos hîc errores sibi reseruare: idque totum simul credendum est hoc articulo contineri. Hinc verò reseruatio fori interioris legitur hactenus Viennensi prouinciæ singularis, hac in parte.

30. *Voti permutatio, vel voti fracti absolutio.*

Hîc duo describuntur. Primum est permutatio voti presertim nondum fracti. Cuius plenaria dispensatio & multò magis permutatio iure communi ad Episcopos pertinet in votis simplicibus quorum exempla traduntur in Admonit. posteriore ad calcem primæ part. celebraturque hæc permutatio in vtrolibet foro, sæpius tamen in exteriore. Alterum est absolutio transgressionis seu fractionis voti, quæ quidem respicit duntaxat culpas & forum conscientiæ: huiusque ordinis

ſunt culpæ circa ea etiam vota quorum di- VIEN.
ſpenſatio ad Romanum Pontificem ſpectat, quatenus exponit locus citatus, & articulus 18. Senonenſis & 16. Rothomagenſis, cui iſte æquatur, cum multiplici exceptione verborum ſimplicium, compreheſis vtrobique ſolis votis ſolennibus.

31. *Qui literis Apoſtolicis abutuntur.*

Iſte Caſus nimium generalis eſt. Proptereáque dignus creditur explicatu, ne quis circa eius vſum fallatur. In primis ſi abuſus accipiatur pro falſitate earundem literarum, vel pro maligna ipſarum retentione ſupra dies viginti, culpa retinentium, Papæ reſeruatur, ex Bulla Cœnæ Domini par. 1. gener. artic. 5. & 9. neque ideo ad hunc locum pertinet.

Igitur vt ſecundò deprehendamus ſingula quæ hoc Caſu directè reſeruantur, ea ſunt, in primis omnes alij abuſus commiſſi circa eaſdem literas falſas: quoties ijdem abuſus faciunt peccatum mortale, ſecundo abuſus minores qui excluduntur à præfato Caſu Papali expoſito apud Nauarrum cap. 27. nu. 62. vtpote ſubreptitia & obreptitia earundem impetratio: ſubreptitia quidem quando quis pro illarum impetratione falſitatem exprimit, vel tacet veritatem, etſi ipſemet minimè falſificet; obreptitia verò quando ſub inuolucro verborum ſic ſupplicatur, vt Summus Pontifex vel Curiæ Romanæ Offi-

VIEN. ciales veritatem non percipiant: & impetrãs carere debet impetratis, cap. *Super literis*. De Reſcriptis *.

*lib. 1. decret. tit. 3.

Tertiò multò magis reſeruantur quinque modi veræ falſitatis conſcripti initio huius tertiæ Tab. gener. artic. 3.

Quartò, dicere audent nonnulli hîc tacitè reſeruari omnem falſitatem literarum Epiſcopalium ſeu Archidiaconi nomine Epiſcopi, & etiam nuntij, etſi in huius articuli textu mentio non fiat de eiuſmodi literis Epiſcopalibus. Et rationem afferunt, quia literæ non ſunt Papæ, ſed inferioris. Cui autem reſeruatur ſuperius (aiunt) ſimul & inferius concipitur reſeruatum, quoties ſub eodem ordine infra ſuperius continetur, velut ſpecies ſub genere. Verùm certè, etſi in philoſophicis id locũ habeat; tamẽ quod ad canonicas pœnas attinet, tutiùs è diametro dicẽdum putamus, ſcilicet quòd cui reſeruatur inferi⁹, reſeruatur & ſuperius ſub eodem genere cõprehenſum; non è contrà, eo quòd pœnæ ſunt reſtringendę quando articulus non meminit literarum Epiſcopalium. Sic ratiocinamur articulo 7. Pariſienſi de abuſibus circa Euchariſtiam. Nec eſt quòd hîc diutiùs immoremur. Nam his non obſtantibus, falſitas literarum Epiſcopalium iam reſeruatur cunctis Epiſcopis iure communi, vt manifeſtum eſt parte 3. generali art. 3. quanuis non reſeruetur in communi vſus taliũ quas aliquis falſas effecerit.

Exci-

Excipiuntur ergo ab hac reſeruatione illi primò qui in literis Pontificijs mutant ea quę priùs in ſua ſupplicatione exprimebantur, ſi per ſcriptoris errorem fuerint variata. 2. & is qui ex ijſdem literis raſit dictionem aut ſententiam, animo apponendi diuerſam: ſed pœnitentia ductus aut eandem reſtituit, aut ſaltem cauet, ne per illas cuiquam damnum inferatur, quia non concurrit præiudicium tertij cum dolo aut aliqua immutatione veritatis: peccat tamen. 3. & is qui falſificat eas literas quarum vſus & valor iam expirauit, ex Nauarro [z]. Quæ quidem tres exceptiones ab art. 5. Papali ſunt etiam amouendæ & à tertio Caſu communi Epiſcopis. Iſtic autem opportunè deſcribuntur, ſed falſitatis reſeruatæ cõditiones ibidem fusè habentur.

VI E N. Exceptiones.

z cap. 17. nu. 169.

Iam verò, pro articuli concluſione circa præfatos duos Caſus Papales & præſentem articulum. Nauarrus loco cit. ait ſub Papali reſeruatione non comprehendi illos qui falſis literis Apoſtolicis vtuntur, cùm Bulla Cœnæ loquatur de falſantibus. Adeóque ſequitur, quòd qui ſcienter vtuntur hiſce falſis literis, nec ſunt falſitatis authores, ſub ſola præſenti reſeruatione & non ſub Papali concludũtur. Et optimè certè iuxta communem ſententiam in pœnis reſtringendis, ſi textus Papales non ſint valde aperti. At certè in eius ſententiam cum bona venia inſurgemus duplici ratione, ſaltem examinis gratiâ, vt accu-

Recẽs cõtrouerſia.

VIEN. ratiùs fortè hæc materia expendatur.

Pro prima ratione: ipsemet Bullæ textus, quem ille refert, sic thema exarat: *Extendentes Constitutionem Fel. rec. Innocentij Papæ III. quæ incipit, Ad falsariorum: cum omnibus pœnis in ea contentis ad eosdem fabricantes, &c.* At verò ipsum Innocentij caput *Ad * falsariorum.* decernit hoc pacto: *Qui verò sub nomine nostro literis falsis vtuntur, si clerici fuerint, officiis & beneficiis ecclesiasticis spolientur: si laici, tamdiu maneant excommunicationi subiecti, donec satisfaciant competenter, &c.*

* *De crimi. falsi. lib. 5. Decret. tit. 20. ca. 7. an. 1200*

Atque ideo cùm Decretalis Innocentij applicetur & vniatur isti Bullæ Cœnæ, textus censetur comprehendere illud quoque anathema iuris reseruatum Papæ per legem hãc recentiorem cuius Author & reformator est Gregorius 13.*. Nam etsi dicat, *ad eosdem fabricantes*, quasi excludantur illi qui scienter ipsas falsas literas asseruant: tamen Bulla dicit etiã de Innocentij censura, *cum omnibus in ea contẽtis*: quæ scilicet omnia intendit referre ad naturam & reseruationem Bullæ Cœnæ.

* *anno 1583.*

Alter eáque fortior ratio est, quòd censuræ eorum qui prouisiones Papæ falsas retinent vltra dies viginti, eidem Papæ reseruantur, vt expresse commemorat Nauarrus nu. 93. in 5. & nos cit. articulo 9. Maius verò peccatum est retentis falsis literis vti, quàm retinere dũtaxat, nec ijs vti. Ergo qui falsas penes se habent in facto manifesto, non nisi à Pontificijs

Pœnitentiarijs abſolui poſſunt. Et Archiepiſcopi vel Epiſcopi eorúmue generales Vicarij hac ſolùm facultate ſunt prædìti, quando factum valde occultũ eſt. Viderint Doctiores & oculati. VIEN.

En 31. Caſus Prouinciæ Viennenſis ſeu Allobrogum occidentalium. Quos quidem deprompſimus è libro ad nos Vienna miſſo *, cui titulus eſt; *Inſtitutio Paræchorum recognita iuſſu ac authoritate Reuerendiſsimi D. D. Petri de Villards Archiepiſcopi Viennenſis.* Qui quidem liber editus eſt 3. Nonas Nouembris 1578. vt liquet ex Epiſtolio ipſius Reuerẽdiſſimi Archipræſulis ſacræ Theologiæ Doctoris Pariſienſis, quale ad Clerum ſuum mittit.

*4. *Maij* 1599.

Inſeruntur autem tit. *De administratione ſacramenti pœnitentiæ*, à pag. 31. In cuius fronte habes: *Sequuntur Caſus reſeruati contenti in Stat. prouincialibus &c.* Sicuti appoſuimus in exordio huiuſce Tabellæ. Tum ad calcem articulorum hæc habentur verba: *Hi ſunt Caſus quos antiquitas Eccleſiæ, præſertim Viennenſis, ob eorum grauitatem Epiſcopo reſeruatos voluit: placuítq; eos in antiquitatis teſtimonium hîc inſerere. Sed ne propter temporum iniuriam & hominum tepiditatem in rebus ſuæ ſalutis, hac reſeruatione, infirmis laqueus inijciatur, & quod in eorum ſalutem inſtitutum eſt, in detrimentum vertatur: admonitos cupimus Parochos, vt ſi quæ hinc difficultas oriatur, ad nos recurrant: donec in Synodo noſtra vel Concilio prouinciali plenius prouiſum fuerit.*

VIEN. *Coepiscopi prouincia Viennensis.*

Episcopi verò Suffraganei eiusdem prouinciæ sunt *Valentinensis, de Valence, Diennensis, Viuariensis, Grationopolitanus, Maurianensis, Gebennensis* seu *Geneuensis*, qui hodie *Annity* sedet propter Geneuam ab aduersarijs vsurpatam. Quibus sedibus supersunt Casus quidam cōmunes hîc prætermissi; nimirum articulus. 1. 2. 3. 5. 10. 11. 12. partis 2. generalis & quartus tertiæ, de varijs percussionibus, participantibus cum excommunicatis & cæteris. Sícque hac in tota regione adsunt exactè 39. articuli meritò obseruandi.

Gallia Togata.

Ratio verò quare hunc Delphinatum seu Allobrogum regionem numeremus inter Togatos Gallos, est quia licèt propriè Togata Gallia veteribus vltra Alpes ferè ad Italiæ fines constituta sit, & occupet prouinciam quam hodie Pedemontanam dicimus: tamen non immeritò affines Allobroges cum Togatis Gallis describimus, qui sanè sequentem vniuersum Ebredunensem Archiepiscopatum cum Viennensi complectuntur: ita vt Rhodanus ad Phocenses seu Narbonenses vsque censeatur diuidere Togatos à Celtis versus dexteram in amnis descēsu cum Lugduno positis. Siquidem, in primis, *Nuciensis* Episcopatus, qui ad ripam fluminis leuam Sedi Ebredunensi Allobrogorum subditur, verè ad Togatam & Pedemontanos pertinet, adeóque hactenus fuit ditionis serenissimi Sabaudiæ Ducis præcipuorum Togatorum

Principis ſummi. Deinde nos iure optauimus omnes Galliarum partes in noſtris Tabellis recenſere. VIEN.

Adde tertiò quòd ſic facilè effugimus contentionem de ordine inter Galliarum Primates ſubortam, dum Viennenſis Archipræſul ſe plerunque inſcribat Primatem Primatum in Gallijs. Sed tamen Lugdunenſis Archipręſul vſu & præſcriptione vicit: qua de re in extrema Tabella Pariſienſi. Neque etiam Reuerendiſſimus Viennenſis in præfato ſaltem libro ſe talem denominat. Quam ſanè conquiſitionem hîc eorum Reuerentiæ atque prudentiæ relinquimus. Cæterùm, quare poſt Aquitanicam & Narbonenſem Gallias locamus Togatam minimè totam ad Chriſtianiſſimum ſceptrum pertinẽtem, diximus in citata Tabella Pariſienſi.

CASVS EPISCOPALES Reuerendiſſimo D. Ebredunenſi Archiepiſcopo reſeruati, ante annum Domini 1535. & infrà. Tab. 14. Gallic.

1. *EXcommunicati à iure vel ab homine nominatim, & ſcienter participantes frequenter, vel in contemptum, cum denunciatis excommunicatis.*

Primus iſte articulus habet duo capita.

EBRE- DVN. Priori videtur prima fronte complecti duntaxat articulum tertium partis 2. gener. qui communis est cunctis Episcopis: vbi sermo est tum de maiore excommunicatione ab homine quæ absoluitur per Episcopos per aliquod breue Apostolicum, tum de excommunicatione iuris particularis manantis ab Episcopali statuto, vnà cum monitorijs. Verùm hæ voces præfati textus (*excommunicati à iure*) adeò latè patent suapte natura, vt disertè censeantur comprehendere omnes excommunicatos ipso iure.

Hîc igitur reseruantur 40. articuli talium excommunicationum, quas in præfata secũda parte docuimus nemini reseruari iure cõmuni: & alia posuimus artic. 8. Lugdunensi. Ita vt præsens Casus cum 2. Senonensi & 29. Rothomagensi accedat ad pauciorum Canonistarum sententiam, relatam in priore præfatione partis 2. cit. quamuis è contra nobiscum sentiat Tabella Parisiensis, post articulum 22. periodo quæ incipit, *A sententia autẽ.* Quod ad articuli caput attinet, nimirum ad participantes frequenter cum denunciatis excommunicatis, id aliquando Pontifici reseruatur, aliquando Episcopis alijs tamen atque alijs sensibus, & sæpiùs nulli: sicuti fusè exponitur articulo 30. partis 1. gener. & articulo 11. partis 2. Quos sensus varios quia litera huiusce primi articuli non exprimit, dum generaliùs paulò & sine distinctione loqui-

tur: idcirco rem vniuersam hîc dignam explicatu in suas species paucis deducimus. Si enim Clerici participent in diuinis cum denunciatis à Papa, eidem Pontifici reseruantur: si autem communicent clerici aut laici in damnato crimine cum ijsdem nominatis à Papa, tunc confestim maiorem incurrunt Episcopis reseruatam iure antiquo, quoties Pontifex sententiæ lator tales sibi non reseruat. Præterea, Clerici simul & laici communicantes cum ijsdem primò in alio mortali, 2. in licitis rebus sed cum ecclesiasticæ disciplinæ contemptu qui culpam reddit per se lethalem, 3. contra generalem prohibitionem iuris aut iudicis, 4. in diuinis cum excommunicatis ab Episcopo alijsue inferioribus Papa, 5. soli laici participantes in ijsdem diuinis cum excommunicatis abipsomet Pontifice, 6. clericus qui publicas preces offert Deo pro ijsdem excommunicatis, nec tamen adest diuinis cum ipsis, etsi, inquam, omnes participes in his sex generibus solam minorem excommunicationem communi iure incurrunt, perindéque sine vlla reseruatione: nihilominus ipsorum culpæ mortales hic peculiari & Episcopali iure reseruantur præfato Archiepiscopo, si quæque participatio sit frequens. Et ratio est quia textus vniuersalis hâc saltem desiderat conditionem; & includit multò magis participes contra specialem iudicis prohibitionem.

EBREDVN.

Nauarr. c.27. nu. 36. & 112. & sequen.

EBREDVN. Interea memineris quod participatio in licitis rebus humanis inita, inducit quidem minorem excommunicationem, ſed iſtic minimè reſeruatam, quia coniunctum non habet peccatum niſi veniale nunquam reſeruandum. Vide loca Sylueſtri & Nauarri allata in citatis præfatarum Tabularum articulis.

2. *Abutentes hoſtia ſacra, oleo ſancto, chriſmate, vel aliis ſacramentis.*

Abuſus iſte intelligitur is qui ſit alicuius momenti. Ita vt comprehendat ſortilegia & ſuperſtitiones circa Eccleſiæ ſacramenta, de quibus habent Caſus 24. Lugdunenſis, 12. Rothomagenſis, 13. Bituricenſis, 3. Rhemenſis, & 21. Belgij Occiden. At vix eos homines includit qui aliquid inordinatum vel indecés committunt circa Euchariſtiam: de quo loquitur Caſus 23. Lugdunenſis & 11. Rothomagenſis. Id enim non videtur adhuc ſufficiens abuſus ad mentem iſtius articuli. Siquidem pœnæ potiùs reſtringendę ſunt, quoties commodè fieri poteſt. Sed propriè æquatur Caſui 7. Pariſienſi, ſimúlque complectitur ſecundam 3. & 4. exceptiones allati Caſus Belgici, itémque primam, ſi ſuperſtitioſæ circunſtantiæ ex dictionibus & characteribus, illic commemoratæ, ſacramentis adhibeantur. Quæ omnes appendices adęquant articulum Pariſienſem.

3. *Celebrantes in Eccleſia polluta ſanguinis emiſſione, vel in domibus priuatis aut Oratoriis, ſine*

altari portatili & sine licentia. EBREDV.

Hic Casus est primus peculiaris huic Sedi. Pollutio autem Ecclesiæ contingit sex quidem modis expositis in 7. Casu Bituricensi: verùm in præsenti Casu non nisi primus modus ibidem commemoratus explicitè habetur, quiquidem euenit per sanguinis humani effusionem, eámque duntaxat iniuriosam, non casualem. Sícque illi qui celebrant in Ecclesia alijs modis polluta, vt pote ex seminis humani effusione & sepultura excommunicatorum notoriorum aut infidelium illic vel in cœmeterijs facta, peccant quidem lethaliter, sed culpę absolutio hîc non reseruatur. De qua pollutione habet caput *Cōsuluisti.* tit. 40. de consecr. Eccles. lib. 3. Decretal. Sepelientes verò & præcipui funeris comites excommunicantur maiore Episcopis reseruata in communi, ex parte 2. gen. art. 7. & 8. Differt autem hic Artic. à Bituricensi. Nam ille est de peccato polluentium Ecclesiam ac cœmeteria: iste de celebrantibus in polluta.

4. *Sepelientes in loco sacro excommunicatum, suspensum, interdictum, vsurarium manifestum.*

Iam superiori articulo monuimus hos cōtineri in articulis 7. & 8. Tabulæ 2. gener. vbi talia peccata habēt annexam canonicam cēsuram quæ cōmuni iure omnibus Episcopis reseruatur. Et id genus hominum statuitur in 9. Lugdun. Quid autem sit locus sacer, & quomodo latiùs pateat quàm nomen Ecclesiæ, liquet ex artic. 21. Lugdunensi.

EBREDVN. 5. *Violatores immunitatis Ecclesiarũ, vel libertatis Ecclesiasticæ quomodocunque. Idem de occupantibus res sacras, bona Archiepiscopatus & aliarum Ecclesiarum ac piorum locorum, nisi facta priùs restitutione.*

Hîc multa describuntur quæ ex veteri iure pendent. Primò statuuntur violatores immunitatis Ecclesiarum: quorum crimen propriè decet nominare sacrilegium locale, vt pote quo iniuria infertur ipsis Ecclesijs seu templis materialibus. Huius culpæ species sunt quinque, eæque exemplis illustrantur in 4. Casu cõmuni huius tertiæ partis generalis, vbi nulla subest censura: ideóque opus nõ est singula hîc repetere. Porro sub hoc articulo continentur omnes illæ quinque species vt colligitur ex particula *quomodocumque*.

Secundò in præsenti articulo est sermo de violatoribus Ecclesiasticæ libertatis: quæ duplex est, realis nimirum & personalis, ac vtráque sacrilega. Verùm, eius exempla reseruantur Papæ in actione manifesta, veluti habet pars 1. generalis artic. 27. & reliquis quatuor citatis in præfato 4. Casu communi sub reali sacrilegio, deinde articulo 10.* & alijs quinque ibidem notatis sub personali. At in facto occulto possunt Episcopi ab his absoluere ex parte 2. gener. artic. 4. necnon idem præstare queunt in illo reali manifesto quod describunt articuli 9. & 10. eiusdem 2. partis. Siquidem talia sacrilegia sunt propriè viola-

* *in ipsa 1. Tab. gen.*

tiones præfatæ libertatis, quæ profectò aperte connotatur in textu istius Casus sub hisce vocibus: *Idem de occupantibus res sacras.* Et hoc secundum membrum inuoluit duntaxat articulus 3. Senonensis. EBREDVN.

Tertiò, hîc commemorantur *occupantes bona Archiepiscopatus & aliarum Ecclesiarum ac piorum locorum*. Quæ sane vsurpatio exteriorum rerum seu iniusta occupatio, non est verè sacrilegium ex Syluestro verb *sacrilegium* in 3. bene tamen cognominatur violatio Ecclesiasticæ libertatis tanquam tertium ipsius membrum. Eius species extant in 1. parte articulis quinque commemoratis à 35. in Casu 4. communi ad calcem, proindéque sunt Papalis absolutionis in actu notorio. Extant quoque alia in parte 2. ab articulo 37. consequenter ad 43. vsque: qui etsi illic nemini reseruentur cum maiore excommunicatione, omnes tamen hoc loco reseruantur, maximè propter adiunctam dictionem *quomodocunque.*

Quartò & vltimò, hæc multiplex reseruatio Ebredunensis, intelligitur tantùm antequam pœnitentes bona ablata restituerint: vt indicat ipse textus. Itaque post restitutionem Parochus absoluere potest à culpa.

6. *Parochus cuius negligentia aliquis decessit sine baptismo.*

EBREDVN. Hic Casus est secundus specialis huic Archiepiscopatui.

7. *Reuelans confeßionem sacramentalem, vel aliquid à confitentibus accipiens ex conuentione vel exactione.*

Hic Articulus est 3. singularis isti Diœcesi.

8. *Laici vel Clerici cuiuscuis ordinis concubinarij notorij vel occulti. Idem de eorum concubinis & eisdem in concubinatu dantibus auxiliũ vel fauorem.*

Hic casus plura complectitur quàm omnes præcedentes de simili materia. Nam Casus 3. Lugdunẽsis reseruat tantùm Sacerdotes concubinam habentes, & duodecimus Rhemensis laïcos, si facta sunt publica & notoria, quapropter occulti illic non subaudiuntur, cùm textus eorum non meminerit. Deinde articulus 24. Bituricensis vtrunque hominum statum retinuit quidem, sed solum pariter notorium, & eos solos qui peccatum committunt. Præterea in illis tribus locis clarissimè soli viri describuntur. At verò Octauus hîc articulus occultos expressè cõmemorat: & præterea viros ac mulieres tales, immo etiam fautores vtriusque sexus. Eiusmodíque circũstantia peculiaris est huic Episcopatui. Vide alia Casu 13. ad calcem.

9. *Adulteri dantes fidem vel iurantes ducere adulteram in vxorem post mortem mariti, vel qui machinati sunt in mortem, & è contra in vtroque Casu, si effectus sit sequutus.*

Hic duo tractantur. Prius illud quod est de adulteris, adumbratur in Casu 10. & 12. Rhe-

mensi, & in parte 3. artic. 13. Belgici. Nam si reuera ducatur secunda vxor, quæ adhuc virum habeat; sanè erit concubinatus seu adulterium, nō autem matrimoniū nisi fictitium. Sed iste Casus illi vtrique æquatur: quia sicut ibidem requiri videtur actualis contractus, vel saltem copula nomine matrimonij: sic in proposito supponitur effectus & exitus rei, præter iuramentū de futura operatione. Subditur enim, *si effectus sit sequutus*. Verùm ipsemet Casus censetur præfatis leuior hac in re quòd superiores postulāt duntaxat effectum: iste verò insuper desiderat præcedens iuramentum ad hoc vt credatur culpa reseruata. Et vnà complectitur crimen adulterij, quamuis semel tantùm commissi absq; futuri coniugij intentione: quale inest articulis 11. Parisiensi & 25. Bituricensi. EBREDVN.

Posterius autem, est quoque machinatio in mortem alterius partis coniugum, quæ repetitur in Casu 19. Parisiensi & in 5. Belgico. In præfatis tamen articulis non videtur requiri machinationis effectus, qui est ipsa mors, sicuti hāc necem supponit presēs textus. Quippe eum effectum minimè explanat Pœnitentiarius Leodiensis interpres articuli Belgici: sed dūtaxat includit opus aliquod externum, hoc est conatū aliquē, vt pote si maritus vxorem rixantem mittat ad loca periculosa, quo à latronibus interimatur, fortassis licèt postea in via non occidatur, &c. Adeòque illi Casus duriores sunt isto.

EBREDVN. Cæterùm, hæc clausula textus (*& è contra in vtroque Casu*) censetur reciprocationem indicare rei: hoc est, significat articulum bifariam accipi: vno quidem sensu si maritus id duplex crimen commiserit, nimirũ in vxoris iniuriam per adulteriũ cum alia, aut ipsius necis machinationem; altero, si vice versa vxor talia in virum perpetrarit. Hîc autem passim apud plerôsque comprehenduntur auxilium præbentes & consulentes ex 10. Casu Lugd.

10 *Concipiens filium nõ ex viro proprio, quem maritus credẽs filium, hæredem instituit in præiudicium aliorum hæredum.* Similis est Casui 11. Tolosano: nisi quis id leue discrimen apponat nimirũ quòd illic præiudiciũ & reseruatio nascatur duntaxat ex eo quòd vxor pepererit ex alio viro pariter vxorato, cùm ibidem dicatur *per adulterium*, &c. Hîc verò culpa oriatur ex quocunque etiã non vxorato, nec clerico, sed libero homine. Verùm certè hæc differentia exigua est nec necessaria, ac proinde vtérque sensus vtrique Casui veriùs cõpetit. Est enim sẽper adulteriũ ex parte vxoris prægnãtis, licèt virum solutum adeat, vt ibidem exponitur. Quã difficile autẽ sit reseruari, vide sub finẽ tabellæ aquensis.

11. *Raptores mulierum vel virginum stupratores: modò ne per vim, quia ad Papam.*

Satiùs est hoc caput in duas sectiones diuidere. Primò agitur de raptu fœminarũ ac stupratoribus virginum: vbi locus non videtur concipere raptũ propriè sumptũ, qui quidem

denominat natura ſua vim illatā mulieri citra eius conſenſum, quemadmodum optimè exprimunt Caſus 2. Lugdunenſis & 12. Belgicus. Sed cēſetur magis indicare ſtuprum per ſe & nude vſurpatum, quod equidē eſt defloratio virginis etiam conſentiētis: ſicque differt à raptu, ex dictis art. 8. & 9. Pariſienſi, tum ex 11. Belgico. Atq; inſuper hoc totū diſertè probat ſequens textus iſtius articuli, vbi hæc ſubduntur: *modo ne per vim, qui ad Papam*. Illic enim R. Archipræſul Ebredun. abſoluere non vult eos qui cōmiſerūt raptū propriè conceptum, hoc eſt ex allata vi perpetratum, quinimò talem reū ad ſummū Pōtificem remittit, vnde ſatis indicat ſe alterū iſtud membrum à ſuperiore particula, quę ſit ſtuprū, velle ſecernere. EBREDVN.

Secūdò verò loco, hîc meritò examinandū eſt ipſiſſimū poſterius membrū, quo raptus à ſtupro diſtinctus & per vim cōmiſſus ad Papam remittitur. Non enim pręcisè vera eſt iſta theſis. Nā eiuſmodi raptores ita ligantur maiore excōmunicatione iuris, vt tamen nemini excōmunicatio reſeruetur. Quippe cēſuram ſine vlla reſeruatione cōmemorat ca. 6. *Si quis* de pœnit. diſt. 1. totus tit. 17. de Raptor. lib. 5. Decret. & Conc. Trid. ſeſſ. 24. de Refor. matr. cap. 6. Deinde eandem ſilet ſanct. Antoninus 2. part. tit. 5. cap. 7. ante §. & Sylueſter verb. *luxuria*. 6. vbi ſolas pœnas capitales ſeu ciuiles ſtatuunt quæ ſunt fori externi, at non iſtam quæ eſt fori interioris. Protereáque Nauarrus hunc articulum collocat

EBRE- inter cæteros nemini reſeruatos c.27.nu.149.
DVN. ad 53.& nos pariter inter Parochiales parte 2. gen.art.59. Non eſt autem inferioris Prælati ius conſtituere, quo cenſuram aliquam Superiori de nouo reſeruare poſſit, maximè Romano [a] Pontifici, adeóque miramur de tali fabrica, ſi exactè credatur. Etenim Prælatus nihil maius hac in parte poteſt efficere, quàm abſolutionem raptus alioqui communem Parocho ſibi ipſi in Diœceſi reſeruare: at nunquam ſuo Superiori.

a *Similis fallacia in s. Casu Rhemensi.*

Attamen ne Articulo derogemus, nos hanc Caſus particulam Papæ reſeruatam defendimus, eámq; cenſemus prudenter in præfato textu cõmemorâtam vno ſaltem ſenſu: nimirum ſi Confeſſarius ad hoc inſtitutus textum concipiat ad terrorẽ ſolùm: vt ſcilicet homines à tam nefando turpíq; crimine abſcedãt. Et certè in Tridentino tales pronunciantur *perpetuò infames omniúmque dignitatum incapaces, etiãſi Clerici ſint; de proprio gradu decidãt* (inquit) præterquam quòd ferũtur ipſo iure excõmunicati, eiſque diris execrationibus cõminatur ius diuinum: Exodi 21. vnde poſtea eſt orta capitalis pœna citata. Cùm igitur litera debeat tantũ comminatoria haberi: ſanè Caſus non aſcendet altiùs quàm ad Archiepiſcopum: ob ídque Epiſcopales Pœnitentiarij ritè abſoluunt, & rata erit abſolutio. Sed reum grauiter monere adſtringuntur, oportunam iniungendo pœnitentiam.

Supereſt verò dicendum, quòd etſi excommunicentur

municétur ipso facto illi quoq; homines qui consilium fauorémque impertiunt raptori, non tamen videntur huic R. Archiepiscopo reseruati: quia literam sequi decet, quæ tantum raptores exprimit. Sîcque talium fautorum censura tolli potest à Parochis. EBRIDVN.

12. *Incestuosi vsque ad quartum gradū inclusiuè.*

Assimilatur Casui 19. Lugdunensi. & 12. Senonensi, qui absolutè loquuntur. Non enim plures quàm quatuor gradus arcentur à legitimo matrimonio. Sed clariùs æquatur Articulo 14. Belgico. qui tot exprimit. Quanquam Casus 9. Parisiensis complectatur solùm duos primos gradus.

Cæterùm, quartus gradus carnalis affinitatis, si violetur, æquè bene incestum patitur, sicut gradus consanguinitatis. Estque sermo de concubitu matrimoniali lege inito, Cap. Non debet. De affinit & consang. * Nota verò quòd hic Casus non inuoluit incestum improprium, hoc est cum Moniali professa aut aliter patratum. Nam de his habet seorsum sequens Articulus. Quinimò vix continet eum gradum prohibitū qui fluit ex carnali illicita cognatione contracta per fornicationē seu extra coniugium cum dispensatione obtinendum: licèt forsan dici possit incestus: de qua re Concilium Trident. suprà [b] Cap. 4. Ratio est quia textus id non sonat, etsi vtrunque capiant alij Casus citati.

* *lib 4 Decreta.*

b *super artic.*

13. *Copulari cum coniunctis cognatione spirituali.*

EBRE-DVN. Rectè post carnalem cognationem sequitur ordine spiritualis cognatio, eiusque violatio. Ipsa autem adeo latè hîc describitur, vt complectatur omnem incestum commissum sub omni cognatione spirituali; quæ quidem contrahitur ex baptismo & confirmationis sacramento, non solùm inter ascendentes & descendentes reseruatos Articulo 12. Senonensi, verùm etiam fortassis inter collaterales illinc exceptos, at comprehensos artic. 13. Belgico parte 2. qui sic vniuersim loquitur, & huic æquatur: attamen cõcilium Trident. sustulit omnem hic controuersiam. Id genus plura leguntur Artic. 8. Tolosano, vt hoc loco repetitione opus non sit.

Hinc igitur remouetur primò impropria illa cognatio spiritualis quæ contrahitur inter pœnitentem & Sacerdotem eius Confessarium: carnalis quorum commixtio ex citatis pariter locis aufertur. Secundó & illi excipiuntur qui rem habent cum affine sola cognatione legali, exposita ac reseruata in præfato Belgico: quia ea non est spiritualis, qualem postulat textus.

14. *Contrahentes matrimonium contra interdictum Ecclesiæ vel mandatum Superioris, vel stante primo matrimonio, vel contra votum castitatis. Idem de contrahentibus clandestina matrimonia, si non fuerint publicata.*

Quatuor partes habet præsens Casus. Prima est de contrahentibus contra interdictum vel mandatum Superioris tanquam iudicis:

quæ quidem ſatis declaratur in Caſu 16. Senonenſi vnà cum quarta parte, nimirum cum clandeſtino matrimonio. EBREDVN.

Secunda eſt de contrahentibus durante primo connubio, ſeu priore vxore adhuc viuente: ſub quo comprehenditur mulier quæ ſciẽs maritũ ſuum viuere, fingit in bello eſſe mortuum ſine grauiſſimis probationum argumẽtis, & cum alio contrahit; quanuis hæc ſpecies expreſsè in textu non comprehendatur. Nam quòd odia ſunt reſtringenda, locum non habet in correlatiuis, in quibus eſt eadem ratio idémq; ius reciprocè, ex Nauarro* Et hoc cõcipitur niſi adſit impedimẽtum dirimens, vel legitima ſummi Pontificis diſpenſatio, quæ dari tantùm poteſt in matrimonio rato nondum conſummato.

* *cap.22. nu. 74.*

Hæc verò ſecunda Articuli pars non incurritur primò à viris qui contrahunt cum ſecũda vxore, viuente priore, ſi exiſtiment certiſſimis argumentis eam eſſe mortuam, ex Gloſſa Cap. *In præſentia.* de ſponſalibus [n] Deinde neque illi qui eius mortem optando, & leui rumore de ipſa morte diſſipato, quem putat eſſe verum, aliam ducit, quanuis mortaliter peccet. Qua in re debet maritus ſibi perſuadere eandem eſſe mortuam: alioqui peccat contra conſcientiam [o].

n *lib. 4. Decretal. tit. 1.*

Quòd ſi preterea credat ſecundum matrimonium non eſſe validum, eo quod arbitretur priorem vxorem adhuc viuere, non poteſt matrimonium valere cum ſecunda, quia

o *ex cap. Dominus. de secun. nuptiis tit. 21.*

EBRE- DVN. deeſt moraliter intentio contrahendi: atque ita non conſentit legitimè in matrimonium. Vnde copula tunc erit fornicaria. Et hoc verum eſt in conſcientia, etiamſi prior vxor poſtea ſciatur verè fuiſſe mortua nuptiarum tempore. Syluester verbo Matrimonium 8. quæſt. 3. ad 5. qui tamen contraxit quantum potuit, falſo credens priorem coniugem adhuc viuere, quæ erat mortua, is valide contraxit quia habuit intentionem contrahendi ſi poſſet & quantum poſſet. Tertia pars eſt de voto caſtitatis, quod veriùs intelligitur ſolēne dūtaxat, & ſolenniſatum ad eum ſenſum qui fusè aperitur Articulis 18. Senonenſi & 16. Rothomagenſi, quibus iſte æqualis eſt. Hinc ergo excipiūtur omnia ſimplicia vota, vt etiam illinc, quatenus ibidē per ſingulas ſpecies narratur.

Emanuel 60. imp. dir. matr.

15. *Commiſcens ſe carnaliter cum brutis, vel contra naturam actiuè & paßiuè.*

Nonnulli ſentiunt hic dictionem (*Paßiuè*) referri ad mulieres: vocem verò *actiuè*: ad viros vnde inferri poſſet hunc articulum patere latius quam alios de tali materia: nam abſolutè loquuntur, ſine adiectione actionis aut paſſionis. Propterea cenſentur veriùs accipi pro ſola actiua perſona, tū quia pœnæ reſtringuntur & reprimūtur quātū patitur textus, tū etiam quia vnūquodque vniuerſaliter cōſcriptū ſumitur pro potiori analogato. Verùm, ex parte eiuſmodi actionis, ſanè hic Caſus æquatur articulo 20. Lugdunenſi, 10. Pariſienſi & maximè 4. Narbonenſi, qui

cum isto complectitur tres primas species ipsius criminis : atque excellit articulis 9. Rothomagensi Senonensi. & 15. Belgico, qui cũcti duas maiores solùm proponunt. EBREDVN.

16. *Irregularitatis vinculo innodati, in Casibus in quibus absoluit Episcopus.*

Casus Episcopales huc pertinentes, sunt triplicis generis: primò irregulares ex facto occulto qui quidem sunt ita excommunicati ipso iure, vt in facto manifesto reseruentur Papæ, compléntque Articulos (sexaginta duos partis 1. gener.)

Secundò, irregulares prouenientes ex illo duplici actu notorio, qui à Syluestro exponitur, quatenus sufficienter habetur in Casu 30. Rothomagensi: Tertiò irregulares illi qui suboriuntur ex violatione 58. excommunicationum, quales in parte 2. gener. recitantur, quoties Clericus sacros ordines exercet ante susceptam censuræ absolutionem: habetur in toto Casu 4. Lugdunensi.

Integer autem iste Articulus quia non est de absolutione culpæ, sed de dispensatione impedimenti canonici, quale hîc propriè non pertractamus; ideo debuerat ad calcem reijci, ordine paulisper immutato, sicuti in citata Tabella Rothomagensi & duabus primis pręstitimus. Attamẽ contenti illo ordine doctrinæ in tribus primis Tabellis retento, nos hîc atque à Tabella Bituricẽsi maluim⁹ sequi ordinẽ & seriẽ acceptorũ exemplariorũ. Cæte- *De Tabellarum prouincialium ordinatione.*

EBRE- rum, ab hac irregularitate non eximit crassa
DVN. ignorantia, sed sola probabilis.

17. *Clerici promoti ab alienis Episcopis sine licentia, seu dimissoriis sui Episcopi, vel ante tempus, vel furtiuè ordines suscipientes.*

Trifariã secatur. Prima pars quæ est de promotione sine Episcopali venia, efficit Casum 5. Lugdunensem. Secunda, qua ordinationis tempus siue ætas præuenitur, est hîc peculiaris: & violatorem huiusce statuti Ecclesiastici reddit ipso iure suspensum, ac deinde irregularem à primo ordinis exercitio sine præuia suspensionis absolutione, Nau. Ca. 27. nu. 156. ad 3. Isticque dictio (*ante tempus*) non idem designat quod vox *ante tempora* seu *extra tempus*, qua vtuntur Summularij suo verò sensu. Etenim prius vocabulũ arguit solũ defectũ ætatis, etsi ordines suscipiantur tempore præscripto ab Ecclesia: & posterius corripit trangressionem præscripti ab Ecclesia temporis, licèt legitima ætas adfuerit. Tertia autem pars est de furtiua ordinis susceptione: vt pote dicendo scribẽdòue falsum apud Scribã Episcopalẽ, examinatorem, aut ipsum do. ordinãtem, &c.

18. *Presbyteri absoluẽtes in Casibus sibi non cõcessis.*

Circa hunc Casum duo dicenda sunt. Primum est quòd maior excommunicatio inducitur illis confessarijs qui aliquem absoluunt ab culpis & censuris contentis in Bulla Cœnę Domini, iisque necessariò Papæ reseruatis in facto notorio & manifesto. hęc tamen censu-

ra à ſacerdote ita abſoluẽte contracta nemini reſeruatur iure cõmuni: ideóque deſcribitur à nobis inter nõ reſeruatas part.2.gen.art. 32 Explicitè tamen reſeruatur in iſta Diœceſi, vt hîc patet: eadéque etiam reſeruatio implicitè continetur in 1. Articulo Ebredunenſi.

EBREDVN.
a recens, quia eſt Gregorij 13. an. 1583. Nau.nu. 74.

Secundò, ipſi confeſſarij committunt peccatũ reſeruatũ, at ſine incurſu cenſuræ, quoties quempiã ſine accepta facultate abſoluũt tum ab alijs Caſibus primæ partis Pontifici reſeruatis, tũ à duodecim primis ſecundæ partis ijſque apud quemlibet Epiſcopum retentis.

19. *Laruas ſumentes & gerentes cum habitu religioſo vel eccleſiaſtico.*

Concipiuntur primò & potiſſimùm illi qui hunc habitũ geſtant laruata facie, & in deriſũ ſtatus eccleſiaſtici, vel religioſæ alicui9 perſonæ. Deinde veriùs illi qui eccleſiaſticã perſonam gerunt in tragœdia aut theatrali ludo, ridiculo, in honeſto vel indecenti ac cum ſcandalo, pro hiſtoriæ repreſentatione. Nam cooperta facies, quæ propriè dicitur larua, ſapientem hominẽ, aut virginem Deo conſecratã ac perſonam eccleſiaſticam ementitur, qualis eſt ac eſſe debet religioſa perſona: atque ei9 vice induit imaginẽ furioſi, geſticulatoris vel ſtulti ſub larua eiuſmodi perſona, Gallis *Maſque*.

Igitur non incurritur iſte Caſus in primis, quando facies in honeſto ludo aperitur, & quoties ex habitu prudentẽ Clericum referre oportet. Secundò neque illi qui in feſto S.

EBRE- Ioannis, Sanctorum Innocentium, aut alio-
DVN. rum ex corrupto variorum locorum more, laruatas laicas personas referunt in diuinis officijs & Ecclesijs tempore etiã Sacrificij Missę, adstántque Diacono Euangelium præcinenti modo clericali habitu non vestiantur. Nam textus loquitur duntaxat de habitu religioso vel ecclesiastico: adeo vt sic pœnæ sint restringendæ. Peccant tamen grauissimè, & Ecclesiã scandalo afficiunt. Propterecáque id opportu-
h *lib.* 3. nè prohibetur Capite *Cùm decorem*. de vita &
Decret. honest. Cleric. [h] vbi insuper vetantur ludi
tit. 1. theatrales in Ecclesijs ad ludibria & spectacula: ne per huiusmodi turpitudinem & corruptelam Ecclesiæ inquinetur honestas: veluti
*Cap. 4. etiam confirmat S. Antoninus 3. par. tit. 8. *
§. 12. Verùm credimus tales laruatos posterioris generis seu exceptionis incidere in Casum 7. Parisiensem, vbi sermo est de profanatione atque profano abusu rerum sacrarum, & ma-
Casus Parisiensis. ximè propter robur præfatæ Sanctionis. est enim iste actus ingentis momenti, & vera profanatio sacrosancti Euangelij sacrorúmque mysteriorum, quæ tunc temporis celebrãtur Hanc tamen postremam expositionem, prudentum iudicio summittimus. Cæterum præsens Casus est quartus peculiaris isti Diœcesi Archiepiscopali.

20. *Homicidæ qualescumque.*

Vocabulum qualescumque, efficit vt hîc intelligantur non solùm voluntaria homicidia, de quibus multa in 2. Casu communi, verùm etiam casualis prȩsertim vtcunque culpabilia, nec inopinata prorsus, quatenus exponuntur in Scholio Articuli 5. Rhemensis. EBREDVN.

21. *Opprimentes filios ex proposito, casu vel negligentia.*

Colligitur negligentia ex 19. artic. Parisiensi & 7. Rhemensi, & casualis insuper euentus ex 10. Belgico æquali huic: euentus autem ex proposito, qui hîc multò magis continetur ac reseruatur, videtur solus concipi in Artic. 13. Lugdunensi & 31. Auxitano: quia illic absolutè habetur vox oppressionis sine conditione negligentiæ, aut alia quauis. Sic pœnæ leguntur restringendæ ad literam. Meritò autem iste Articulus sequitur præcedentem de homicidio. Nam oppressio est verè homicidium ex 14. Lugdunensi.

22. *Procurantes aborsum vel sterilitatem in se vel altera persona, si effectus sit sequutus.*

Hîc textus absolutè loquitur, sicut & nonus Belgicus: quasi velit reseruari præuisum duntaxat abortiuum. Verùm conditio negligentiæ exhibetur in Artic. 22. Senonensi, & casualis præterea euentus in 7. Rhemensi. Quando autem cunctis hisce locis deprehenditur homicidium, habetur in præfato Lugdunensi.

23. *Parentum percussores.*

EBRE-DVN. Æquatur Casui 3. Rothomagensi, exposito in 17. Parisiensi. Propterea hinc excluduntur solæ graues iniuriæ, comprehensæ ac reseruatæ in Artic. 17. Senonensi. Vide Articulum 5. Rhemensem.

24. *Incendiarij voluntarij. Idem de dantibus eis auxilium, consilium vel fauorem.*

Dilatatur in primo Casu communissimo, initio huius tertiæ partis generalis, & iterum in 8. Senonensi, quibus iste est planè similis.

25. *Componentes falsa instrumenta vel Scripturas, aut illas corrumpentes. Idem de deponentibus falsum testimonium in iudicio, nisi facta restitutione damni vel iniuriæ.*

Continet instrumenta tum profana & laïca, tum ecclesiastica quoque seu Episcopalia, cum cæteris commemoratis in 3. Casu communi, cui iste prorsus assimilatur. Si tamẽ pœnitẽs ante sacramẽtalẽ cõfessionẽ restituerit, cessat hîc reseruatio ex vi textus: & Parochus præteritã cõmissionis culpã potest absoluere.

26. *Blasphemantes Deũ & Beatam virginem & sanctos, publici & consuetudinarij.*

Hic articulus fusè exponitur in Casu 13. Senonensi, cui æquatur. Cum videatur comprehendere blasphemias etiam occultas coram nullo, aut vno vel duobus ad summũ testibus prolatas, præter eas quæ sunt publicæ. Duntaxat dici posset illum Casum Senonensem & 5. Auxitanum aut similes, antea abso-

lutè conſcribi, adeo vt cõplectantur blaſphemos qui ſemel tãtum dixerint blaſphemiam: hunc autem apponi cum hypotheſi, id eſt ſi talem habitudinem ſeu conſuetudinem hanc peruerſam contraxerint. Sícque prima aut ſecunda blaſphemia nondum hîc videtur reſeruata, attamen eſt peccatum grauiſſimùm. EBREDVN.

Verùm reſeruatur tertia & multò magis quinta ac reliquæ ſubſequentes: intellige ſi fuerit blaſphemia propriè ſumpta, & expoſita locis citatis. Nam paſſim cenſetur quis aſſuetudinem intra tres continuas vices ſatis oſtédiſſe, pręſertim in ea re execrabili. Quamuis putamus hoc eſſe potius moraliter accipiendum. Iſte, inquam, Articulus æquatur, Auxitano: quia etſi Auxitanus poſtulet blaſphemiam deliberatam ex actu elicito voluntatis; tamen præfati conſueti blaſphemi, ex ea aſſuetudine putãtur deliberatè agere. Sícque in hac parte ille Articulus cum iſto quadrat.

27. *Sortilegi, incantatores, & magicam artem exercentes: diuinatoreſque & ſupradictos pro furtis, infirmitatibus, vel aliter conſulentes.*

Æquatur Caſui 11. Senonenſi, vbi exponitur poſterior pars, quæ eſt de conſulentibus atque tranſgreditur fines quinti articuli cõmunis, qui eſt de ipſis tãtùm ſortilegis ſeu incantatoribus. Attamen incãtatio & maleficiũ

EBRE- constituunt distinctos duos articulos 7. & 8.
DVN. Belgicum.

28. *Restitutiones malè ablatorum incertorum si summa excedat quinque libras.*

Explanatur in vltimo Casu Senonensi, cum Syluestro. Et insuper reseruationis summa illic minor statuitur. De his in exrrema Tabella Aquensi.

29. *Comedentes carnes in diebus veneris & sabbathi, & in Quadragesima, & alijs diebus prohibitis. Idem de manducantibus oua & lacticinia in Quadragesima & diebus prohibitis absque licentia, vel in contemptum.*

Latior est Casu 17. Bituricensi, & adæquat quartum Tolosanum postremúmque Rhemensem qui duo Casus implicitè ista singula complectuntur.

30. *Vsurarij manifesti.*

Persimilis est Casui 25. Lugdunensi. Vsuræ verò restituendæ modus patet in Casu 25. Senonensi. Alia in 12. Tolosano.

31. *Irretiti labe simoniæ in quacunque materia.*

Vltimus hic Articulus Confirmat & omnino reseruat varias simoniæ species exclusas à reseruatione Papali quæ est de sola reali. Hoc igitur loco reseruatur denuo simonia cōuentionalis, fiduciaria, & quæuis alia circa materiam pensionum ecclesiasticarum aut aliter deprehensa. Textus enim exprimit in quacunque materia: vt scilicet nullus hæreat & anceps sit in hisce speciebus, quibus nos Arti-

culum 1. Lugdunensem & istum cum Viennensi aut similibus Diœcesanis constituimus, quia scilicet absolutus ille textus & 4. Senonensis inuoluunt hanc ipsam materiam, quoties inter Casus Episcopales subauditur vox simoniæ etiam nudè & præcisè sumpta. EBREDVN.

Habes triginta & vnum Casus Ebredunenses: quibus adijciendi sunt Articuli communes singulis Episcopis, initio par. 2. gener. nimirum primus, de mediocri Clerici percussione, 5. de hæretico occulto, 6. de Assassino, octauus 11, & duodecimus: hi sex, qui tamen comprehendi possunt sub 1. Articulo huius Tabellæ decimæquartæ. Relictis Articulis 7. 8. & 10. ibidem*, ex eo quòd comprehenduntur sub quinto istius Diœcesis. *illius 2. Tab. ge.

Sex ergo superioribus allatis subiuncti, efficiunt præcisè triginta septem Casus pro Archiepiscopatu Ebredunensi. 37. Casus.

In horum verò omnium fidem, me præsente, Reuerendissimus in Christo Pater & Dominus Guillelmus de Anansono Archiepiscopus & Princeps Ebredunensis à secretis Regis Christianissimi Galliarum Consiliarius subscripsit Parisiis, die IIX. martij Anno D. CIↃ. IↃ. XCIX. * assidente D. Vicario Generali viro apprimè versato in harum rerum cognitione, qui quidem præfatos XXXI. articulos in veterem suum ordinem redegit, cõscriptosq; obtulit vigilantissimo D. Archi- *obijt Gratianopoli anno sequente 1600.

RHEM. præſuli comprobandos. Digniſſimus autem ipſe Archiepiſcopus auita nobilitate conſpicuus & venerandæ canitiei Antiſtes, eſt hodie illorum poſtremus in terris Eccleſiæ Latinæ (vno Prælato in Germania depto qui ſancto & œcumenico Concilio interfuit, iam tunc Pōtifex Ebredunēſis creatus [g] à Pio 4. P. Max. & vltimo Concilij Præſide proptereáq; eius inter Concilij Patres Archiepiſcopos exprimitur in generali indice.

g ad an. 1560.

Interea, præfuit ſuæ Prouinciali Synodo Ebreduni coactæ, [h] ad alios fines, anno CIƆ.IƆ.XXCII. Illícque aderant Suffraganei Epiſcopi Dignenſis, Graſſenſis, Viennenſis ſeu Paucienſis, Glaudatēſis, Senetenſis in Francia, & Nicienſis in Pedemontana regione: qui omnes niſi peculiares alios Caſus habeant his ſi volent commodè vti poſſunt maximè quia tempore quadrageſimæ quibuſdam eruditis Sacerdotibus relaxare & poteſtatem facere licet abſoluendi ab ipſis triginta articulis aut à leuioribus ſaltem, ex more quem prudenter obſeruat præfatus eorum Reuerend. Archipræſul. Quam ſanè gratam ſæpe conſuetudinem innouat alibi prouinciale Cōcilium Bituricenſe, addito etiam tempore Aduentus Domini, tit. 21. de Pœnitentia Can. 6. ſuprà. §. Verum & ſimilis quoque vſus retinetur prorſus Narbonæ. Ratio autem quare Ebredunenſis Tabella hunc obtinuit ordinē ſub Togata Gallia, diximus ſuprà in fine Tabellæ Viennenſis.

h vulgò Embrū. in Delphinatu.

RHEM.

TABELLA CASVVM ARCHIEPISCOPATVS RHEmensis, & Suffraganeorum, Ex Statutis Concilij Prouincialis Rhemis congregati Anno 1583.

Tob. 15. Gallicana.

BELGIVM MERIDIONALE SEV FRANCIÆ.

1. *SI quis in Deum vel in sanctos enormiter & publicè blasphemus extiterit, sacrilegiumuè commiserit.*

Prior articuli pars, quæ de blasphemis est, exponitur amplissimè Articulo 13. Senonensi: sed æquatur Casui 19. Belgij inferioris seu septentrionalis.

Posterior autem pars, quæ est de multiplici sensu sacrilegij, habetur in 4. Casu communi huius 3. partis generalis, & in 10. Arelatensi.

2. *Si quis sacrosanctam Eucharistiam aut venerandas Sanctorum reliquias pedibus conculcauerit, vel aliqua insigni contumelia affecerit.*

Contumelia est iniuriæ verbalis species ex D. Thoma: Fit autē cū verbis aut signis ęquipollentibus læditur honor aut reuerentia alteri debita, obijciendo illi aliquod vitium. Et est peccatum lethale sine cēsuris, quod lædit charitatē atq; iustitiā, idq; maius furto atq; rapina: quia pluris fit honor lęsus per cōtumeliā quàm æstimētur bona fortunę. Infertur verò eiusmodi iniuria reseruata à duobus hominū

Th. 2. 2. qu. 72.

Contumelia quid.

RHEM. generibus: primò quidem ab hæreticis qui tale ſacramentum venerabile appellant Ioannem album & eſt verbalis: qui præterea in ignem conijciunt vel exponunt canibus & porcis & pedibus conculcant, de qua conculcatione ſpeciatim tractat ipſemet textus: & ſecundo infertur etiam à Catholicis, quoties ſacris templis minime parcentes, ex eis thecas quibus aſſeruatur ſacra Euchariſtia aſportant, in terram fodiunt aut alijs indigniſſimis modis tractant, quíuè aureas aut argenteas ipſas thecas furantur, & rapiunt, etiam in bello iuſto, ſeu hoſtili prouincia.

Quæ omnia exempla in ſignis ſeu factis conſiſtunt, non in verbis. Hunc autem Caſum minimè incurrunt illi primò qui Euchariſtiam ſumunt in peccato lethali, quanuis denuo peccent mortiferè, & ſacramentum afficiant contumelia. Non enim huiuſmodi contumelia tam apparet inſignis, cum occultus & ignotus nobis ſit ſtatus ſumentis. Deinde eſto peccatum ſit pubicum: tamen neſcitur adhuc an talis in corde ſit pœnités: necne, quia in inſtanti poteſt infundi pœnitentia cõtrito, etiam extra ſacramentalem confeſſioné, quinimo differri quandoque poteſt realis cõfeſſio, ob certas cauſas. Hunc etiã Caſum non incurrit qui ſacramentũ ſordidis pannis inuoluit, etſi id grauiſſimè prohibeatur ab Eccleſia. Iſta enim ſunt materiales contumelię, & pręter intentionem, quæ intentio eſt ratio formalis ipſius contumeliæ efficiendæ.

Quòd

Quòd si quæ contumeliæ per crassam negligentiam isto modo inferantur: nihilominus non videntur insignes, & odia sunt semper restringenda. Tertiò, neque reseruatur imperfectio actus, quando abest plena deliberatio, qualis in est cholericis qui subitò mouentur: actus tamen erit sæpe peccatum veniale, si modò iniuria non sit grauis. Quar. neque illi qui id ioco præstant, si rursus grauis non sit iniuria: nam alioqui non excusat iocatio in re insigni. RHEM.

Quintò, neque hîc reseruantur negligentię seu indecentiæ commissæ circa sacramentum Eucharistiæ: etsi reseruentur Articulo 23. Lugdunensi. Non enim sunt veræ contumeliæ, nec minor pœna reseruatur sub nomine: maioris seu superioris pœnæ in textu conscriptæ, propter rationes deductas Articulo 31. Viennensi.

Sed implicitè hoc Articulo reseruantur abusus circa, idem sacramentum admissi per sortilegia & incantationes, sicuti & in 24. Lugdunensi: nimirum quia tale carmen est summa contumelia sacramento illata. Verùm certè, ipse enormis abusus iam aliunde reseruatur in hac prouincia, ex quinto Casu communi initio tertiæ partis, tum etiam ex textu sequentis tertij Articuli Rhemensis, qui tale sortilegium explicitè describit.

RHEM. 3. *Si quis ad magicas artes, veneficia, superstitiones, & cætera id genus, eadem Eucharistia, & alijs rebus sacris abusus fuerit.*

Latiùs extenditur in 5. Casu communi: cuius sensum complecti debent Confessarij istius Prouinciæ; & pluribus exponitur in 24. Lugdunensi, 7. Parisiensi: Déque eo loquitur etiam Casus secundus præcedens.

4. *Si quis diuinos, magos, sortilegos adierit, vel huiusmodi impias artes sectatus fuerit.*

Quia comprehendit hic Casus eos quoque homines qui in suis negotijs recurrũt ad sortilegiorum professores, vniuersalior est Casu 5. communi & proinde istic distinctum Articulum efficit, eodem sensu & modo quo Articulus 11. Senonensis.

5. *Si quis patrem vel matrem percusserit ex casu: nam si ex certa malitia id fecerit, Casus est Papalis.*

Hîc profertur duplex percussionis genus, de priori: nondum alicubi legere potuimus quòd hæc voluntaria percussio facta ex malitia, Papæ reseruetur in foro conscientiæ & ipso iure. Nec eius reseruationis meminerũt S. Antoninus 3. par. tit. 10. cap. 3. * & par. 4. tit. 5. cap. 9. * Syluester verb. Percussio. nec Nauar. cap. 14. Enchir. nu. 12. & 13. vbi eam percussionem describunt. Et verè filius percussor esset excommunicatus ipso facto: eo quòd nullum peccatũ Papæ reseruatur, quin

*§. 3.
* § 1.

maiorẽ excõmunicationẽ habeat annexam. RHEM.
Hic verò intelliguntur Patres naturales, non autem ſpirituales & Eccleſiaſtici, vtpote de quibus habet diſtinctè alius Articulus Rhemenſis in Volumine Prouinciæ ad calcẽ huius Tabellæ citato: [a] & nos ſeorſum parte 1. artic. 10. & 11. déque patrinis artic. 12. Senonenſi.

[a] eſt art. 6. inter paucos Papales cõmemoratus in Sacerdotali ſeu Agendâ Rhemenſi.

Propterea videretur permitti abſolutio voluntariæ percuſſionis præfatis Reuerendiſſimis Epiſcopis eorumue Vicarijs: cùm inferior non poſſit Caſus aliquos reſeruare Superiori, itaque nullum talem articulum ſtatuimus in tota cit. 1. parte, quæ eſt excõmunicationum Papalis abſolutionis. Ibi ſolum articulo 14. reſeruantur Papæ Domini temporales, qui in terris Pontificiæ ditionis verberant patrem, filium, ſeruum &c. At de alijs prouincijs orbis Chriſtiani nulla fit mentio. Nihilominus ex Syluestro loco cit. grauis percuſſio eſt peccatum lethale, quando fit ab eo qui nulla eſt authoritate prędirus, qualis hoc loco eſt filius in patrem. Verùm ab huiuſmodi lethali excuſat leuis percuſſio, ibidem ex diſtinct. 45. cap. 1. & cap. *Epiſcopum*. Ita vt hæc leuis percuſſio non videatur ſatis tutò conſtituere peccatum mortale, vt neque multò magis pura caſualis & fortuita.

Posterior Articuli pars & percussionis modus.

Quæ sanè casualis est alterum percussionis genus istius Articuli, ídque nunc explicandum. Hæc enim mera casualis percussio non videtur reseruatione digna, vt neque leuis voluntaria: quia solùm lethalia debent reseruari. Et tamen hanc percussionem vno verbo habet præfatus 5. Articulus Rhemensis, qui forsan specialiùs loquitur quàm par sit. Satiùs fuisset meo iudicio absolutè & in genere loqui de percussione parentum seu patris quod sapienter factum in Casu 18. Parisiensi: vel saltem plures conditiones non addere quàm grauitatem voluntariæ percussionis aut ætatis percutientium, sicut habetur in Casu 17. Senonensi & 3. Rothomagensi. Tandem verò, nec intendo nec audeo, talem Synodum octo Patrum prouincialis Ecclesiæ arguere, quam nimirum credo eruditis Prælatis ac vocatis Doctoribus Theologis non caruisse.

Attamen viderint, quæso, alij, & maximè prouinciales de istius Articuli veritate. Siquidem materiam cautè decet perpendere, & pœnæ sunt restringendæ, præsertim vbi non adest regula canonica & communis Doctorum assensus: non secus ac de alia quædam simili dubitatione Articulo 11. Ebredunensi, diximus vbi minùs verè statuitur raptus mulierum inter Casus Papales. Sic tandem in præsenti Casu non censetur adeò facilè iugum imponendum.

Quod enim vulgo fertur percussorem patrum debere Romam adire, fidem non facit. Vel si putetur habere locum, intelligitur solùm ad metum & horrorem incutiendum minacibus verbis, vt filij ab hoc opere execrando faciliùs auertantur, sitque ei locus solum in foro externo: sicut antea diximus: [b] de blasphemia, matrimonio clandestino, & restitutionibus: quorum peccatorum reseruatio est quidem communis omnibus Episcopis in his quæ spectant ad ius forense, sed particularis est in pertinentibus ad forum conscientiæ, de quo solo foro tractant nostræ Tabulæ.

RHEM.

b *in priore Appēdice 3. Tabula com. & Art. 25. Senonēsi.*

Et verè leges ciuiles, quæ sunt de foro tantùm externo, vocant in ius talem filium, grauitérque puniunt §. Pœnæ autem. De Iudicijs. Imò quondam filijs rebellibus & impijs in parentes, qui ampliùs non erant sub potestate patris, debebatur pœna parricidij, nempe mors crudelissima, l. Capitulum §. omnia de pœnis ff. idque iuxta ius diuinum Exod. 21. atque Leuit. 20. & habet Cyrillus Alexandr. in D. Ioan. lib. 12. cap. 34. hodie tamen pœna iniuriæ æstimatur ab actore, & permittitur arbitrio iudicis statuenda.

Itaque hoc primùm modo admitti & excusari potest præsens Articulus Rhemensis. Cui sententiæ addimus & secundam: quòd scilicet quando diximus actum casualem & fortuitum non videri peccatum, obno-

RHEM. xium reſeruationi in foro conſcientiæ, veluti inſinuat Gloſſa in præfatis locis (vbi ſuperadditur percuſſio facta ex ioco:) non tamen reprehendimus reſeruationem caſualis iſtius percuſſionis. Fortaſſe enim hîc caſualis percuſſio appellatur quãdo liberè & ſponte percuſſimus, ſed tamẽ neſciebamus eſſe patrem.

At verò, omnis percuſſio ex odio vel ira eſt peccatum, imò ſæpius mortale ſecundum intentionis qualitatem ad lædendum proximum. Et quia læſio reperitur facta in patrem, accreſcit quodammodo culpa ob perſonæ leſæ circunſtantiam : quia vel in percutiente præceſſit mora & culpa, vt annotat Syluester verb. Caſus fortuitus, vel ipſe percutiens præuidere debuit qualis eſſet illa perſona. Et ſic reus tenetur de caſu fortuito tanquam de peccato plerunque notabili, vt non videatur eſſe inopinatæ rei euentus, ſed mixtus: Ita vt potuerit optime reſeruari.

Secundò, vt clariùs dicam, non ſolum percuſſio ſeu deformatio caſualis quæ procedit ex opere illicito, ſed etiam quæ ex licito illicitè facto naſcitur, inducit peccatum, ſimúlq; irregularitatem; quia eo ipſo opus fit illicitum, & ab hoc vtroque malo excuſat tantùm deformatio caſualis manãs ex opere licito licitè patrato. Intelligitúrq; hoc op⁹ caſuale quod ſit propinqua & non remota cauſa effectus ſeu percuſſionis. Nauar. cap. 27. nu. 221. Si igitur hæc reſeruatio de tali opere caſuali concipiatur (vt debet) erit ſatis prudens & vera

alioqui est poti⁹ cõminatoria ex dictis; vt scilicet cautiùs atq; prudẽtiùs se gerãt filij. Nota regulas alias in 4. casu Belgico septentrionali.

6. *Si quis homicidium voluntariũ perpetrarit. Irregularitas autem quæ inde contrahitur, Papalis est.*

De homicidio plura in 2. Casu communi, cum quo iste Articulus idem est. Tũ irregularitas exponitur parte 2. gen. Artic. 4. & 5.

7. *Si quis abortiuum procurarit, vel prolem oppresserit, etiam ex casu.*

Quæ sunt partes in articuli huius litera: nimirũ abortiui procuratio quæ nõ nisi ex malitia fit, & deinde prolis oppressio tũ procurata tum etiã fortuitò facta. Fortuitus autem ille euentus intelligi debet eo sensu qui exprimitur in generali regula artic. 5. huiusce Sedis, circa similem effectũ casualẽ: hęcque circunstantia est minoris momenti, minúsq; secum habet annexum peccatum, quàm negligẽtia circa eundem aborsum commissa, cuius meminerunt artic. 21. 22. & 23. Senonenses, & quàm habeant dantes consilium in ipso aborsu, de quo artic. 14. Lugdunensis. Quippe cõsulentes pari pœna legali cum agentibus puniuntur, & negligentia semper supponit præuiam culpam desidiæ ac imprudẽtiæ seu crassę ignorantiæ quę perpetuò est culpabilis. At casus fortuitus nullam sępe requirit, ex dictis loco cit. Huius verò articuli litera distribuitur ac distinguitur in duos articulos casu 13. & 14. Lugdunensi. Simile in 21. Ebredunensi.

RHEM. 8. *Si quis virgini vim intulerit, aut seductam corruperit.*

Simile in 2. Casu Lugdunensi, 5. & 6. Senonensi, vbi locus annexæ censuræ citatur.

9. *Si quis incestum, vel nefandum scelus contra naturam commiserit.*

Prior pars, dè incestu, ex actè traditur Casu 19. Lugdunensi, cui ista pars æquatur, & artic. 12. Senonési: posterior verò pars in 20. Lugdunensi 15. Senonensi, 1. & 19. Rothomagensi, quos Casus iste fere adæquat.

10. *Si quis vxorę viuente aliam duxerit.*

Id fusè expositum est in secunda parte scholij articuli 14. Ebredunensis. Et alia in 13. Belgico, parte 3.

11. *Si quis matrimonium post simplex votum castitatis, vel cum alia muliere post sponsalia iureiurando firmata contraxerit.*

Prior pars, de connubio post votum simplex, exponitur artic. 18. Senonensi & 16. Rothomagensi: nimirum hîc reseruātur tum duæ primæ species voti simplicis sublatæ à Senonensi, tum etiam altera latissima species remota à Rothomagensi: sed non duę postremæ species illinc etiam sublatæ: Neque enim hîc reseruatur matrimonium cōtractum post votum non nubendi, quia id votum non est castitatis requisitum in præsenti textu: nec fornicatio simplex vouentis ipsammet castitaté, saltē nō actio illa fornicaria quæ cōmittitur extra prætésum & apparēs aliquod matri-

monium exterius celebratum. Altera autem pars, quæ est de celebrato coniugio cum alia muliere, post sponsalia iureiurando firmata cum altera, fusè declaratur toto art. 22. Viennensi. RHEM.

12. *Si quis cum vxore, vel reiecta vxore, publicè concubinam fouet.*

Hîc concubinatus est solùm laicorum, veluti ex textu colligitur: & de solo clericali statuitur articulus 3. Lugdunensis. At de vtroque Casus 24. Bituricensis. Ab hac verò reseruationis litera, videtur excipi concubinatus hominis vidui, & legitima vxore orbati, quantunuis lethale peccatum, & quidem graue committat.

13. *Si quis carnibus & aliis cibis vetitis sine licentia & absque necessitate diebus prohibitis vescitur: quia hoc sine magno Ecclesiæ contemptu & aperta cum hæreticis communicatione fieri non potest.*

Casus est similis articulo 17. Bituricensi. Sed iste latior est, ex 4. Tolosano.

Tandem sic concludit ipsa Synodus prouincialis Rhemensis.

Irregularitates item omnes & suspensiones ex occulto delicto prouenientes, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & ea quæ deducta est ad forum contentiosum, Episcopis relictæ sunt per Concilium Tridentinum &c.

Qua in re obiter notandum, quod Synodus Gallicana Rhemensis vult hîc obseruari Concilium Tridentinum in sua Galliarum

RHEM. parte circa ea præsertim quæ sunt fori conscientiæ, etsi illud circa externum nondum admittatur in Gallijs. Plura verò subijcit eadem Synodus quæ præterimus, quia illa omnia sicut & loca Concilij iam citauimus parte 2. gen. articulis 4. & 5. vbi sermo etiam est de excommunicatis occultis, alioqui Papæ reseruatis in crimine notorio. Commemoramus tamen sequentia, quæ Synodus Rhemẽsis præclarè declarat: etsi nos maiorem partem antea passim descripserimus[e].

Insuper hoc quoque diligenter aduertendum est (ait) *à Casibus summo Pontifici reseruatis excipi impuberes, scilicet masculos ante decimum quartum annum, quoniam in ijs minus viget ratio* (*etsi ætatem non notet Nauarrus*[f]) *monachos ac regulares, quia non sunt sui iuris: Fœminas partim ob infirmitatem sexus, partim quia sunt sub virorum potestate: sed præcipuè ne Zelus maritorum in eas implacabiliter proexardescat: Iuniores autem, viduas ac puellas propter periculum incontinentiæ: senes ac valetudinarios, quia laborem itineris ferre non possunt: Pauperes, maximè si fuerint coniugati, ne diuturna illorum absentia vxorem ac liberos obijciat mendicitati vel flagitio* (sic prudenter & apposite explicantur quæ à Nauarro breuius dicta sunt).

Denique omnes quibus salua vita, libertate & rebus suis Romam adire non licet, saltem quandiu durat huiusmodi impedimentum, non sunt ad Papam sed ad Episcopum vel ipsius Vicarium aut Pœnitentiarium mittendi, à quo absolui possunt.

e *par.* 2. *art.* 1 & *ad calcẽ Tabulæ Rothomagen.*

f *cap.* 27. *nu.* 88.

Sed omnibus in vniuersum, qui in Casus RHEM. Papales incidunt, succurri aliquando potest: videlicet per speciale priuilegium Sacerdoti vel pœnitenti concessum, vel per generalem quandam indulgentiam plenariæ remissionis, qua fidelibus eligere permittitur quem voluerint Confessarium, qui illos ab omnibus Casibus & censuris possit absoluere (addit textus præcedens [g]): *vel per indulgentias plenarias quæ hodie frequenter conceduntur, & certis diebus in Ecclesiis prostant* (& paulo post): *vel quotidie per Episcopos & Pœnitentiarios Ecclesiarum Cathedralium, si facultatem habeant absoluendi à Casibus Sedi Apostolicæ reseruatis. Eiusmodi autem facultatem notam esse quàm plurimis expedire putamus, potissimũ verò Parœcis & aliis Sacerdotibus qui confessionibus audiendis deputantur vt norint ad quos pœnitentes suos remittere debeant & cætera.*

g textus eiusdem materiæ contrahitur ob breuitatem.

Reliqua quæ illic subiungũtur de votorum dispensatione, iam tradidimus in fine primæ partis. In summa præfati 13. Casus Rhemẽses solennissimè constituti sunt in Prouinciali Synodo celebrata anno 1583. Præside Ludouico S. R. E. Præsbytero Cardinale à Guysia nuncupato, Archiepiscopo Duce Rhemensi, primo Pari Franciæ, Sanctæque Sedis Apostolicæ Legato nato, & præsentibus cunctis septem R. R. Suffraganeis qui Actis Concilij manu propria subscripserunt

RHEM. vel subitò emanarunt ipsi Casus ex eodem Concilio, atque patent in libro tunc Rhemis excuso,[h] qui inscribitur *Sacerdotale vulgò Manuale, seu Agenda, id est liber in quo continentur ea quæ Sacerdotes agere & præstare oportet in administratione Sacramentorum &c.*

h an. 1526.

Ipsamet autem Acta 27. Capitibus digerit alius liber eiusdem materiæ latino-gallicus ibidem editus[i]. Et vtrobique Casus ac Pœnitentiarum munia describuntur Tractatu seu Capite de sacramento pœnitentiæ fol. 33. Quinimò accessere Pontificia Diplomata Gregorij 13. quæ authenticum magis reddunt istud Concilium & Casuum reseruationem.

i *Institutuur le premier Concile Prouincial tenu à Rheims l'an 1583. &c.*

Primum quidem Diploma, habetur pro tuta futuræ Synodi permissione, data Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die 1. Martij anno 1583. & Pontificatus vndecimo: tum posterius Diploma approbationis & cõclusionis Synodi legitur datum anno sequẽti die 30. Iulij. Interea his 31. Casibus addendi veniunt quatuor ex communissimis vbique terrarum qui supersunt, nimirum incendiarij, falsarij, violatores ecclesiasticæ immunitatis quæ multiplex est, & sortilegi quo sensu exponuntur initio huius III. partis generalis[k]. Sicque in præfatis octo Diœcesibus numerantur septemdecim Casus præter duodenarium excommunicationum partis 2. gen.

k art. 5.

quorum omnium vſum retinere debent Cõfeſſarij totius Rhemenſis prouinciæ. RHEM.

Miſſum facio quod inter Suffraganeos nõnulli [1] addunt Diœceſes *Cameracenſem, Tornacenſem, Morinenſem* & *Atrebatenſem.* Ad maiorem verò huiuſce veritatis confirmationem toti poſteritati faciendam, quamuis ſufficientem eam fidem oſtentent præfati libri, nouiſſimè ad nos miſſa ſunt acta publica eorũdem tredecim articulorum iam ordinatorũ, quibus ſubſcripſit in primis D. Canonicus Pœnitentiarius inſignis Eccleſiæ Metropolis, Doctor Theologus, iuſſu & ex ordinatione (ait) Reuerendiſſimi in Chriſto Patris D.D. Philippi du Bec miſeratione diuinâ nunc Archiepiſcopi, primi Paris Franciæ, die 25. menſis Februarij anno ſalutis 1599. vbi denuo teſtatur eoſdem Caſus eſſe prouinciales. Simile exemplar ex profeſſo miſit publicus Notarius authoritate Apoſtolica in Curia Archiepiſcopali Rhemenſi, & in eodem Archiepiſcopatu Secretarius, de mandato & ordinatione D. Archidiaconi eiuſdem Eccleſiæ, doctoris Theologi, atque Vicarij generalis præfati Reuerendiſſ. Archipræſulis in ſpiritualibus & temporalibus, die Martij tertia Anno quo ſuprà.

1 *Practica Cancellariæ Apoſtolicæ Lugd. an. 1549.*

Hunc autem extremum Galliarum ordinem obtinuit præſens Archiepiſcopatus, alioqui ex illuſtrioribus totius Galliæ, qui ni- *Ordinatio Galliarum.*

RHEM. mirum consistit in Gallia Belgica, eáque superiori seu meridionali: quæ quidé ad Franciam pertinet, estque postrema eius pars, & ambit Campaniam Picardiam Prouincias (præter Lotharigiam). Reliqua autem eiusdem Galliæ Belgicæ pars huic contigua, est Flandria, quam hîc meritò septentrionalem & inferiorem appellamus, ad maiorem distinctionem. Ea verò, quia hodie non est sceptri Francorum, ideo misceri nō debuit inter alias Galliarum partes, quæ totæ sunt Franciæ, adeóque secum Rhemensem Prouinciam ad hanc libri periodum traxit.

BELG. SEPT. Γ b. 16. Galic.

CASVS RESERVATI Episcopis Cameracensi, Tornacensi, Vltraiectensi, Atrebatensi Antuerpiensi, Namurcensi, aut alijs Belgij Septentrionalis seu Flandriæ, præterquàm Leodiensi, eiusue Vicario in Spiritualibus.

Ioannes Chappeauille Theolog. & Pœnitentiarius Leodiensis, in Tractatu de Casibus reseruatis, edito An. 1596.

BELGIVM SEPTENTRIONALE.

1. H*Æresis in corde latens, quæ quouis signo vel solo etiam nutu manifestatur exterius tum aliis tum sibi soli hæretico.*

Sic textum de hæresi collegimus ex scriptis præfati Authoris Leodiensis, sicuti præstamus in sequentibus quoque huius prouinciæ Artic. Hæc ipsa hæreseos mẽtio primo huiusce prouinciæ Casu, depingit occultam: & ritè quidem, quia notoria Papæ reseruatur, & occulti hæretici paucissimis noti reseruãtur cũctis Episcopis in cõmuni ex par. 2. gen. art. 5.

BELG. Author verò Leodienſis reſeruatas concipit
SEPT. plures conditiones in præfatis Prouincijs: nimirum in primis reſeruat eorum peccatum qui credunt hæreticis, quod eſt adhærere hæreſi implicitè, quando exiſtimant vera eſſe quæ ipſi hæretici credunt. Quodquidem fere pertinet ad fautores hæreticorum commemoratos art. 15. Bituricenſi.

Secundò hîc quoque reſeruantur dubij in fide: quia tales per baptiſmum recepti in Eccleſia iam ſunt infideles: idque crimen magis ad hæreſim pertinet, quæ eſt prima infidelitatis ſpecies, eáque peior cæteris: ex Decretali de hære. lib. 5. cap. 1. Dubius enim putat ſaltẽ implicitè non eſſe credenda ea quæ proponit Eccleſia, quibus minimè eum firmum pręber aſſenſum, qualem fides ex formali ſua ratione poſtulat.

Addo quòd talis dubitans eſt hæreticus, ſi pertinax ſciat explicitè rem, de qua dubitat, eſſe de fide & Eccleſiam ita tenere: modò tale dubium non à phantaſia, ſed à voluntate proficiſcatur. Quod totum appellatur apoſtaſia à fide ſeu deſertio fidei Catholicæ Apoſtolicæ & Romanæ. A præſenti verò Caſu excipiuntur primùm illi qui dubitant non ex voluntate, ſed ex ignorantia, neſcientes rem eſſe definitam ab Eccleſia, vel ſaltem ex infirmitate imaginationis: comprehenſis illis, qui præ ſimplicitate probabiliue ignorantia habent in mente errores contra fidem aut aſ-

ſentiuntur

ſentiuntur aliquibus hæreſibus Caluini &c. BELG. SEPT.
Deinde, multò magis eximuntur Iudæi & Pagani, qui faciunt alias duas infidelitatis ſpecies, ex tribus, quia cũ nondũ recepti ſunt ab Eccleſia, ad eius forum non petinent. Tertiò & illi ab hac reſeruatione demuntur in foro conſcientiæ, qui exteriùs propoſitiones hæreticas enunciant, non ex intellectus errore, ſed ex ſola animi leuitate, ira, timore, ioco, aut ſpe lucri. Nauarrus cap. 11. nu. 24. Sylueſter verb. §. 4. quamuis in foro contentioſo facilè eis credi non debet, ſed examinandus ſit modus proferendi & ſcandalum datum: in quo foro ipſi habentur ſæpiùs pro hæreticis, ex libro noſtro cõtrouerſiæ de hæreſibus c. 1. 2. & 3. Hinc addimus quòd apoſtata à fide exterior tantùm, ſeu propter metũ, verè quidẽ non eſt excõmunicatus in foro interno: nihilominus peccat mortaliter, & in externo pro tali præſumitur atque punitur.

Quartò & illi excluduntur qui aliqua victi paſſione aut ex malitia ſacras imagines confringunt, ſacram Euchariſtiam deijciunt in terram, reliquáue ſacramenta violant. Nam hoc externum factum ex ſe non eſt propriè hæreſis, neque neceſſariò habet coniunctum errorem intellectus, ſine quo non poteſt vnquam eſſe hæreſis.

Quintò, & illi qui dæmones nefariè adorant, aut imagines aſtronomicas baptizant, vt dæmoni placeant: de quibus nos alia par. 2.

BELG. SEPT. gen. art. 5. & art. 24. Lugdunensi. Incurrerent verò, prædicti si animo hæretico & infideli id facerent vel si crederent diuinitatem homini inesse, posse liberum hominis arbitrium cogere, aut posse determinatè futura contingẽtia nosse, vtpote humanas cogitationes.

Sextò, & illi qui animo hæresibus Caluini aut alijs hactenus adhæserunt, si hæresis mentalis fuerit, nec vllo exteriori signo manifestata. Sicut enim Ecclesia in foro externo nõ iudicat de cordium actionibus, ita nec eas punit aut reseruat, in eodem foro.

Septimo, rustici illi qui pastoribus docentibus dogmata per eos credita esse contra Apostolicas traditiones aut contra Cõcilium aliquod prouinciale à Papa confirmatum*, aut contra communem Doctorum opinionem: ipsi tamen nolunt credere, sed voluntariè in erroribus perseuerant. Ratio est quia rustici non statim tenentur credere explicitè quod omnia illa sint de fide quæ in Apostolicis traditionibus aut Concilijs prouincialibus continentur. Incurrerent verò hunc Casum & similes iam allatos de hæreticis, si pastores legitimè & iterum ostenderent eadem proposita dogmata esse contra scripturam aut fidem Ecclesiæ Catholicæ, & nollent audire.

* *qualia habemus plura in hisce 16. Tabellis prouincialibus cõmemorata suis locis.*

Octauò, & illi qui audiunt hæreticorum conciones, modò tamen fidem mente sua retineant: peccant tamen grauissimè. Sic cum

antiquis bene exponit præfatus Author parte posteriore cap. 1. quæst. 2. ex dictis Syluestri loco cit*. Ad quem planè modum intendimus concipiendum esse præfatum artic. 5. par. 2. & Casum 1. Senonensem cum 15. Bituricensi & alijs eius generis. Id verò totum maluimus hîc apponere cum ipso recentiore Authore, dum ita copiosè Casus suarum Prouinciarum digerit, quàm citatis superioribus locis aut articulo 2. primæ par. gener. commemorasse, vtpote quæ breuitati student, & alia explanant. Et nos pariter sequentes passim Casus Galliæ septentrionalis locupletamus paulò cum Leodiensi Pœnitentiario, & vetustioribus Authoribus, quos suis etiam locis citamus: præsertim quia articulos huiusce prouinciæ cum superiorum Tabellarum textu speciatim conferimus.

BELG. SEPT.

*in 3. exceptione.

2. *Apostasia completa, hoc est interior, siue mentalis, & exterior simul: tum à Religione monastica, cùm à Clericali ordine.*

Hæ sunt duæ potiores Apostasiæ species ad præsentem reseruationem spectantes ex Leodiensis descriptione, cuius substantiam seorsum decerpsimus ad breuem præsentis textus seu articuli compositionem: relicta prima Apostasiæ specie in primo articulo, quæ est hæretica infidelitas. Hoc loco, imprimis Religio Monastica intelligitur approbata, à Religioso professo deserta, (non

BELG. SEPT. à Nouitio) sine licentia, & absque intentione redeundi ad illam vel aliam, licèt talis in seculo viuat secularium clericorum ritu.

Deinde, ordo sacer derelictus concipitur quando Clerici seculares in sacris constituti sine beneficio, vel in minoribus cum beneficio (sic Author loquitur) deserunt habitum, & laico more viuunt, animo ita perseuerandi. Syluester verb. *Apostasia*. nu. 9. Vtrobique verò inest lethale peccatum valde graue: & excommunicatio habetur cap. *Ad abolendam*. De hæreticis. lib. 5. Decretal. Non igitur incurrit hunc Casum primò Apostata solus exterior vel solus interior, cùm textus vtrunque simul cōplectatur. Secūdò, nequequi deserit habitum animo redeundi. Adeóque articulus 22. partis 2. gener. hîc non reseruatur, vt neque illic. Interea secundus iste Casus est primus peculiaris hisce regionibus.

3. *Homicidium voluntarium.*

Variæ reseruationis conditiones sufficienter traduntur in 2. Communi Casu, cum duabus amplissimis exceptionibus, quas postmodum vidimus ab Authore Leodiensi positas. Quibus certè alias hîc addimus vnà cum præfato Authore. Nam in primis non incurrunt hunc Casum illi qui se aut alios deliberato animo voluerūt interficere, etiāsi arma hoc fine gestarint, vulneráque inflixerint quippe requiritur effectus, seu mors.

Secundò, neque illi qui publica authorita-

te alios occidunt, si subsit iusta causa vtcunque nota. Faciunt enim secundum iustitiam, quod non efficit homicidam. Et hæ exceptiones faciendæ sunt etiam in superioribus articulis de homicidio. BELG. SEPT.

4. *Iniuriosa & voluntaria iniectio manuum in parentes.*

Sub hac reseruatione ex mente citati Doctoris comprehenditur leuis etiam percussio, modo filius parentes percutiat animo iniurioso: etiamsi parentes sint promeriti, quia non est filij alterutrum parentem cædere. Secundò, nomine parentum vult auuem, auiam cæteròsque superiores iniuriosè percussos complecti, ad formam impliciti 3. articuli Rothomagensis, ex dictis in 17. Pariensi. Excipiũtur verò imprimis tres conditiones iam allatæ in simili Casu 17. Senonensi, & hîc rursus à Leodiensi vsurpatæ. Deinde & illi demuntur filij, qui Patri ensem è manu eripiũt, vt se tueãtur: vel qui volentes arcere turbam, patrem ex turba proijciunt in terram. Tertiò, & ille qui ex subita passione aut absque perfecta deliberatione, manus in parentes inijcit: vnde statim manum retrahit. Excusantur enim primi motus qui non sunt in hominis potestate. Quartò, & is qui verbis iniuriosis ac maledictis parentes contristat & affligit, verberáque minatur: si modò non sequatur effectus exterior seu realis manuum iniectio ex

BELG. SEPT. textu requisita, quanuis peccet mortaliter. Vltimò, neque iniuriosa iniectio in fratres, cognatos aliósque collaterales aut inferiores consanguineos: cùm non sint parentes. Quæ etiam singula passim tolluntur ab alijs præfatis similibus articulis, & à nono Bituricensi ac 5. Rhemensi &c.

5. *Machinatio in mortem coniugis.*

Hoc est quando maritus vxorem valetudinariam continuis iurgijs molestat, aut aliquid facit dolo & astutia, vel alijs exterioribus modis, etsi minimè sequatur mors. At non reseruatur actus quo eam immoderatè verberat sine gladio, quamuis peccet: concipitúrque similiter talis machinatio vxoris in virũ. Cætera in Casu 18. Parisiensi & in 9. Ebredunensi.

6. *Veneficium, seu venenum ad hoc propinatum vt proximus intereat eiusue valetudo lædatur.*

Id fit primò per datam cicutam, salmandriam, aconitum, mãdragoram, cantaridem, & alia venenata. Secundò, quãdo quis ægroto rem præbet, quantumuis ex misericordia, quam scit notabiliter nociturã, modò sequatur læsio. Tertiò, hîc reseruantur Pharmacopolæ qui corrupta medicamenta vendunt, cũ norint ea potius nocumentum quàm adiumentum allatura. Quartò, & œnopolæ aut Laniones qui vinum, ceruisiam carnes & similia subinde ita corrupta vendunt, vt probabiliter sciant sciréue debeant graues cor-

poris ægritudines sequuturas ex illa sumptione. Quæ omnes conditiones intelliguntur si furor vel phrænesis aliáue læsio eueniat. BELG. SEPT.

Hinc verò illi primó excipiũtur qui sumũt aut alteri sumendum proponũt venenum ad experiendam theriacam, si corporis lęsio non sequatur. Secũdò, illi qui venenum domi habent mixtum bonis liquoribus, imo nec qui purum, modò nullus exin lædatur; quamuis lethaliter peccetur si prauo fine asseruetur. Tertiò, is qui venenum comparauit quo inimicum intoxicaret, sed pœnitẽtia ductus aut aliter impeditus vel non ausus, venenum nemini propinauit. Syluester verb. *De artibus.* §. 3. Ipseque Casus est secundus proprius eisdem Episcopatibus.

7. *Maleficium, seu superstitio falsi cultus, quo læditur proximus aut res illius.*

Propriè enim maleficium, ex definitione, est superstitio falsi cultus reducenda ad speciem superstitiosarũ obseruationũ, per quam in genere maleficus mediantibus signis seu characteribus, ex pacto inito cũ dæmone etiã tacito scienter tamen, actiones suas dirigit secundum præscriptum eius, petẽs ab illo modos & rationes quibus aliũ in anima, corpore fama, honore, rebus fortunę & similibus alijs lædere ac offendere possit. Vide D. Thomã 2. 2. quæst. 92. In specie autem maleficium exercetur ac reseruatur hoc loco, primò, quando quis liquoribus aut alijs vnctionibus ex

BELG. SEPT. præſcripto dæmonis aut malefici compoſitis inungit partē corporis perſonæ quam maleficiare intendit, ſi læſio aut mors cōſecuta ſit.

Secundò, incidit in hunc Caſum ille qui ſtramen, plumam aliáſue res viliſſimas ex eodem pacto abſcondit ſub lectulo, vel limine oſtij, vt tranſeuntes lædantur. Tertiò & ille qui elementa cōcutit, vel tempeſtates & fulgura procurat quibus tēpla, ſegetes armenta læduntur. Quartò, & ille qui eadem ope proximi intellectum, memoriam, bonámue valetudinem lædit atque perturbat. Quintò, & ille qui quouis modò coniuges maleficiat, ne matrimonium conſummare poſſint, etiam per tres tantùm dies. Sextò, & vetulæ incurrunt Caſum quæ ſuo conſpectu pueros faſcinant, ſi ex præfato pacto etiam tacito id præſtant.

Mandãtes. Poſtremò, incurrunt quoque præſentem reſeruationem illi qui conſulunt, mandant & auxilium ferunt vt maleficium fiat, etiamſi manum operi non admoueant. Ratio eſt quia ſtatutum quo maleficium punitur ligat eos omnes, vt refert Syluester verb. *Statutum.* nu. 2. Circa quos mandantes duo dicenda videntur. Prius eſt quòd nomine ſtatuti illic generatim cōſcripti non ſolū intelligi poteſt ciuile, ſed etiam eccleſiaſticum in vtrolibet foro. Poſteriùs eſt quòd nomine mandatium fieri maleficium aduerſus perſonam aliquam cenſetur comprehendi non tantum hoc ſpeciale

maleficium præſentis Articuli; verùm etiam omne malum illatum ex pacto cum dæmone initο. Quidam putant ſolum intelligi de malo illato perſonæ humanæ, & non rebus alijs, vt pœnæ ſic reſtringantur quantũ vocis ſignificatio patitur. Adeóque paſſim reſeruantur mandantes fieri homicidium, veneficium, aborſum & oppreſſionem prolis: de quibus loquuti ſumus art. 10. Lugdunenſi. Hæc enim omnia directè tendũt in maleficium & graue nocumẽtum perſonæ, etiam ex mente Syluestri. Sed nos iſtam litem non componimus.

BELG. SEPT.

Cæterum hic & ſequens caſus concurrit cum 5. cõmuni: & nomine velut generis appellatur magia. Syluester verb. *Maleficium*. 8. & cauſa 26. qu. 5. *Mirum* & cap. *Sortes*. Vterque verò Caſus minimè complectitur diuinationem præcisè ſumptam pro ſuperſtitione diuinatiua qua dæmones conſuluntur per aliqua pacta cum illis inita, quæ eſt ſecunda ſuperſtitionis ſpecies. Quòd non cõtineatur ſub hoc & ſequẽte articulo, teſtis eſt author Leodiẽſis interpres Caſuum ſuę prouinciæ cap. 7. partis poſterioris, qu. 2. etſi Caſus 1. Aquenſis eam ſignificationem ſeu diuinationem ambiat.

Magia.

Iam quòd ad exceptiones attinet: in primis non incurrũt hunc Caſum illi qui experiuerunt diſcere vel didicerũt artes magicas, quãuis peccẽt mortaliter: quia eas diſcere nõ eſt adhuc reale maleficium, quod poſtulat textus & interpres præfatus. Secundò neque is qui

BELG. SEPT. pactum qualecunque inijt cum dæmone, aut qui dæmonem familiarem habet monitorem vt ei renunciet quæ in locis secretis gerũtur, quamuis lethale peccatum committat ex Nauarro ca. 11.nu.26.Ratio est quia istud est verius alia superstitionis species distincta quam diuinationem nuncupauimus,& quam reseruant art. 6. Parisiensis & 1. Aquensis. Tertiò, neq; is qui iuxta idem pactum applicuit certo modo imagines, signa, characteres, aquam & id genus alia alicui personæ, si reuera nullum nocumentum intulit: cùm textus & rei pœnalis natura effectum postulent exteriorem.

Quartò neque multò magis ille qui ignoranter pactum init, vtẽdo signis quidem maleficis, sed nesciens vtrum ad superstitiones & maleficia pertineant, tanquam nõdum hac de re monitus, aut certè vix sufficienter: ignorantia tamen crassa non excusat: Immo non peccat mortaliter, ex Caietano in Summula verb. Incãtatio. De monitionibus verò idiotæ factis, & quòd sit pactum tacitum atque expressum, vide articulum 1. Aquẽsem. Vltimò, neque textus eiusue author comprehendit eos qui adeunt augures, si ipsimet malefficio non vtantur: etsi tales reseruentur in 11. Senonen. Differunt enim mandãtes magiam exerceri reseruandi, & adeuntes magos vt eos circa furta consulant, qui minimè consilium præbent magiæ exercendæ, veluti explicat artic. 6. Parisiensis.

8. *Incantatio.* BELG. SEPT.

Fusè exponitur in ſexto Pariſienſi, necnon in 1. Aquenſi duntaxat Author Leodienſis hìc intendit reſeruari incantationem non ſolùm quæ fit per expreſſam dæmonum inuocationem, ſed etiam quę per tacitam, quam non facilè complectitur articulus Aquenſis, vt pote quòd tacita inuocatio nõ ſit intima & propria ratio incantationis. A reſeruatione verò excipitur ille qui incantationes ex libris magicis didicit, ſæpiúſque recitauit, ſed illis nihil effecit, quamuis lethale perpetret addiſcẽdo, & in vtróque foro puniri debeat. Hinc quoque remouentur exceptiones allatæ ſuperiori articulo, quandiu ex maleficio transferri poſſunt ad incantationem, & rurſus exceptio quæ habetur in articulo Pariſienſi.

9. *Procuratio aborſus.*

Qualis ſit hæc aborſus procuratio diſertè exponitur articulo 14. Lugdunenſi. Attamen quia illìc tres modos iam aperuimus quibus talis aborſus hìc reſeruat⁹ procuretur; nimirũ per varia medicamẽta venenata: ideo alios plures modos nũc in mediũ proponere oportet, quibus præmaturè etiam fœtus eijci dicitur.

Quartus verò modus quo idem aborſus creditur procurari, eſt quando mulier experta ſe ſolitam aborſum pati ex graui ſarcina & pondere in humeros impoſito, aliud graue portandũ aſſumit, ſi modò ſequatur aborſus.

Quintus & vltimus procurationis reſeruandæ modus verſatur circa filiam familias,

BELG. SEPT. quæ ſecretò matri ſuæ indicauit ſe cõcepiſſe, rogans vt curet honorem ſuum per ſecretum aborſum tueri,&mater committit negotium ancillæ, ancilla ad hoc inducit medicum vel pharmacopolam qui aborſum cum effectu procurat. Sic enim filia aborſum procurauit, & cum ea in Caſum incidunt reliqui omnes mediatores.

Excipiuntur verò imprimis mulieres quæ præter intentionem graue pondus aſſumunt portandum, propter quod nondum expertæ ſunt aborſum, etſi ſequatur. Eſt enim ille caſualis aborſus qui non exprimitur in hac prouincia, quantumuis declaretur & reſeruetur artic. 22. Ebredunenſi.

Secundò excipitur mulier quæ ſæpenumero in quacunque alia propoſuit aborſum procurare, vel generationem herbis aut ſanguinis emiſſione ſtuduit impedire, ſi non abortiuit: quia non eſt ſequutus effectus exterior. Præfatus tamen conatus externus, ſolus ſine effectu reſeruatur in 17. Viennenſi, qui Articulus excludit à ſe dũtaxat mentalẽ actioẽ.

Tertiò & ille qui mulieri in partu laborãti ex arte medica aliquid prębuit abſorbendum, vt faciliùs emittatur fœtus, etſi infans prodeat mortuus. Quippe fœtus eſt maturus: nec proinde eſt abortus, quinimò naturalem partum procurat, vt mater & fœtus à morte liberẽtur.

Quartò excipitur qui vel quę cauſa explendæ libidinis, viro vel mulieri aliquid in potum

præbet,ne concipiat: quamuis id lethale peccatum in vtroq; foro puniri debeat, hoc enim est impedire generationem solum futuram. Aliud verò est efficere vt futurum semẽ non sit prolificum, aliud procurare aborsum seminis iam concreti seu conceptus & fœtus, & sunt ista diuersa: & pœnæ restringendæ, ex dictis parte 2. gener. BELG. SEPT.

Quintò, neque vir aut mulier qui vel quæ in actu matrimoniali abstinet vel retraxit se, ab emissione seminis causa conceptionis impediendæ: quanuis peccetur mortaliter. Hoc enim propriè loquendo nõ est procurare aborsum: cum nondum sit fœtus ex semine cõpositus, multóque minùs anima in fœtu. Attamen enorme ac detestandum peccatum e-mittitur, quia priuatur semen vita, ad quem effectum natura sua directè tendebat. Adde exceptionem aliam in Lugdunẽsi expressum. Quæ omnes exceptiones auferri quoque debent cunctis superiorum Tabularum articulis de hac materia, etsi hîc lubentiùs tractentur propter rationes iam allatas.

10. *Prolis oppreßio.*

Exponitur in 13. Lugdunensi, respectu voluntariæ oppressionis. Superest hîc loqui de casuali nunc reseruata hisce prouincijs, ex doctoris Leodiensis mente, qui dicit præsentem Casum incurrere illam mulierem quæ tenellum infantem in lecto positũ noctu dormiens & locum mutãs oppressit, nisi excusent circũstãtiæ adhibitæ diligẽtiæ: qua de re lib. 5.

BELG. SEPT.

Decret. tit.10.cap.1.*. Pro secundo reseruationis exemplo proponit cócubinos, adulteros reliquósque luxuriosos & impios homines, qui vt honori consulant, proles clam natas in syluis, agris, publicísque locis exponũt: si reipsa postmodum à feris, porcis, canibus deuorẽtur, aut quouis modò enecẽtur. Omnis enim talis euẽtus est fortuitus & casualis: adeóque præsens artic. æquatur negligentiæ Casuum 21. & 23. Senon. itémque Casibus 21. Ebredun. ac 7. Rhemensi, & excedit latitudinem articuli Lugdunensis. Comprehẽsis mãdantibus, ex dictis art. 7. Excipiuntur verò illi primò, qui exponunt in periculo infantes & à quodam prætereunte saluantur, quamuis peccarint mortaliter, & illi fornicatores qui ne adulterium manifestetur, secretè deponũt puerum in hospitali puerorum, præsertim ad hoc instituto. Immo aliquãdo etiam non peccant. Qua de re Nauarrus cap. 16. num. 48. Aliam exceptionem pro tertia perlege in casu Lugdunensi, cum altera de casuali oppressione.

*De his qui filios &c.

Cæterùm qualitates defectuum diligentiæ in hoc adhibendæ, pro deprehendenda culpæ quantitate hac in re cognitu necessaria, relinquuntur definiendæ arbitrio Confessarij seu viri prudentis; cùm particulares humanæ actiones & circunstantiæ certis non possunt regulis definiri. Sic Caietanus in D. Thomam 2. 2. quæst. 64. art. 4.

II. *Stuprum siue violenta virginis defloratio.* BELG. SEPT.

Definitio stupri satis exponitur parte priore Articuli 2. Lugdunensis, cui iste æquatur. Superest solum exceptiones hic apponamus, quas Author Leodiensis cap. 11. quæst. 2. explicat. Primò non censet incurrere hunc Casum diuitem adolescentem, cui paupercula virgo sui corporis copiam fecit, sperans ab eo dotem consequi: quanuis enim vtérque peccet mortaliter, & stuprum committat, non tamen tale quale hîc reseruari debeat, cùm nulla in proposito exemplo reperiatur violentia siue vera siue interpretatiua. Qua in re duo videntur dicenda.

Prius est quòd ea exceptio pariter locum habet, si virgo etiam sit diues quæ consensum ad id vtcunque præbet: nec in eo opus est necessariò conditione paupertatis, cùm actus ille non referatur ad simplicem fornicationem, vtpote quæ cum corrupta committi dicitur ex 12. Parisiensi.

Posterius est quòd ideo eiusmodi actio excipitur, quia in textu articuli statuitur dictio *Violenta*: quæ vox quia nequaquam apponitur in Casu 2. Lugdunensi, 5. Senonensi, 24. Rothomagensi, 8. Parisiensi, 4. Bituricensi, & similibus alijs: idcirco præfata exceptio in cunctis illis Tabellis & articulis reseruatur, quia ibidem absolutè & disiunctiuè sermo est de stupro in formali sua ratione accepto, scilicet virgine etiam

BELG. SEPT. consentiente absque vlla violentia, siue seducatur aut quibusdam blāditijs alliciatur, siue non. Licèt enim virgo assensum præbuerit, tamen vir eam deflorare non debuit, adeóque in stupri culpam irrepsit, quam effugere debuit ac potuit. Et sanè si notabilis sit violētia, iam actus magis refertur ad raptum sequenti 12. Casu expressum, quàm ad stuprum sub isto commemoratum. Nam sæpe est difficile tam Cōnfessario quàm pœnitēti, discernere interpretatiuam violentiam pro stupro à vera violentia pro raptu, qualem discriminis formulam affert Leodiēsis, nosque eādem expressimus in Lugdunēsi qui eodē versu & stuprum & raptum simul continet. Et reuera, raptus quādóque inuenitur cum stupro, & aliquādo stuprum sine raptu, ex S. Antonino. * Quæ quidem sunt manifesta satis perspicaci ingenio, & ex allatis hactenus exēplis seu rationibus. Sed esto hanc veræ & interpretatiuæ violētiæ distinctionem acceptemus: vt verè suscipimus: id tamen obiter aduertendum fuit

*Part. 2 tit 5. ca. 7. ante §

Quatuor exemptiones alias eius generis reuoluit Author Leodiensis, quibus verò subest stuprum, vt ipse fatetur. Verum quia abest violentia, eas è suo isto Casu eximit: quod totum nos concludimus sub reseruationibus stupri præfatarum Tabellarum.

In summa

In ſumma omne ſtuprum, in quo deprehenditur aliquis virginis conſenſus, iſtinc auſert Leodienſis. Neque propterea fuerunt hîc commemorandæ aliæ exceptiones. BELG. SEPT.

12. *Raptus quo perſona ſiue virgo ſiue corrupta contra eius vel parentum voluntatem carnaliter cognoſcitur.*

Conditiones reſeruationis cum definitione raptus copioſè deſcribuntur in 2. Lugdunenſi, quas etiam declarat Leodienſis: & vera violentia ad raptum neceſſaria repetitur ſuperiore 11. Articulo huius Tabellæ, quatenus differt à ſtupro. Vna eſt exceptio, ex Leodienſis commentario non incurritur iſte Caſus, & quidem verè, quando vir tentat mulierem abducere, ſi impeditus id præſtare non potuit, vel ſi pœnitentia poſtmodum ductus in media via, ab effectu abſtinuit: etſi obſcœna voluntas mortale peccatum inducat.

13. *Matrimonium contractum poſt votum caſtitatis, aut in gradu prohibito ſcienter, aut priore vxore adhuc viuente.*

Primus ordo huius Articuli, eſt coniugalis contractus poſt votum caſtitatis: quam partem Articuli incurrunt illi ex mente Leodienſis, qui id votum emiſerunt etiam apud ſe ſolos & ſola mente abſque ſigno externo ſolenniuè ceremonia, vt liberius Deo ſeruirēt, & poſtea, remiſſo priore charitatis feruore, nubere volunt, ſi tamen nubant: quia reſeruatio intelligitur de actibus exterioribus ſub-

BELC. SEPT. ſecuto effectu, aliàs tantùm peccant mortaliter: nubendo tamen nullam incurunt excõmunicationem ipſo facto.

Secundò & illorum peccatum hîc reſeruatur, qui ſacris initiati aut aliquam Religionem profeſſi, nubunt non obtenta priùs legitima diſpenſatione, perraro Clericis concedi ſolita. Suntque ipſo facto excommunicati ſed illa excommunicatio non eſt reſeruata ipſo iure par. 2. art. 54. attamen hic reſeruatur tale facinus vt docet author Leodienſis de voto caſtitatis emiſſo a quibuſdam apud ſe ſolos vel ſolas ſed non exprimit ſatis vtrum id ſit votum perpetuum, quod facilitatis gratiâ præſtare debuiſſet, neque ſecundò vtrum ſit alterius generis voti ſimplicis minus firmi.

Profecto faciliùs colligitur id eſſe votum perpetuum, tum ex vi textus qui in pœnis reſtringi debet, atque ex præfato Commẽtario Leodienſis vna cum ſimili forma loquendi Nauarri, Cap. 22. nu. 73. qui dum abſolutè deſcribit votum caſtitatis, quod non dirimit matrimonium contractum; proculdubio ſequitur non intelligere votum ſolenne caſtitatis coram Superiore emiſſum; cum illud dirimat matrimonium: tum etiam hoc idem elicitur ex allatis exceptiunculis Leodienſis, quæ ſunt de minori ſimplici, veluti propoſitum imus.

Adeò vt diſcriminis cauſâ, inter generalem

regulam pro reſeruatione, eiuſque exceptio- BELG. nibus, neceſſarium ſit concludere quod vo- SEPT. tum apud ſe ſolum prolatum & in ipſa regula deſcriptum, ſit perpetuæ caſtitatis.

Itaque reſeruatur hîc primò loco id votum ſimplex ſeu priuatum perpetuæ caſtitatis, intellige ſi matrimonium poſt illud cōtractum ſit, quod non habetur in reſeruatione Caſus 16. Rothomagenſis ſub prima exceptione.

Secundò, ex vi textus multò magis concipitur reſeruatum votum ſolenne eiuſdem caſtitatis in Religione celebratum, & pariter idem votum ſolenniſatum per ſuſceptionem ordinis ſacri in ſeculari Clericò: quod vtrunque iam fusè exponitur Artic. 18. Senonenſi ac cit. Rothomagenſi. Hinc ergo excipe tria illa vota quæ in art.18.excepimus. Etenim votum ſimplex ingrediendi religionem aut ſuſcipiendi ſacros ordines nō eſt propriè votum caſtitatis. vt rectè docet Leodienſis c. 13. qu. 2. at verò in tertia ſpecie ibi aſſignata art. 18. Senon non violatur votum caſtitatis vt patet manifeſtè. præterea excipiuntur ſecunda & quarta exceptio Caſus Rothomagenſis, quas declarat Leodienſis ſub iſto Caſu: Et nos hic non repetimus, cùm ad ſuperiora noſtri Opuſculi recurſus haberi debeat, ſolum addimus ſequentes exceptiones nondum à nobis allatas hoc libro.

Igitur, & is tertio hinc eximitur, qui poſt votū præfatæ caſtitatis ſimplicis primæ claſſis,

BELG. SEPT. aliquam fornicariè cognoſcit, promiſſione data futurarum nuptiarum: cùm reſeruentur ſoli contrahentes ipſum matrimonium, de præſenti 4. & is qui contrahit poſt idem votum caſtitatis emiſſum ante annos pubertatis (ait Author) dubitans num ſufficientem habuerit vſum rationis quando vouit, de quo Sotus libris de Inſt. & iure.[m] 5. & illa fortaſſis quæ vult contrahere ſecundas nuptias (addit) poſt votum caſtitatis emiſſum durantibus adhuc primis nuptijs ſi maritus tunc irritauerat: ſin autem priori viro votum gratum fuerit, peccatum ſequentis matrimonij hîc reſeruatur, teſte præfato Leodienſi. Habes octo exceptiones circa vota.

Pubertas art. 22. Vien. & 13. Rhe.

m *lib. 7. qu. art. 7.*

Cæterum qui poſt votum ſimplex contrahit, etſi validum ſit matrimonium, tamen propter lethale peccatum in illo contractu commiſſum & vim ipſius voti perpetuam ideò nequit ipſe vouẽs exigere debitum citra nouum peccatum, idque toties quoties: ſed duntaxat vxori petenti reddere debet. Tenetur enim ex parte ſui ſeruare votum, quantum poteſt ſine alterius præiudicio[n].

n *Naua. ſuprà nu. 73.*

Secunda autem pars præſentis Articuli, eſt coniugalis contractus tum in quarto gradu prohibito conſanguinitatis & affinitatis ex licita carnali copula ſeu matrimoniali cognatione cõtracto: de quo multa articulo 19. Lugdunenſi: tum in primo vel ſecundo tantùm gradu illicitę copulę; ibidem & in 12. Viennen-

ſitum tertiò & vltimò in gradu cognationis legalis, quæ eſt propinquitas orta ex adoptione ſeu legitima aſſumptione extraneæ perſonæ in filium, quæ perſona antea non erat in adoptantis poteſtate. Quæ quidem legitima aſſumptio fit quando adoptans non eſt frigidus, licèt ſterilis: dummodo etiam adoptans præſens det conſenſum [g]. Sic dirimitur matrimonium inter adoptãtem duntaxat virum & adoptatum vtriuſlibet ſexus (ipſiúſque vxorem) vſque ad eius abnepté ſeu 4. gradú. [i].

BELG. SEPT.

Cognatio legalis.

g *Syluest. verb. Adoptio.*

i *Nauar. Cap.22. nu. 45.*

Hoc tertium, quod de adoptione eſt, meritò hîc reſeruatum credimus ex mente Leodié. ſi quis ſub hac cognatione violet thorum ex prætenſo matrimonio. Capite enim XIII. poſterioris ordinis, tota quæſt. 4. enumerat gradus vetitos in cõtrahendo circa iſtam adoptionem coniugis (quales nunc deſcripſimus) vnà cum gradibus prohibitis ad eundem finem circa conſanguinitatem ac affinitates ex copula carnali ſubortas. Et deinde ſequenti quæſtione 5. eiuſdem Capitis, quando proponit eos qui incurrunt vel non incurrunt hunc Caſum, poſt allatas à ſe exceptiones, concludit hoc pacto. *Poſtremò, è contrario ſequitur facillimè colligi poſſe, qui in illum incidant, vt vix egeat admonitione.* Sic præterit hunc locum, neque conditiones ſeu qualitates reſeruationis explicitè tradit, ſicuti ſolet in reliquis Caſibus ac quæſtionibus. Remittit ego lectoré ad ſuperiorem quæſtionem, vbi qualitates omnes ve-

titorum coniugiorum describuntur: quæ cùm in quinta quæstione non excipiantur, sequitur eas hîc reseruari. Matrimonia verò in prohibitis gradibus adoptionis inita, minimè inter excepiones recensentur: igitur ex Leodiensis mente remanent inter reseruationes huius Belgij, sicut & coniugia in vetito consanguinitatis gradu contracta, circa omnes 4. gradus. Ex quo obiter patet hanc Articuli partem esse latiorem Articulo 9. Parisiensi, qui tantùm reseruat duos gradus consanguinitatis & affinitatis.

Iam ad exceptiones à Leodiensi conscriptas properemus. In primis hunc Casum non incurrit frater, qui atneptem ducit in vxorem, quia frater & atneptis mutuò solùm attinguntur in quinto gradu consanguinitatis lineæ collateralis. Licèt enim frater sit in primo gradu, attamen eius atneptis est in quinto. Quippe frater & soror constituunt primum gradum collateralium, illorum nepos & neptis secundum: & sic de pronepote, abnepote & atnepote pro. 3. 4. & 5.

Secundò neque is qui denunciationibus publicè factis sub Missæ solennijs, & tribus dominicis diebus continuis, ducit in vxorem abneptim suam, scilicet intra quartum adhuc gradum constitutam, quam non arbitratur sibi esse coniunctã in gradu prohibito, maximè quia tacentibus cũctis solénes proclamationes in Ecclesia præcesserunt, iuxta decretum Tridentinũ [k] Adeóq; non contraxit in gradu

k *Seß. 24. de Reform. matr. Cap. 1.*

prohibito: ſcienter: quā vocē & conditionem ſcienter apponit textus huiuſce prouinciæ. BELG. SEPT.

Tertiò neque illa quæ nubit filio patrini ſui, quia omnis fraternitas ſpiritualis quæ olim cōtrahi ſolebat in baptiſmo & cōfirmatione, per Concilium ſublata eſt cum alijs antiquis gradibus, ex dictis Art. 12. Senonenſi.

Poſtremò neque is quis mortua vxore duxit aliam mulierē, quæ fuerat vxor alicuius de cōſanguinitate prioris vxoris, & quę proinde erat affinis eidē primę vxori: quia licèt omnes cōſanguinei prioris vxoris fuerint effecti illi marito affines, non tamen affines ipſius primę vxoris effecti fuerunt eidem marito affines.

Tertia tandem Articuli pars eſt matrimonialis contractus priore vxore adhuc viuente qua de re fusè in 2. parte Articuli 14. Ebredunenſis, vbi etiam duæ habentur exceptiones. Vnam duntaxat exceptionē hîc adijciam cum Leodienſi. Is enim præſenti reſeruatione eximitur qui poſt celebratum matrimonium, deprehendit ſubeſſe aliquod impedimentum dirimens ideóque contrahit cum altera ſine vlla licētia, etiamſi diſpenſatio poſſit impetrari. Ratio eſt, quia dū ignorabat impedimentū arbitrabatur priorem fuiſſe verè vxorem, quæ tamen verè talis non fuit. Itaque liber eſt vt aliā ducat, neque tenetur diſpenſationem ſollicitare, aut oblatam accipere, vt cum illa remanere poſſit.

14. *Inceſtus cum conſangineis, aut cum virgine ſacra ſeu Moniali profeſſa.*

BELG. SEPT. Hîc ſunt duo membra: prius de inceſtu inter ſolos conſanguineos circa omnes quatuor gradus hîc reſeruatos, ampliſſimè loquitur Caſus 19. Lugdunenſis. Poſterius de Monialis profeſſæ conſtupratione, ſatis habetur in 2. Lugdunenſi, 24. Rothomagenſi, & 8. Pariſiéſi. Supereſt ego aliquot exceptiones connotare Ergo illi conſanguinei primò excuſantur, qui ſeſe mutuò polluunt ſolùm: quia etſi peccata nefanda committant hac in re, non tamen eſt copula, propterquam ſolam exprimitur præſens reſeruatio 2. illi qui ſe cognoſcunt quidem illegitimo illo cõcubitu, ſed ob ætatis defectum non ſeminant: peccant tamen peccato inceſtus non conſummato: niſi horum alter ſeminet, in illóque malitia ſuppleat ætatem: quia tunc ipſe ſolus Caſum incurrit. Leodienſis enim poſtulat vt pro reſeruatione pubertatem attigerint alibi à nobis definitam*. 3. neque ſub eodem Caſu comprehenduntur qui id mortale crimẽ committunt cum affinibus ſubortis tum ex licita copula tum ex illicita: quia licèt id verè ſit inceſtus, at nihilominus litera ſolos conſanguineos nominat, ſicut Caſus 5. Bituricenſis. Et ſic Articulus iſte non complectitur omnem latitudinem inceſtus, quam habet ratione affinium Articulus 12. Senonenſis, necnon Aquenſis, itémque Articulus 19. Lugdunenſis implicitè. Nam generali voce vtuntur nec reſtringunt ad cõſanguineos. 4. neque Clericus

in 22. Vien.

Articuli ſuperiorum Tabellarum.

ſacris initiatus aut religioſus pollutus cum ſo- BELG.
luta, imò neque cum coniugata, quamuis ſit SEPT.
veluti inceſtus ex parte viri Deo dicati qui eſt
pater ſpiritualis laicorum,[1] aut adulterium ex [1] Nauar.
parte fœminæ; quamuis reſeruetur talis cõ- Cap. 12.
mixtio in 3. Caſu Lugdunenſi ratione concu- nu. 3.
binatus. Nõ enim hoc habet præfatus textus
5. neque Sacerdos Confeſſarius, quamuis inceſtum perpetret cum ſua pœnitente (velut exponit Leodienſis) reſeruatum in Articulo 18. Lugdunenſi. Omnes autem iſti improprij inceſtus, ſeu ſpirituales, decentiùs vocantur ſacrilegia ex D. Thoma 2. 2.* propter profanationem rei ſeu perſonæ ſacræ, cuius violatur aut ſaltem corrumpitur debita & promiſſa Deo integritas.

*qu. 154. art. 10.

15. *Concubitus contra naturam, puta ſodomia, & eius generis grauiora crimina.*

Ex vi textus hîc reſeruantur duæ ſolæ priores ac deteriores huius criminis ſpecies: nimirum beſtialitas quæ eſt concubitus cum canibus, vaccis, dęmonibus, eſtque prima ſpecies, & præterea ſodomia quę eſt ſecunda. Beſtialitas verò hoc loco certiſſimè continetur, quãuis implicitè: ex eo quod Articulus circa ſodomiam ait *& eius generis grauiora*. Iſto igitur Articulo grauiores & ampliores ſunt Articulus 20. Lugdunenſis, 25. Rothomagenſis, 10. Pariſienſis, 12. Auxitanus prioris ordinis, & 4. Narbonenſis: qui cõplectuntur nũc tres nũc omnes quatuor ſpecies peccati contra natu-

BELG. SEAT. ram, cùm tot ſtatuat D. Thomas loco cit. in Lugdun. Omiſſa quinta ſpecie quàm introducit Leodienſis, & quidem ſatis aptè Cap. 15. Quæſt. 1. Verùm facilè reducũtur ad quatuor allatas à D. Thoma, quem ſequimur facilitatis gratiâ in hoc Opere.

Præſens autem Caſus æquatur Articulo 15. Senonenſi & 6. Rothomagenſi. Excipiuntur ergo improbi actus atque concubitus pertinentes ad inferiores duas ſpecies commemoratas: adeóque opus non eſt afferre tria exceptionum exempla à Leodienſi allata, collectu facilia ex ſuperioribus Tabellis, cùm verſentur duntaxat circa inferiores ipſas ſpecies.

16. *Falſitas circa monetam.*

Fusè hanc materiam explicuimus Articulo 14. Bituricenſi huic ſimili, vnà cum quatuor exceptionibus hinc pariter remouẽdis. Quo loco monuimus & hîc obiter repetimus, quòd falſitas monetæ non efficit eundem Articulũ, nec eſt eiuſdem ſpeciei cum falſitate literarum, propter rei ſiue materiæ diuerſitatem. Adde quòd de literarum falſitate ſequitur iam Caſus diſtinctus.

17. *Falſitas circa literas alicuius Prælati inferioris Papa.*

Leodienſis hîc reſeruat eorum peccatum primò qui cum dolo & iactura tertij vitiant literas Epiſcopi, Archidiaconi aut Vicarij generalis, quas vocãt commendatitias, dimiſſorias, prouiſionales beneficiorum & ſimiles a-

lias. Dimiſſoriæ dicuntur illæ quæ conceduntur ab Epiſcopis aut præfatis Vicarijs, ad hoc vt ſubditi promoueri poſſint ad ordines ſacros apud aliũ Epiſcopum. Commendatitiæ, quæ dantur Clericis peregrinãtibus aut Diœceſim mutantibus.

literæ dimiſſoriæ & commendatitiæ quæ.

Secundò; reſeruantur quinque generales modi falſitatis in literis, qui deſcribuntur initio huius 3. partis gener. Ar. 3. hîc minimè iterandi. Non incurrunt veró hunc Caſum illi primò qui quocunque ex præfatis modis literas Papæ falſificat, aut ipſis vtitur falſis ſupra duos menſes: quia crimen grauius incurrit cum anathemate iuris ſummo Pontifici reſeruato ex parte 1. gen. Ar. 5. & 9. Deinde nec illi qui ab Epiſcopo alióue Prælato inferiore Papâ impetrant literas ſubreptitiè vel obreptitiè: quia hoc non eſt falſificare ipſas literas, vt poſtulat textus.

Quid autem ſit duplex iſta impetratio, explicatur Art. 31. Viennenſi., qui eſt de abuſu literarum Apoſtolicarum, ſiue antea falſificatarum ab alijs, ſiue non. Adeóque hæc praua impetratio illic, non hîc, reſeruatur. Eiuſmodi etiam impetrationes retinent hoc loco eaſdem conditiones & eandem naturam, ſi modò mutetur extraneus reſpectus literarum Apoſtolicarum illic commemoratarum in Epiſcopales hic deſcriptas & reſeruatas.

BELG. SEPT. Tertiò, nec ille incurrit qui habet apud ſe literas falſas aut vtitur illis: quia ex dictis eaſdem non falſificat. Imò non peccat ſi habeat vtatúrue cum ignorantia non culpabili. Secus ſi dolosè habeat ſcientérque vtatur: tunc verò præter peccatum obligatur ad reſtitutionem damni inde emergentis.

Quartò, neque præſens Articulus reſeruat tres exceptiones iam ſatis expoſitas in præfato Viennenſi. Tandem, pro exitu, ſupereſt Lectorem monere, quòd Leodienſis hîc inſuper reſeruat eos omnes qui conſulunt, mandant, auxiliúmque ferunt, vt tales Literæ quocunque modò falſificentur quamuis ipſimet non falſificent: quia (inquit) ſtatutum quo maleficium punitur, hos omnes inuoluit: iuxta illa quæ ipſe appoſuit Capite 3. & 7. poſterioris partis ſui operis: hoc eſt quæ nos pariter allegamus Caſu 3. & 7. huiuſce Belgicæ Tabellæ, qui quidem Caſus ſunt de materia homicidij ac maleficij in humanas perſonas perpetrati. Quibus in locis à nobis & ab ipſo citatur Syluester. Quòd ſi Leodiéſis velit indiſtinctum Syluestri dictum extendere ad literarum falſitatem aliáſq; res ſimiles inanimatas, ſanè non impedio.

Controuerſia de mandantibus.

Verùm profectò ſatius fuiſſet eiuſmodi mãdantes in textu expreſſiſſe, ſicuti eoſdẽ clariſſimè deſcribit atque reſeruat textus Articuli 31. Lugdunenſis. Et quod ad me attinet, mihi ſemper viſum eſt hoc in Opere obſcu-

rum Sylueſtri axioma retrahendum ad maleficia ſolis perſonis allata, propter pœnas omni iure reſtringendas ex Cap. Pœnæ *. quoties doctorum ſententiæ aut leges rem in ſuas ſpecies diſertè non deducunt: maximè circa graue reſeruationum onus. Adeóque nos ad hunc modum interpretati ſumus Articulum 10. Lugdunenſem de homicidio: ibidémque etiam iecimus fundamentum perſimilis dilatationis circa ſimiles Articulos illic & in 7. Belgico commemoratos: niſi forſan comprehendantur iſti qui mandant falſitatem fieri in præfatis literis inferioris Prælati, vnà cum mandantibus circa literas Papæ ſub nomine fautorum expreſſas parte 1. gener. Artic. 5. Verùm certè non videntur ita extendendæ pœnæ extra textum Papalem apertum. Viderint autem doctiores, vtram ſententiam malint amplecti.

BELG. SEPT.

* *cauſa. 33. qu. 3.*

18. *Solenne periurium.*

Definitur *iuramentum carens veritate*, cum reliquis circunſtantijs iam allatis Articulo 29. Lugdunenſi. Vbi ſolenne periurium hic pertinens duplex conſtituitur. Et quia ſolennitas illic deſcripta celebratur coram iudice competente licèt delegato: hîc adijcimus ex mente Leodienſis quòd reſeruatur quoque conditio iſta qua reus ab ipſo iudice interogatus peierat, aut ſaltem tacet nec ve-

BELG. SEPT. rum fatetur, etiam ductus timore probabile damni ſpiritualis vel temporalis & tandem vitæ, atque tenetur dicere veritatem, ſeruato ordine iuris. Ratio eſt quia grauiſſimè peccat, ex D. Thoma,[a] vnà cum Nauarro[b]. Is verò Caſum minimè incurrit primò qui citatus ad deponendum in crimine aut re magni momenti metuens furorem eius cõtra quem quæritur depoſitio, ſeſe abdit ne teſtetur: quia non peierat nec peccat ſi adſit iuſtus timor damni[c] venturi.

a 22. qu. 69. ar. 1.
b Cap. 25. nu. 36. & 40.
c cit. nu. 40.

Secundò, neque is qui liberatus carcere, in quo ſub fideli iuramento pollicitus fuerat prædonibus conferre centum aureos, illos numerare non vult, ſi cùm iurabat, non iurauit ſecundum mentem illorum, ſed ſuam, quæ erat vt pecunias numeraret ſi deberet, imo vero non peccat: delinquit tamen periurio promiſſorio, ſi nullo ſenſu putaſſet eſſe verum quod iurabat.

Tertiò neque is qui in aſſertorio periurio non ſatis deliberatè agit lingua præcurrente, ex D. Thoma[d]: aut qui ignorat ea quæ dicit poſt debitam allatam diligētiam minimè ſufficientem, quia ſub eſt culpa venialis tantùm cum probabili ignorantia. Cùm autem nullam adhibuit tunc eſt craſſa ignorantia cum mortali peccato hîc reſeruato iuxta ſuperiora, & ſine vllo excuſationis loco. Metus verò nõ niſi à tãto excuſat, quia non reddit actum

d 22. qu. 98. ad 2.

inuoluntarium ſimpliciter, ſed ſecundum quid, vt ſcilicet mortalis culpa ſit leuior. [c]. BELG. SEPT.

Quartó & vltimò, neque illi qui non iurant ſecundum intentionem perſonæ priuatæ interrogantis ſub iuramento circa rem vtilem neminíque nociuam, ſed nihilominus peccant: quæ ratio culpæ tollitur, ſi minis aut metu incuſſo vel importunè petatur res nociua neminiuè vtilis. Sunt præterea tres exceptiones in Caſu. 29. Lugdunenſi iſtinc quoque remouendæ. *Metus an excuſet à peccato.* c ad 1.

Cæterum abſolutus præſentis Articuli textus, in quo habetur *ſolenne periurium*, vniuerſalior eſt Articulo 29. Lugdunenſi, 14. Senonenſi, 22. Rothomagenſi, 16. Auxitano, & 23. Aquenſi: quia illi omnes Caſus reſeruant duntaxat ſolennitatem coram iudice expreſſam, vt liquet ex textibus, quæ eſt primum genus ſolennitatis. At iſte Caſus complectitur etiam poſterius ſolemnitatis genus, quæ celebratur per ceremonias exteriores abſente iudice, & coram priuatis teſtibus: quibus profecto ceremonijs apponuntur ſaltê manus ad pectus, aut ad res diuinas, ſicque peieratur, hancque vnicam ſollennitatem videtur complecti Caſus 22. Viennenſis circa virum illum qui contractis ſponſalibus de futuro cum aliqua ſub iuramento, poſtmodum ſponſalia contrahit cum alia, ſicque peierat, & prius iuramentum irritum facere conatur: & pri-

BELG. SEPT. uatam quoque habet Articulus 16. Arelatensis.

19. *Blasphemia publica & enormis in Deum aut Sanctos.*

Copiosè describitur Articulo 13. Senonensi. Quæ descriptio reperitur etiam esse conformis conceptui istius, quem edidit in lucem Pœnitentiarius Leodiensis. Quapropter sufficit hoc loco exceptiones statuere, quæ hîc non quadrant. Etenim ille in primis minimè incurrit hunc Casum qui præfatas blasphemias coram tribus ad summum profert, si modò blasphemiæ in aliorum notitiam non veniant, quia etsi sint enormes, tamen sunt adhuc occultæ. Textus verò harum prouinciarum supponit eas quoque esse publicas: proptereáque hæ duæ conditiones debent simul adesse pro constitutione præsentis reseruationis: quia Casus ex his duabus velut partibus componitur, quarum neutram deficere oportet.

Ratio autem notorij siue publici habetur parte 1. priore. Admonit. ad calcem 2. neque is qui dum aliquid iureiurando vult asserere, dicit tam verũ esse quàm Deus verus est, vel quàm verum Christi euangeliũ * &c. Quia, etsi propriè sit blasphemia quę attribuat creaturæ quod vni Deo quadrat, tamẽ non videdetur enormis, quæquidem annexa conditio ex dictis requiritur. Enormitas autẽ, cùm ex arbitrio boni viri pendeat ratione blasphemię non

* Sotus libro 5 de iustic. & iure quę. 9. artic. 1.

non ex certo canone, deprehendi videtur ex circunstantijs: primùm ſanè ex obiecto quod eſt Deus quem blaſphemamus, éſtque hæc grauior. Deinde ex modis blaſphemandi qui ſunt mali affectus deteſtãdi vel irridẽdi Deum aut ſanctos cum errore intellèctus: nõ autem ſint paſſiones vel habitus ex conſuetudine aliqua comparati, non ſint etiam ſolus error intellectus. BELG. SEPT.

Poſtremò, dignoſcitur ex qualitate perſonarum, locorũ, temporum aut variæ occaſionis. Tertiò, neque illi Galli incurrũt qui vulgato ſuo blaſphemandi more & idiomate dicunt *en despit de Dieu*, hoc vel illud faciemus (tale exemplũ effert ipſemet Leodienſis) ſiue illud ſit licitum, ſiue illicitũ. Quia, quãuis blaſpheme ment tacitè, omnipotentiæ Dei detrahendo, quaſi ipſi aliquid poſſint quod Deus impedire non valeat: tamen nõ cenſetur enormis blaſphemia 4. neque illi qui iurant per inhoneſta membra Chriſti, B. Mariæ virginis aut Sãctorum, ſicut impij & impudici homines, etſi id reſeruetur artic. 5. Aquenſi: neque per honeſta membra, vt per corpus, ſanguinẽ & caput Dei. Quia quicquid ſit de vulgi opinione, non eſt propriè blaſphemia, ſed per ſolã reductionem. Syluester.[i] Nam poſtquã verbũ caro factũ eſt dicim⁹, Deũ habere iſtas corporis partes, propter cõmunicationẽ idiomatũ prouenientẽ ex hypoſtaſi vnionũ maxima, quæ eſt diuinæ & humanæ coporeæq; naturę in Chriſto. Peccãt tamen lethaliter qui ſimilia edunt,

[i] *ſuprà 3. ad calcẽ.*

BELG. SEPT. etiam loquendo iocosè, videlicet propter insignem irreuerentiã. Nauar. [k] Similis quidem est art. 13. Senon. Verùm illic non apponũtur epitheta publicæ & enormis blasphemiæ, sed tantùm execrabilis. Quæ vox nõ habet eandẽ prorsus significationẽ quã retinent duæ conditiones præsenti articulo allatæ, quasi æquè latè pateat. Censerẽ verò ęquipollere vni illarũ, hoc est enormi blasphemiæ: vt pote quæ sua natura est execrabilis, etiãsi in occulto pronũcietur, nec credatur notoria. Eã ob causam art. Senon. inter pręsẽtes 4. exceptiones innuo luit & reseruat solã primam, nõ autẽ cæteras tres. Et Casus 5. Aquensis ambit quartã, aliásq; appẽdices, cũ reseruet priuatã blasphemiã.

k cap. 12 nu. 85.

20. *Insignis contumelia sacrosanctæ Eucharistiæ aut sacris Sanctorum reliquijs.*

Hoc caput duas partes cõplectitur, petitas ex subiectorũ diuersitate, circa quæ versatur eiusmodi iniuria. Complectitur enim contumeliam illam qua inuerecundè afficitur sacramentũ altaris, & illam quæ infertur sacris Sãctorũ reliquijs. De priore sat dictum est art. 2. Rhemensi cum quinq; exceptionibus: & natura cõtumeliæ in vniuersũ ibidem allata est. Quæ singula vidimus postea à Leodiensi eodem sensu tradita cap. 10. sui Operis.

Supersunt hîc alia pauca adijcienda cum eodem Authore, de ipsius contumeliæ natura aliísque exceptiunculis. Hæc contumelia seu iniuria verbalis, in quancunque materiam ir-

rogetur, habet annexam obligationem restituendi. Ratio est, quia cùm iniuria illata bono pecuniario resarciatur: multò magis iniuria præcisè illata honori cuiuspiã, quæ à D. Thoma nuncupatur cõtumelia. Satisfactio autem pro alieno honore sublato contumeliosè, est petere veniam à læso, seu per se, seu per interpositam personam, suam culpam apud læsum agnoscẽdo si nõ honorificis verbis alijs priori contumeliæ oppositis, saltem signis æquipollentibus. Syluester verb. *Contumelia* qu. 4. Modus satisfaciendi per verba, quem non aperit Syluester, poterit esse exhibitio honoris quẽ quis dehonestauit: per signa autem vel facta qualis est capitis apertio vel maior reuerẽtia pro ratione seu qualitate ablati honoris. Sic ferè docet Couarruuias lib. 1. variarũ resolutionũ. * Quæ verò contumelia in particulari dicenda sit insignis, vt optat textus, id certè pendet magis ex prudẽtis viri arbitrio, quàm ex generali & vniformi quadã regula. Quod quidem arbitrium duo potissimum videtur attendere debere.

BELG. SEPT.

2. 2. qu. 72. ar. 1.

* cap. 10 nu. 7.

Primum est intentio proferentis, si verbalis est contumelia, quia verba non lædunt nisi quatenus significant, quæ significatio ex interiori proferentis affectu procedit. * Propterea totum hunc Casum vix vnquam incurrit Catholicus bene affectus erga sacram Eucharistiam Sanctorúmque reliquias: frequentissimè verò hæreticus,

* D. Th. cit. art. 2.

BELG. SEPT. Secũdum est qualitas personarũ, locorum, temporũ, occasionis, & reliquarũ circũstãtiarũ. Iam quòd attinet ad secũdam articuli partẽ, quæ de sacris sanctorũ Reliquijs est: ipsæ, pro reseruationũ notis, eãdem generalẽ normam admittũt, quã nũc extulimus, quámque habet præfatus Casus Rhemẽsis: quandoquidem illa cõtumeliæ descriptio communis est quibuscunque materijs; & dũtaxat in partes deducitur cum exiguo forsan circunstantiarũ incremento, quãdo speciali & peculiari materię aptatur. Iam ergo accedamꝰ ad aliquot exceptiones: ex quibꝰ prima peculiaris est sacris reliquijs, & sequẽtes deinde communes. Illi enim hũc Casum minimè incurrũt, qui easdẽ reliquias absque reuerentia circũferũt, vt ex illis quæstũ faciãt, quãuis hoc grauissimè prohibeatur in Ecclesia. Est enim id materialis quædã contumelia, præter intentionem perpetrata: quæ nimirũ insignis non est. Similéq; occurrit dicendũ in secunda exceptione articuli Rhemensis. Secunda cõmunis vtrique parti, est quãdo quis inter pocula & profanos sermones miscet dictiones aliquas tũ Latino tum vulgari idiomate quæ pertineãt ad sacramentũ Eucharistię vel ad sacras reliquias, siue nomina eruantur ex sacra Scriptura, siue non. Quia etsi hęc contineãt sępe peccatũ lethale, non tamen reseruandũ, cùm nõ adsit insignis contumelia: nisi certè interueniant grauiores circunstãtiæ prudenter examinãdæ ex dictis.

2. pars, de Reliquijs.

De qua intima cõtumeliæ natura vna cũ derisione plura ex actiùs habẽtur sequẽti articulo sub secũda exceptione. Quòd si temerè verba torqueãtur ad detractiones aut impias superstitiones aut ad id genus alia, quæ perspicuè satis contineãt insignem contumeliam, tunc haud dubiè reseruatur tale peccatũ: quia eiusmodi violatores & vsurpatores verbi Dei grauiter præcipit Concilium Tridentinum pœnis coërcẽdos ab Episcopis, ad calcem Sessionis 4. huiúsq; exceptionis nõ meminit Leodiensis. Imò si interueniat magia, tunc pertinebit ad sequentem articulum. Tertia exceptio est quando aliquis dicit Eucharistiam in Ecclesia Latina posse cõfici in pane fermentato, vt necessarius non sit azymus, vel etiam id præstet, videtur id peccatum mortale non inducere insignem contumeliam, quia verè conficitur sacramentum, nec improbat Ecclesia Romana hunc morem in Ecclesia Græca. Est etiam quando quis asseuerat Eucharistiam non esse necessario circunferendam per vias in processionibus, licèt peccetur: quia etsi Concilium Sess. 13. Cap. 5. dicat id esse pium, honorificum, æquissimum, & obseruandum: tamen aduersantes consuetudini nullis pœnis coërcet; secus verò si hæretico affectu id proferatur. BELG. SEPT.

Alios eius generis errores vix insignes & leuiores collige ex reseruatione Articuli 23. Lugdunensis. Incurritur verò hac in parte

BILG. SEPT. præſens Caſus ſi quis aſſerat Euchariſtiam non cõtinere gratiam iuſtificãtem, aut eam nõ cõferre ex opere operato, in ea Chriſtum non eſſe quantum, Sanctorum reliquias non eſſe aſſeruandas aut honorandas dulia, & ſimilia. Propter primum quidem incurritur, quia directè aduerſatur ſententiæ vniuerſalis Eccleſiæ & aperto Canoni ſexto Tridẽtino de gratia contenta ſub omnibus ſacramentis Seſſ. 7. vbi additur anathema ipſo facto & ex conſequenti ſuſpicio de hæreſi, qui iſta pertinaci animo enuncient.

Protheſes circa Euchariſtiã. Per ſecundùm verò incurritur: quia Seſſ. 13. Canone 1. anathema quoque infligitur eis qui negant totum Chriſtum, necnon eius corpus & ſanguinem verè & realiter eſſe in ſacramento Euchariſtiæ: & perinde ijs qui negant eundem eſſe quantum ſub ſpeciebus panis & vini,

Per tertium autem incurritur: quia veneratio reliquijs Sanctorum debita, & in terra ſeu in Eccleſia militante latitantibus, eſt eiuſdem ordinis ac dignitatis, quæ & veneratio eorundem Sanctorum in cœlis regnantium, ipſorúmue inuocatio, eo quòd eſt idẽ reſpectus, idem finis, & eadem mẽtis noſtræ actio. Signum & indicium grauitatis iſtius peccati, inſeritur Seſſ. 25. Concil. Tridentini, cap. de inuocatione, vener. & reliquijs Sanctorum, vbi Synodus decernit eiuſmodi negantes talem honorem, quod eſt contumelia reliquijs

irrogata, omnino damnandos esse, prout iam-pridem eos damnauit, & nūc etiā damnat Ecclesia. Quæ duæ superadditæ exceptiones cōpetunt quoque Casui 2. Rhemensi, à quo pariter remouentur: Sed & quinque illic commemoratæ, aptatæ Sacris reliquijs, istinc rursus excipiuntur. De postremis hisce duabus non meminit Leodiensis.

BELG. SEPT.

Et circa reliquias

21. *Abusus sacrosanctæ Eucharistiæ, aut sacrarum reliquiarum, vel etiam sacræ Scripturæ ad exercitium artium magicarum.*

Duæ sunt Articuli partes. Vna est de abusu Eucharistiæ, & perinde sacrarū reliquiarum: altera de abusu sacrę Scripturæ. Circa partem priorem, congrua abusus exempla traduntur in Casu persimili. 7. Parisiensi, cui iste æquatur, veluti etiam artic. 24. Lugdunensi, & 2. Aquensi. Quæ exempla cum simplici abusu petuntur ibidem ex hostia in pulueres redacta sine vllo ad magiam respectu, & ex Missa mortuorum celebrata pro viuis: qualia etiam hîc exprimit Leodiensis. Qui quidem ad propositum huius sui Casus & textus adijcit sacras reliquias in pulueres redactas aut ad prophanum ac odiosum vsum alium pertractatas.

Quæ est altera Capitis pars. Et hoc totum hîc reseruatur non simplici intuitu, vt in Parisiensi, sed quatenus tenditur ad magicas artes exercendas.

BELG. SEPT. *Superstitio.*

Hæc verò magiæ species appellatur superstitiosa primo Decalogi præcepto prohibita: per quam ex pacto cum dæmone (etiam implicito) nonnulla fiũt quę naturalia videntur, siue adhibitis rebus naturalibus, siue absque illis: non tamen tanquam causis, sed quasi signis. Estq; hoc peccatum circa Eucharistiam prima & grauissima species sacrilegij: [m] necnon religioni aduersatur, quæ est præcipua inter virtutes morales. Temporalis autem pœna præfatorum Sacerdotum habetur cap. *Quicunque Sacerdotum* 26.qu.5. quæ est ordinis depositio, & perpetuum exilium.

[m] Tho. 2.2. qu. 99.art.3

Excipiuntur verò ab hoc Casu illi primò qui sacras reliquias vel scripturæ verba in collo appensa deferunt, quô à malis tum corporis, tum animi præseruentur: vt Psalmum *Dirupisti Domine*, & Euangelium *In principio*. Modò absit superstitio, quæ deprehenditur 1. ex additione dictionum vel orationum nihil significantium 2. si dictiones ad propositum minimè significẽt 3. si addantur certæ figuræ, circuli, aut characteres, præter signũ crucis: [o] & 4. si nomina ignota: quia tunc peccatum reseruatur.

[o] 2.2. q, 96.ar. 2. & qu.97 ar.4. Nauar. cap. 11.nu.30.

Secundò, & illi eximuntur qui sententijs ac verbis sacræ Scripturæ ad fabulas, & adulationes seu detractiones abutuntur: quanuis grauiter peccent cum pœnis statutis in Concil. Trident. citato in secunda exceptione præcedentis Articuli.

Quòd ſi ad illas vaniſſimas verborum fabulas addatur exercitium magicarum artium: tunc certè illæ adulationes & fabulæ iſtic reſeruabuntur. Porro non eſt quod putes eandem eſſe hanc exceptiunculam cum ſecunda antecedentis Caſus vigeſimi. Nam illa preciſè eſt de verbis contumelioſis: iſta verò de verbis deriſorijs, detractorijs, de conuitijs & improperijs. Differunt autem hæc ſingula, ſi penitiùs paulò cum D. Thoma [p] conſiderentur: qua ſedula ſpeculatione cognoſces contumeliam natura ſua eſſe peccatum grauius cæteris allegatis, etſi habeant affinitatem ratione finis ſeu formalis obiecti.

BELG. SEPT.

p 2.2.qu. 72.ar.1.

Qui enim in primis obijcit alteri malum culpæ ſecretæ vt lædat eius honorem, ei infert contumeliam [q]: & verè dicitur contumelioſus, obiecti materialis. Detractor autē lædit [r] famam duntaxat *. Quippe honor eſt reuerentia in virtutis & dignitatis ſeu magiſtratus teſtimonium: quam omnem qui tollit, contumelia afficit. Et fama eſt ſolus diuulgatus rumor ſiue bonus, ſiue malus, ſiue verus, ſiue falſus, cui ſolùm detrahitur.

q ad 3.

*r qu.73. art.1.

Quòd verò ad contumeliam attinet, ea erit inſignis & reſeruata per caput antecedens, ſi obijciatur culpa valde grauis necnon occulta ijs qui adeſſe & audire poſſunt. Non inſignis verò, ſi detegetur culpa ſatis leuis, & proinde eximitur à precedenti Caſu. Culpa grauis videtur eſſe quando quis appellatur

BELG. SEPT. fur,hæreticus,rapax,vsurarius,perduellis.Leuis autem,si quis alium vocet nebulonem,auarum,ambitiosum(quorum vitiorum notitia & latitudo semper creditur valde anceps, cùm agentis intẽtio vt plurimùm ignoretur) aut si quis plebeïus nobilem percutiat,si id agat vt eum ignominia afficiat.Deinde ratione modi iterum discrepant:quia contumelia sæpiùs fit in præsentia cum impudenti audacia, non tantùm verbis allatis aut similibus alijs, sed etiã signis mutis& factis seu gestis,vt quãdo quis alteri nasum vel pollicem ostentat: quod vilitatem & abiectionẽ rei ostensæ designat,Soto lib.5.[r] De Iustitia & iure: non tamen videtur insignis. At detractio fieri solet in absentia, quamuis non semper. Detractor enim veretur eum cui detrahit:& inde emergit sæpe peccatum susurrationis expositum infrà in 7.Casu Monachali.

r qu. 9. art.1.

Quòd si culpa quæ alteri obijcitur sit notoria tum ijs qui audiunt,tum alijs:sanè etiãsi crimen sit graue, non tamen censetur esse insignis contumelia, quia alius ipso turpi facto manifesto se cunctis antea prodidit: vt verbi gratia se esse hęreticum,concubinarium,vsurarium. Quæ exempla etsi non conueniant proposito themati, tamen explicationis gratiâ afferri debuêre cum D. Thoma: conueniẽtia autem huic materiæ sunt hæc fortassis, vtpote si quis dicat Eucharistiã respectu formæ minus bene à Christo institutam, aliam

materiam quam vinum ſtatui debuiſſe, in ſacrificio Miſſæ non ritè offerri, & tales ritus cenſeri vitioſos vel ſaltem inordinatos ac imperfectos, cùm dictum ſit de *Christo omnia bene fecit*, & inſuper huius generis exempla alia ſunt allata ſub finem artic. 7. Pariſienſis. Quæ omnia ſi non ſeriò dicātur, ſed deriſoriè: hoc etſi perſona de qua eſt ſermo (quæ hîc ſit Chriſtus ſacramentorum inſtitutor) æſtimetur à deriſore exigua, & tanquã nullius energię habeatur: tunc profectò talia peccata ſunt veræ deriſiones ex D. Thoma [f]. & ſunt lethalia, imò grauiora, ſi irriſio ſit de rebus ad Deũ pertinentibus, qualia extant ſacramenta. Ratio autem quare eiuſmodi culpę ſunt certiſſimè deriſiones, eſt quia res illæ habentur vt paruæ & leues in mẽte deriſoris: cùm tamen à diametro ſint maximæ & ingẽtis ponderis. Quæ ſanè culpa cùm ex ipſo Authore ſit grauior contumelia: ideo hîc ſub contumelia cõprehenditur, tanquã aliquid grauius & ex cõſequenti reſeruatũ cum leuiori in litera apertè reſeruato, eo quod vtrũq; contineatur ſub eodẽ flagitij genere, ex allegatis ĩ pręfato Pariſiẽſi circa huiuſmodi rerũ ſubordinationes. BELG. SEPT. [f] *par. cit. qu. 75. art. 2.*

Præterea, contumelia obiecto materiali differt à conuitio & improperio. Qui enim obijcit vitium culpæ & pœnæ ſimul, aut ſolius pœnę; is infert conuitium: vt qui iniurioſè alicui dicit eum eſſe cæcum, gibboſum, ſimum: quòd ſanè leuius eſt quam contumeliâ, & pertinet ad exceptionem iſtius articuli

BELG. SEPT. ſi modo exempla adaptentur ſacræ Euchariſtiæ. Vitium enim non eſt ſolùm animæ, ſed etiam corporis: colligitur ex Cicerone pro Cluentio, & Aulo Gellio. Qui verò alicui obijcit defectum, indigentiam, & acceptum à ſe beneficium ſine cuius ope mendicaſſet, is propriè dicitur improperare. Quæ materia mutabitur retentis formulis, & reuocabitur ad ordinem præſentis inſtituti, vt ſi quis dixerit Euchariſtiam eſſe ſacramentum penè vacuum, egenum, non tantam nec talem cõferre gratiam, qualis prædicatur. Et hoc totũ eſt verè improperiũ minoris momẽti quàm ſit contumelia, & ſeorſum pertinet ad exceptionem præſentis articuli, ſimul cum conuitio: quod facilè patet, quia non ſunt cõtumeliæ, & non miſcentur etiam cum magia, nec ad eam tendunt, veluti poſtulat præſens textus. Hæc de iſta controuerſia.

Iam tertia exceptio huiuſce loci eſt de illis qui magijs ſuis admiſcent aquã benedictam candelas benedictas, agnos Dei conſecratos, vel ramos oliuarum: licet peccetur lethaliter. Eo quod iſta nec ſunt Euchariſtia nec ſacræ reliquiæ, vt iterum efflagitat textus. Quòd ſi per illa nocumentum alicui inferant, incurrunt alium Caſum iſtius Prouinciæ, nempe maleficij aut veneficij, articuli 6. & 7.

Quartò, & illi eximuntur qui ad ſuos magicos effectus producendos aſſumunt oleum ſacrum baptiſmatis, Confirmationis, aut ex-

tremæ vnctionis: quia hæc sacramenta vel sacramentalia, non sunt illa quorum meminit præsens reseruatio, cùm sit de vnico eóque Eucharistiæ sacramento.

BELG. SEPT.

Quintò, & multò magis excipiuntur illi qui vtũtur magia artificiali aut naturali: (sunt enim tres magiæ species, è quibus sola prima reseruatur) artificiali, quidem, per quam humana industriâ fiunt mirabilia: naturali verò, per quam causis naturalibus adhibitis stupēda quædam per Physicos excitantur; vt saliua hominis ieiuni quam tradit Plinius [t] necem afferre serpentibus; tum illud D. Augustini [u], de annulo vi magnetis pendente, qui secundum annulum trahebat & secundus tertium ac cæteros plures, vnde veluti cathenam in aëre suspensam efficiebat & tandem sicut illud in Epyro fonte in quo faces extinctæ accenduntur [x] progrediamur vlterius.

t lib 1. natural. histor.

u lib. 21. de ciuit. Dei cap. 4.

x Idem eodem cap. 4.

Iste Articulus implicitè continetur in 5. Casu communi, qui est latior. Deinde Casus 24. Lugdunensis est isto quoque amplior. Nam cùm loquatur de abutentibus oleo sacro in genere per incantationes, complectitur insuper quartam exceptionem huius loci, hoc est abusum aliorum sacramentorum, in quibus est vsus olei sacri cuiuscunque. Et articulus 12. Rothomagensis est rursus vtroque capacior: quia includit sortilegos abusus omnium sacramentorum Ecclesiæ. Ipsique Rothomagensi non obscurè æquantur Ca-

De superioribus Tabellis.

BELG. SEPT. sus 6. Parisiensis, 13. Bituricensis, 2. Ebredunensis & 3. Rhemensis. Attamen, cum Casu 11. Rothomagensi & 7. Parisiensi, adhuc numerantur 2. & 3. exceptiones, si leuiores paulò superstitiones illic commemoratæ admisceantur aliquibus sacramentis: quia ipsi articuli loquūtur de inordinatione & abusu, hoc est de minori quàm sit ipsa magia. Imò ijdem abusus cōtinentur absolutè ac sine restrictione sub 7. Casu Parisiensi & 3. Rhemensi, scilicet abusus circa res alias sacras quàm sint sacramenta: quod sanè denotant generalissimæ voces abusus cuiuslibet rei sacræ atq; similium superstitionum, veluti patet ibidem.

22. *Omnes Casus occulti S. Sedi Apostolicæ alioqui reseruati: item excommunicatio, suspensio, & irregularitas ex his prouenientes: dempta tamen irregularitate ex homicidio voluntario proueniente: nam hi Casus Episcopo sunt concessi per S. Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. Liceat Episcopis.*

Hisce verbis loquitur Leodiensis, præsertim in Casuum anacephaleosi. Cuius textus quia conficit Casum communissimum in orbe Christiano, & de quo nos fusè diximus par. 2. gen. art. 3. & 4. ideo talem articulū tanquam nulli Diœcesi proprium hîc aperire opus non est: sicque Belgium inferius seu Septentrionale, quod plures capit Episcopatus, habebit solummodo 21. Casus. Neque rursus necesse est iterare aliqua ex ipsius in eam rem commentariis, quæ is Author subinde apposuit. Quippe iam singula accuratè dictauimus

in 1.& 2.par.gen.Porro,ıſtic quoque compũtandi ſunt reliqui articuli totius Duodenatij expoſiti initio præfatæ 2.partis. BELG. SEPT.

Admonitio vniuerſalis.

Cùm igitur nihil ſuperſit: lectorem de hoc vno duntaxat monemus. Videlicet nos ideo prolixiores fuiſſe in enarrandis Caſibus iſtius prouinciæ, quòd Cameracenſes aliique ſuperiores Eccleſiaſtici ſeu Belgiæ comprouinciales ſuſcipiant interpretationem & diuerſas exceptiones ibidem allatas, eáſque ex rerum natura petitas: & quę propterea in ſuperioribus Gallicanarum prouinciarum Tabellis ita commode ſtatui non potuerũt, ſaltem non omnes, ſed aliquot earum partes duntaxat. Ex quo factum eſt, vt nonnullæ exemptiones quæ pertinere videntur ad ipſas Tabellas,ſeu ad earum articulos & textus; eæ in hac Tabella faciliùs & exactiùs proponi potuerint. Itaque, ſic iſtæ exceptiones referuntur ad ipſos præfatarum Tabellarum Articulos qui in hac tota Tabella paſſim citantur,& ad quos eam ob cauſam remittimus,vt res vniuerſa quaſi in vnum cõponatur. Adde quòd frequens relatio vnius Tabellæ ad aliam aut vnius Caſus ad alterum ſimilem, id affert cõmodi & emolumenti vt iuſti commentarij loco eſſe poſſit.

Quippe, præclara illa quæ inter Tabellas ineſt cõmunicatio ac diſtributio ſtudioſũ Paſtorem magis induſtrium efficit, propoſitum thema familiare reddit, plurimùm delectat,

BELG. SEPT. & varia regionum ingenia ad historicæ narrationis formam instruit, vt homines rationum momenta concipiant, quibus aliæ Ecclesiæ se in spiritualibus gerant per cæteras quasque prouincias ad extremos penè fines orbis Christiani, ipsique Articuli sese mutuò exponunt atque declarãt. Cæterùm hîc omittimus vtiles obseruationes quas commemorat Leodiensis circa sacramentalem confessionem & absolutionem cuiusque Casus suæ prouinciæ. Nunc verò, prò corollario omnium Tabellarum, sequuntur postremi Casus, qui sunt Monachales.

TABVLA 17. & VLTIMA.

CASVS COMMVNES reseruati Prælatis Fratrum Regularium seu Monachorum: editi per Fr. Petr. à Sancto Audomaro, & sub aliis expositiunculis commemorati in calce Tractatus Ioannis Chappeauille.

1. *PRoprietarij contra paupertatis professionem in re notabili, Superioribus spretis vel inscijs: ac ementes aut vendentes sine eorundem consensu.*

Sic Au-

Sic Authoris ſcripta contraximus pro textu Caſus ſeu Articuli primi Monachalis. Qua in re mirum non eſt ſi id peccatum proprietatis inter Religioſos violatæ reſeruetur. Nã tales paſſim Canonibus præcipiuntur remouendi ab altari, & è Monaſterijs expelli: 16. quæſt.6. De lapſis. Cap. Monachi. & Cap. Cũ ad Monaſterium. De ſtatu Monachor.* Ratio eſt quia ſtatus Monachalis ſeu Chriſtianæ perfectionis acquirendæ cũ proprietate nullo modo conſiſtere poteſt.

*lib. 3. Decret. tit. 35.

2. *Sacrilegium comittentes.*

Id trifariã intelligitur: primùm per leuem iniectionem in Clericũ, à qua Superior monaſticus abſoluere poteſt, licèt inter Clericos ſeculares & laicos reſeruetur Epiſcopo, ex parte 1. articulo 1. Secundò profanatores ſeu violatores locorum ſacrorum per commeſſationes ſeu contaminationes, prætet alia contenta in parte 2. artic. 7. 8. 9. 10. Tertiò, qui res ſacras furantur vel indignè profanant, vt ſacramenta, ſanctorum reliquias, imagines, vaſa, veſtes, & alia ſacris myſterijs per conſecrationem deputata. Simoniaci autem, etiam religioſi, ad Papam remittuntur, ex parte 1. art. 28. & 29.

3. *Rebelles & contumaces.*

Eiuſmodi ſunt qui Superiorum monitis ac præçeptis obedire nolunt & qui in ſua ſententia inuito ſuperiore perſeuerant. Inter

quos munerantur conſpiratores contra communitatem aut Prælati perſonam in eius perniciem, in mortem, in percuſſionem aut dignitatis priuationẽ, cum dantibus conſilium inter fratres: etſi omnes iſti conſpiratores aut conſulentes immediatè non percutiant, aut priuent dignitate. Et reuera mandatur vt de proprio gradu deijciantur 11. qu. 1. Coniurationum. Eſt autem idem Monachi coniuratio ac conſpiratio eiuſdem. Cap. *Si qui Clerici.* cum duobus ſequentibus ibidem: Qui, de illo crimine conuicti, infames efficiuntur, Cap. Cõſpirationum ibidem: nec in accuſatione recipiendi ſunt, 3. qu. 4. Conſpiratores ex Concilio Calcedonenſi, & tribus capitibus ſequentibus.

4. *Exeuntes extra Monaſterium ſine licentia & habitum alterantes.*

Tales qui exeunt, ſunt tam Apoſtatæ incõpleti de quibus ſcribitur in 1. Caſu Belgij Septentrionalis, quàm alij non apoſtatæ, de quibus parte 2. gener. artic. 21. 22. 23. Qui tres articuli partis 2. illic quidem ſunt communes Parochis, religioſo extra Monaſterium ſtudente cum permiſſu ac peccata confitente. At iſtic reſeruatur quandiu ipſe ad manus Superioris peruenit, aut in Monaſterio degit & confitetur.

5. *Arma tenentes intra ſepta Monaſterij.*

Articulus 17. partis 2. gener. illic nemini

reſeruatus, iſtic apertè reſeruatur. Niſi religioſus forſan extra Monaſterium cum venia diuerſetur: quia tunc in Academijs aut alibi à Parocho loci abſolui poteſt ob non reſeruationem in iure, & ſublata omni fraude.

Hæc quinque articulorum capita creduntur reſeruata primo Prælato, & in omnibus pœnè Cœnobijs eſſe tanquam communia.

6. *Fures in re alicuius precij: vt in libris, vtenſilibus, vaſis, linteis, aut rebus ad victum pertinentibus.*

Iam id vel ſimile conſtituit Caſum 25. Senonenſem, qui reſeruatur inter ſeculares Clericos & laicos, ſub titulo retinendi malè ablata. Sed hîc peculiari præcepto extenditur ad Monachos. Presbyter enim in furto deprehenſus ab omni gradu deponitur. Vnde multò magis reſeruari debet tale Monachi peccatum qui perfectionem ſtatus humani ſectatur. Cauſa 12. tota quæſt. 2. Excipitur verò furtum aciculæ, calami & huiuſmodi minutorum, quæ nullius aut parui ſunt precij.

7. *Seminatores diſcordiæ dicto aut facto, & ſuſurrones amicitiam diſſolutam non colligentes.*

Et reuera tales debent damnari à Prælato, ex Cap. *Diſcordantes.* Diſtinc. 90. in Concilio Carthagineſi. Natura autem ſuſurrationis eſt hîc deſcribenda. Ea autem pendet à notitia

detractionis allata in secunda exceptione articuli 21. Belgici. Conueniunt quidem in materia, forma & modo loquendi, nimirum circa proximi famam: quia vtraque iniuria malum de proximo dicit siue clam, siue palam: de quo Ecclesiast. 5. fine tamen differunt, eo quòd detractor intendit duntaxat denigrare famam proximi: susurro autem vlteriùs fertur, scilicet per hanc famæ detractionem intendit amicitiam inter Collegas separare, discordiásque in communitate seminat, teste Glossa in illud Roman. 1. *susurrones*. teste etiam Eccles. 28. Prouerb. 6. & 26. Inde susurratio est maius peccatum detractione: quia maius est nocumentum quod infertur communitati, quàm priuatæ personæ per detractionem læsæ & offensæ.

Et præterea per id nocumentum aufertur maius bonum, quod est bonum amicitiæ excellentiùs cæteris exterioribus bonis, quia sine amicis nullus viuere potest; Eccles. 6. & Aristot. 8. Ethic. cap. 1. Atque hęc singula narrat D. Thomas, 22. tota quæst. 74. Ex quibus liquet contumeliam & derisionem reseruatas articulo 20. Belgico inter populum & clericos seculares, hîc denuo reseruari inter Monachos, quia ex D. Thoma passim censentur peccata esse æqualia susurrationi. Sed hoc discriminis est inter contumeliam seu irrisionem, hic & illic reseruatas, quod illæ iniuriæ

tendant in ignominiam ſacræ Euchariſtiæ; iſtæ verò ad diſcordiam in Cœnobio excitandam inter fratres, extra omnem ſacramenti actionem: ſi præſertim reipſa fuerint commotæ ex eo diſſenſiones. Quæ tamen, non tradit Author horum Caſuũ in ſuis ſcholijs.

Eiuſmodi autẽ ſuſurrones tenentur quam diſſoluunt amicitiam colligare, quemadmodum qui detrahit bonam famam reparare: cùm fama & amicitia ſit bonum præſtantius quàm bonum pecuniariũ, ideóque eius damnum neceſſario reſtituendum Nauarrus cap. 18.nu.41.poſt D.Thomam *.

Tenetur etiam infamans ad eam reſtitutionem ablatæ famæ, quando detegit verum delictum occultum, ex D.Thoma [a] & eodem Nauarro [b], non quidem aſſerendo ſe falſum dixiſſe, ſed male loquutum fuiſſe. Nec excuſantur à reſtitutione per compenſationem illi qui ſe mutuò infamarunt [c] attamen alij cenſent excuſari à reſtitutione Tolet. lib. 5. cap.70.

Excipiuntur verò à præſenti reſeruatione ac reſtitutione, primò illi qui nocere volunt, noxa non ſecuta [d]. 2. quando infamans, niſi cum vitæ periculo, aut alias graues ob cauſas famam reſtituere non poteſt [e]. 3. quando diffamatus culpam infamanti condonare vult: & id præſtare poteſt, ſicut, pecuniæ debitum remittere, ſi ſunt iuſtæ condonandi cauſæ, ex

* 2.2.qu. 62.ar.2.

a qu.72. ar.3.

b cit.nu. 45.

c nu.47.

d nu 44.

e nu 43.

f 2. part. tit. 2. c. 1. § 3. & Nau. nu. 46.

g nu. 50.

D. Antonino [f]. 3. & is qui aliena delicta à se audita otiosè solùm refert absque affirmatione, quamuis auditores ea credant [g]. 4. & is qui loquitur in personam infimæ sortis, & auditores sunt prudentes, nec eos mouet narratio, aut si res leuis sit quæ notabilem famæ iacturam alteri, etiam honestæ conditionis, non faciat.

Quintò & is ab eadem reseruatione & restitutione excusatur qui dum alterius peccatum refert, simul quoque eius pœnitentiam reuelat, quia eũ potiùs tunc honorat. Ad extremum, & is excipitur qui solam remotam occasionem infamiæ præbuit, vt qui ioco loquitur. Vide latiùs Nauarrum. Tolet. &c.

8. *Reuelantes ea Capituli secreta quæ simultates generant, vel infames & odiosos aliquos reddunt.*

Is enim fraudulenter incedit, 5. quæst. 5. *Qui ambulat*. Et id exponit Nauarrus ad sensum præsentis Articuli cap. 20. num. 62. quia reuelans lethaliter peccat, si aduertat inde secuturum notabile damnum aut notabilem discordiam. Itaque excipitur detectio eius secreti *quæ nulli affert damnum.*

9. *Lusores alearum & taxillorum.*

Nam per hoc peccatum facilè incidunt in alia tum proprietatis, tum sacrilegij peccata superiùs inter Monachos reseruata. Quapropter id turpe est ac indecorum religiosis: &

vetatur ex distinc. 35. cap. *Præsbyteri.*

10. *Peccatum mortale circa omissionem quotidianæ recitationis horarum canonicarum.*

Quippe, si non inter Clericos seculares, saltem inter regulares & monachos reseruatur, cùm ad statum perfectionis tendant, vt docent authores initio iam citati. Istæ vero omissiones fusè habétur apud Nauarrum cap. 25. à nu. 92. ad 107. Vbi profecto notandum, quòd etsi Clerici seculares non teneantur ad horas recitandas nisi habeant vel ordinem sacrum vel beneficium: tamen Religiosi illi qui deputantur ad chorum, si horas canonicas omittunt per totum diem, peccant lethaliter toties quoties, & reseruatur peccatum vi præsentis Articuli, quamuis nullum ordinem sacrum vel beneficium habeant. Fortassis verò excusantur & excipiũtur illi Monachi qui notabilem horarum partem oneris diurni scienter omittunt, etsi vnà cum seculari Clerico mortale peccatum omnes committant num. 97. Quia enim id litera non sonat, sic videntur pœnæ restringendæ.

11. *Molles qui soli sine concubitu per effusionem seminis seipsos polluunt,*

Optimè adhibetur epithetum soli, propter perfectionem vitæ, quam Monachi cæteríue Religiosi comparare debent in Claustris, quibus sanè per totum vitæ cursum se

deuouerunt. Etenim si voluntaria pollutio accedat cum alio, iam videtur fere esse reseruata inter laicos & seculares Clericos, saltem in Diœcesibus Rothomagensi & Parisiensi, ex Articulo 25. Rothomagen. & 10, Paris. Excipitur pollutio citra voluntatem aduemiens.

En sex reliqui Casus, qui tanquam leuiores quandóque à religiosorum Prælatis permittuntur & relinquuntur absoluendi quibusdam Religiosis Sacerdotibus, nec sunt ita certo communes in omnibus Cœnobijs.

Cæterùm præter hosce vndecim Casus, locum etiam habent inter Religiosos, velut inter alios omnes catholicos seu membra Ecclesiæ, quinque Casus communes huius tertiæ generalis partis, & quotquot in 1. & 2. generali parte commemorantur. Attamen eidem Regulari Prælato videntur reseruatæ omnes reliquæ excommunicationes maiores, quæ per Articulos 40. inter seculares nemini reseruantur in 2. parte; sicut hîc etiam censet præfatus Author in Casu 4. nimirum ob vitæ perfectioris studium in quo versantur versarique debent Religiosi.

BREVIS ANNOTATIO.

REligioſI Mendicantes qui ex Pontificio Priuilegio poteſtatem habent audiendi confeſſiones parochianorum ſeu extraneorum, debent tamen priùs per ſuos prouinciales Miniſtros humiliter ſuo Archiepiſcopo vel Epiſcopo præſentari, pro ea obtinenda licentia in vno quoque Epiſcopatu & Fratrum familijs: quamuis non ſemper neceſſaria eſt præuia admiſſio & receptio, poſita iuſta audiendi cauſa, dummodo ſint idonei & capaces ardui huius muneris. Cæterum venia ſemel obtenta, tunc poſſunt ipſo facto abſoluere à peccatis, non tamen à quinque communibus in iure & ex veteri ſeu generali cõſuetudine ſuprà approbatis ſine cenſuræ incurſione. Vide initio tertiæ iſtius partis generalis, ex cap. *Inter cunctas* lib. 5. Extrauagantium com. vt etiam cenſent S. Antoninus [t] atque Sylueſter [u]. Multóque minùs poterunt abſoluere ab excommunicationibus Epiſcopalibus quæ habentur initio ſecundæ partis per articulos 12. At verò ex Nauarro, [x] tales fratres neque etiam circa Epiſcopales illos particulares caſus abſoluere poſſunt, niſi ſingularis poteſtas eis ad id facta ſit ab Epiſcopo. Sícque illi Doctores bifariam interpretantur Clementinam Dudum. §. Si verò lib. 3. de ſepulturis [y]. Iuxta quem textum,

t 3. *part. tit.* 17. *cap.* 11.
u *verb. Cõfeſſor.* 2. 4. & 5.
x *ca.* 27. *nu.* 266.
y *tit.* 7.

qui est Clementis 5. habent pręterea illi Religiosi potestatem absoluendi à maioribus excommunicationibus permissis cuique pastori Curato, quales apparent in 2. par. ad numerum 40. Articulorum.

EPILOGVS.

EX allatis Galliarum Tabellis apertè liquet Synodos præfatorum Archiepiscoporum, & cuiuscunque Archiepiscopi orbis Christiani, duplicis esse generis. Sunt enim vel prouinciales, vocatis Suffraganeis Episcopis; vel duntaxat Episcopales & propriæ Diœcesis. Si primum: Casus ibidem constituti locum etiam habent aliquando in ipsis Episcopatibus Sedi Archiepiscopali subditis: vt constat in Tabella Rhemensi, non autem ita clarè in Rothomagensi, Bituricensi aut cæteris, quòd sæpiùs etiam fieri non assolet. Sin autem secundum: ipsi Casus vim tantùm retinent in Episcopatu Archiepiscopi. Et tum reliqui Episcopi, si malint nullos sibi peculiares Casus reseruare, saltè habent quinq; Casus communes absque censuris, & duodecim cum censuris, quos retinere debēt ex generali & antiqua Ecclesiæ vniuersalis consuetudine: vel poterunt accommodare se ad Casus sui Archipræsulis, & sanè id præstare congruit non solùm ad ritum Galliæ Belgicæ inferioris, cuius omnes Episcopatꝰ eosdem pas-

ſim Caſuum articulos habere dignoſcuntur, quorũ retinent vſum; verùm etiam iuxta exactiorẽ formulam Belgij ſuperioris ſeu totius Rhemenſis prouinciæ, vt nos antea in ſingulis ferè locis & tabellis diximus. Reliquæ autem nationes quærant & publicent ſuos quoque Caſus, ſi pro Chriſtianorũ vtilitate volent: cũ ne vix quidem per anni ſpatium hoſce Galliarum Caſus colligere potuerimus.

Cæterùm: ſi in quibuſdam Diœceſibus veteres Caſus reſeruati & aliquando promulgati, obliuioni ſint traditi (ſicuti plerunq; proh dolor accidit) nec à quinquaginta annis ferè cõtinuum vſum habuerint, videtur tunc propter iſtã deſuetudinem R.R. Epiſcopos minimè contradicentes tacitè permittere Parochis ſuiſue Sacerdotibus, vt ab eiuſmodi Caſibus abſoluant. Simile quid, innuit Nauarrus lib. 1. Cõſiliorum tit. De conſtitut. [z]. Verùm operam dabunt vt certo ſperamus R.R. illi patres ac præſules vt omnia ad priſtinum ſtatum & ſplendorem reuocentur, dum id munus exequi poſſunt ac debent. Ad quod equidem officium, confuſionis vitandæ gratiâ, aut ne plebs vitijs nimium laxet habenas, ipſos Superiores circa Caſus reſeruatos grauiter hortatur Concilium Tridentinum Seſſ. 14. cap. 7. Deinceps verò Sacerdotes harum Tabularum beneficio facillimè limitibus ſuæ poteſtatis inſiſtere poſſunt, cùm his aſtringãtur. Quare prudenter remittent pœ-

z conſilio 1. queſt. 6. & 17.

nitentes ad Episcopales Vicarios, quoties in Cōfessionibus aliquas culpas audient reseruatas: vel monebūt eosdē Superiores, qui data occasione, eóque veluti stimulo incitati circa id muneris inuigilabunt, vt inferiores Sacerdotes hisce saltem initijs intelligant, quid in tali euentu facturi sint, parochialibus Sacerdotibus spiritali interea solamine attritum subditum recreantibus: eóque pacto quenque Catholicum huic sanctissimo vsui tandem assuefacient, adeóque restituetur Christianissimus & antiquissimus iste ritus cuiúsque Episcopi, dignus omnino qui renouetur in illis locis in quibus iniuria temporum intercidit.

Neque id tamen præstabunt Parochi sola scientia priuata, sed authentica; de qua nos egimus parte 1. Animad. 6. Etenim Casus quādóque palam recepti sunt in Diœcesibus, prę-ter quàm in Synodis: de qua recepta lege sermonem instituit locus citatus Nauarri. Neq; Articuli fuêre deinceps reuocati aut abrogati. Et vt spero istud cum nostrarum tabularum editione pergratum habebunt Episcopi Reuerēdissimi, vel in primis ipsimet singula, quæ ad se pertinebūt, iterum promulgabunt. De quo tam pio tamque vtili erga Rempublicam Christ. studio & conatu gratias referent immortales innumeri viri boni & docti, quotquot id beneficium breui expectant: & aliquos reformationis Ecclesiasti-

cæ articulos generales contueri peroptant. Eapropter nomine Christi Seruatoris obnixè precamur & obsecramus præfatos D.D. Præsules per orbem vniuersum constitutos, vbi hic sacer vsus exoleuit, & maximè Gallicanos Antistites, vt diuino charitatis & officij sui ardore accensi, quàm primùm dignentur sacrosancto Concilio Tridentino hac in parte morem gerere: vt & nos illorum statuta huic operi inserere aliquando possimus. In suam quæso memoriam reuocent, quòd Christiani ad inaudita scelera currunt impunè, quia vident reseruationum vsus etiam Papalium plerísque in locis cessasse: ex eo quòd Sacerdotes passim à quocunque Casu sine discretionis scientia absoluere præsumant, cum ingenti ignominia & confusione disciplinæ Ecclesiasticæ.

Nec quisquam obijcere debet aliquos pœnitentes valde exhorrescere eiusmodi reseruationes: & malle à sacra peccatorum confessione prorsus abstinere, & in peccatorum cœno volutari, vnde in abyssum malorum ferantur, quàm austerum vt vocant Pœnitentiarium adire, & præsertim distantem. Nam pro solutione repetimus ea quæ dudum præfiximus *: nimirum obsignatam Pœnitentiarij veniam absentibus Parochis aut prudenti notóque Sacerdoti pro singulis vicibus denegari non solere: prætérquam quòd præsentibus in vrbe metropoli se

* in 1. parte Animad. 3. & alibi.

mansuetos & perhumanos præbent omnes Pœnitentiarij, vt animos concilient & trahant ad salutarem pœnitentiam. Imò etiam rite congruit in ipsa vrbe & alibi eandem veniam tunc concedere Parochis, si occurrant in genere grauiores paulò causæ petendi, vt pote status personæ quasi publicæ vel in dignitate constitutæ, déque fama metuentis ne fortè obseruetur à plebeijs aliquot dum Pœnitentiarium adeunt, vbi secretior accedendi via nulla patet: vel etiam status muliebris sexus in occulto peccato fragilitatis, sicuti prudenter aduertunt Synodus Senonensis atque Rhemensis. Similes petitionum causas in thesi licet afferre, relictis omnibus personarum circunstantijs: Vbi de peculiaribus præsertim Episcopi Casibus loquimur. Nam communes, qui extant duodecim in 2. parte gener. cum censuris, & quinque sine censura in tertia, non ita facilè videntur ab Episcopali Vicario remitti debere ad temporariam & diariam parochorum potestatem Episcopo inscio. Sicuti neque tales Casus numero septendecim ab ipsis Episcopis de medio tolli queunt, quandoquidem à supremo conditore Pontifice & œcumenicis Concilijs quondam sunt præscripti: etiamsi peculiares suos Casus possent ex prudentia abolere & irritare, retentis tantum communissimis. Restituant igitur Reuerendi Episcopi Pœnitentiarios multis in locis magna animarum per-

nicie ab officio ſemotos, prætextu fortaſſis ciuilium bellorum fateatur quiſque noſtrum multa ideo mala hoc ſeculo noſtris imminere verticibus, quia hanc Eccleſiæ vniuerſalis legem conſuetudinémque inter alias imprimis deſpicimus & ſpernimus. Admoneant illi Parochos, & Parochi ſuos Sacerdotes, vt quiſque diſcat * reſeruationum articulos ſubditiſque oppidanis è ſuggeſtu quandóque eos denuncient, quatenus in prudentum ſaltem laïcorum notitiam deueniant. Compulſi ſumus de hoc obiter commonefacere, tum iubente Deo in ipſa ſyndereſi, tum hortante proborum virorum ac literatorum turba, quæ nos ad hoc narrationis & concluſionis genus pene coëgit, propter opportunam quæ ſeſe hic obtulit occaſionem.

* *ex art. 3. a quæſt.*

FINIS.

BENEVOLO LECTORI.

EXhibemus tibi (amice Lector) hisce duabus vltimis Tabellis alios casus recentiores Ecclesiæ Rothomagensi & Parisiensi reseruatos. Causa huius ordinis & consilij fuit, Quod ante biennium quando hoc opus aggressi sumus, postremi isti articuli nondum conscripti ac promulgati fuissent. Vnde & illos solum casus in tabellas nostras retulimus, qui tunc temporis Rothomagi & Lutetiæ in vsu erant. Nunc datâ occasione, vbi accepimus R. R. illarum Ecclesiarum præsules nonnihil in prædictis casibus immutasse (sicut tempora aliquando exigunt) noua quoque & recentia hęc exemplaria dedimus & tanquam operis corollarium hic adijci curauimus. Tu æqui bonique consule.

CASVS RESERVATI ARchiepiscopo Rothomagensi.

1. DIuinatio, incantatio, dæmonum inuocatio, ac omnis ars magica.
2. Qui ad magicas artes & veneficia & superstitiones eucharistia rebusque sacris abutuntur.
3. Qui publicé Deo, B. Mariæ Virgini, reliquisque sanctis maledixerit.
4. Qui virgines rapuerunt.
5. Qui moniales violarunt.
6. Qui volentes & sciētes homicidium admiserunt.

7. Qui parentes percusserunt.
8. Qui secundo vel propinquiori gradu incestum commiserunt.
9. Qui aborsum procurarunt.
10. Qui Ecclesiam polluerunt.
11. Qui in detestabile crimen Sodomiæ & bestialitatis inciderunt.
12. Qui res Ecclesiasticas diripuerunt.
13. Qui clandestina matrimonia contrahere ausi sunt, qui ve illis interfuerunt.
14. Qui domos, vicos, agros, vineas, dolosé incenderunt & vastarunt.
15. Qui leuiter in clericos aut religiosos manus iniecerunt.
16. Qui falsi testes & periuri in iudicio extiterunt.
17. Qui scripturas falsarunt.
18. Qui infantes suos notabili quadam negligentia opprimunt, vel opprimi sinunt.
19. Qui maioris excommunicationis vel suspensionis vel interdicti vinculis tenentur astricti, idque siue à iure, siue ab homine.
20. Qui vota & iuramenta dispensanda seu commutanda cupiunt.

Poterunt tamen confessarij absoluere à peccatis contra votum aut iuramentum factis, non autem tollere obligationem.

Nulla verò peccata quæ sola cogitatione patrantur, nec puerorum qualiacúnque ante annos quatuordecim reseruantur.


Datum in Synodo Rothomagensi anno Domini millesimo sexcentesimo xvj. Maij.

CASVS RESERVATI REVERENDISSIMO *Domino Episcopo Parisiensi anno* 1601.

1. GRauis percussio Religiosi, vel Clerici in Sacris constituti, Quæ si atrocior fuerit summo etiam Pontifici reseruatur.
2. Exustio domorũ procurata & voluntaria, dũmodo incendiarius non sit publicè denuntiatus. Nam si denuntiatus est, reseruatur S. P.
3. Id ipsum de effractore & spoliatore ædiũ sacrarũ & piorũ locorum intelligi etiã volumus.
4. Homicidiũ volũtariũ, necnõ etiam Casuale quod accidit ex aliquo peccato mortali in quo erat metus aut periculum Homicidij.
5. Monomachia vel duellum, quo nomine cõtinentur omnes pugnãtes in duello tum etiam qui vulgo dicuntur ipsorum patrini, & qui ad illud prouocant, qui voluntarié intersunt, & quicumque consilium auxiliuũe aliquod præbent.
6. Coniugi mortem machinari.
7. Procuratio abortiui siue animati siue inani. (mati.
8. Oppressio paruulorum per incuriã.
9. Percussio Patris vel matris.
10. Profiteri vel exercere maleficia, veneficia, diuinationes, cæterasque artes magicas.
11. Profanatio, & impius abusus rerũ sacrarũ, vt sacros. Eucharist. Chrismatis, olei sancti.
12. Atrox & violenta sãguinis effusio in Eccle- (sia.
13. Fornicatio in Ecclesia.
14. Concubitus cum sanctimoniali.

15. Fornicatio cum perſona quam in Baptiſmo ſuſceperis vel cuius confeſſionem ſacramentalem exceperis.
16. Viuente propria vxore aliam ducere.
17. Adulterium publicum, quod vel iudicio probatum eſt, vel nulla tergiuerſatione in tota vicinia celari poteſt.
18. Raptus virginũ vel mulierũ honeſtè viuẽtiũ.
19. Inceſtus intra ſecũdũ gradũ cõſanguinitatis.
20. Sodomiticũ peccatũ, & quod eo grauius eſt.
21. Sacrilegium, quo intelligitur quodcumque furtum rei ſacrę in quouis loco, vel furtum rei profanæ, in loco ſacro.
22. Vſura publica, quæ vel in iudicio probata eſt, vel nulla tergiuerſatione in tota vicinia celari poteſt.
23. Falſum teſtimonium coram iudice.
24. Crimen falſariorũ qui adulterant literas Eccleſiaſticas, ſiue occultum ſit factum, ſiue publicũ, modo non ſint literæ aut bullæ S. Pontificis, harũ enim, falſificatio, reſeruatur Papæ quando factum eſt notoriũ, nobis verò ſi occultũ eſt.
25. Adulterare monetã, aut maius ſigillũ Regiũ.
26. Simonia & confidentia occulta.
27. Irregularitas omnis & ſuſpenſio ex delicto occulto proueniens, eâ excepta quæ oriuntur ex homicidio voluntario, vel quæ iam deducta eſt ad forum contentioſum.
28. Ordinari ab alieno Epiſcopo abſque ordinarij ſui facultate: Quod de maioribus & minoribus ordinibus intelligi volumus.
29. Promoueri per ſaltum ad ordines.

FINIS.



LOCVPLETISSIMVS RERVM SINGVLARIVM INDEX.

A



NN

D

F

G

H

I

L

M

Et percussio

R

S

T



FINIS.

PRIVILEGE DV ROY.

HENRY par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre: A nos amez & feaux les gens tenans nos Cours de Parlements de Paris, Thoulouze, Roüen, Bourdeaux, Dijon, Aix, Grenoble, & Bretagne, à tous nos Baillifs, Preuosts, Seneschaux, & a tous nos autres officiers, Salut. Receu auons l'humble supplication de nostre bien-amé Nicolas Buon, marchand Libraire en nostre Vniuersité de Paris, contenant qu'il a recouuert vn Liure intitulé, *Summa omnium excommunicationum & Casuum reseruatorum. &c.* Authore *M. Iacobo Seuertio, sacræ Theologiæ Doctore Parisiensi.* Lequel Liure il desireroit volontiers faire imprimer tant en Latin qu'en François : mais il doute qu'autres Libraires ou Imprimeurs ne voulussent faire le semblable, & par ce moyen le frustrer de ses labeurs, frais & despēces, si par nous ne luy estoit pourueu. & permis d'iceluy imprimer. NOVS A CES CAVSES, desirant iceluy Buon n'estre frustré de ses labeurs, frais & despences: Luy auons par ces presentes, permis & permettons, & donnons pouuoir d'imprimer ou faire imprimer ledit Liure : Auec inhibitions & deffences à tous autres Libraires & Imprimeurs de cestuy nostre Royaume, & autres personnes de quelque estat, qualité & condition qu'ils soiēt de l'imprimer ou faire imprimer, vendre, ny distribuer, contrefaire ny alterer, soit par extraict, epitome ou abregé, ny en Latin, ny en François, sans le vouloir, consentement & congé dudict Buon, & ce iusques à dix ans prochains & consecutifs, à compter du iour & datte que la premiere impression dudict liure sera acheuée: à peine de confiscation desdicts liures, d'amende arbitraire, & de tous despens, dommages & interests dudit Buon. SI VOVS mandons & à chacun de vous commettons endroit soy, si com-

me à luy appartiendra, que de nos present priuilege & de tout le contenu en iceluy vous faites & souffrez iceluy suppliant ioüyr & vser plainement & paisiblement, ensemble ceux qui auront charge de luy, & à ce faire, souffrir & obeyr, contraignez tous ceux qui pour ce seront à contraindre par toutes voyes & manieres deües & raisonnables. Voulant qu'en mettant par ledit suppliant à la fin ou au commencement de chacun desdits liures ce present Priuilege ou extrait d'iceluy, il soit tenu pour deüement signifié. Car tel est nostre plaisir. DONNÉ à Paris le 18. iour d'Auril l'an de grace 1601. Et de nostre regne le 12.

Par le Roy en son Conseil.

Signé, PERROCHEL.

Acheué d'imprimer, pour la premiere fois, le 7. May 1601.